Dr Mountfords Sale 2:6

Garioponte Lib. VIII }
Rem. Dodonæi — }
Observationes Rara }

HABES

SINCERIORIS MEDICI-
næ amator, iterum renatos VIII *de morborũ causis,*
accidentibus & curationibus libros GARIOPON-
TI *medici, qui usu et successu artis nemini ex ue-*
teribus cedit, testibus qui usi sunt eius
remediorum ratione indi-
catione ue.

BASILEÆ APVD HEN-
RICVM PETRVM.

INDEX MEMORABILIVM RERVM QVAE LIBRO HVIC INSVNT.

A

Aurium

D

E

F

Febres

Phrenesis

Splenis

Stomachi

T

Vapor

V

Veſicæ

FINIS.

GARIOPONTI MEDICI VETUSTIßIMI LIBER PRIMUS,

CVI HAEC INSVNT.

De Cephalæa. Cap. I.

CEPHALAEA est dolor capitis, qui per multum tempus tenet, non recens, sed uetus, semper sensibilis, modo plus, modo minus. Qui sic deprehenditur: Solem ferre nõ possunt, nec calorem nimium. Nam mox cum mouentur, nec uoces nimias, neq; uinum, seu frigus ferunt. Huius causæ signa hæc sunt: Temporum pulsus non deest, totum caput graue est. Tinnitus aurium patiuntur, nerui ceruicis dolent.

Cura.

Cura eorum talis est: Hos constitues in domo ubi nec nimiæ tenebræ, nec lux grandis sit. Quibus talis curatio adhibẽda est: Caput foueatur ex oleo irino, uel cyprino, aut camomillino calido. Quod si uentrẽ constrictum habuerint, adhibebis leue catharticum, aut clysterem leuem. Et aßiduæ eis manus & pedes fricentur, & de uena mediana frontis sanguinẽ detrahant. Quod si hæc adiutoria non proficiunt, de uena matrice brachij sanguinem detrahant, & post tertium diem in aures oleum nardinum tepidũ fundas. Quod si hoc non profuerit, tunc resolues in oleo supradicto nardino philonium, aut adrianũ, & sic in aures infundas. Item caput nouacula radito,

dito, & cucurbitam cum ſcalpello in occipitio capitis impone. His nõ ſubueniẽtibus, cataplaſma eis tale facies capiti imponendum: Sinapin, axungiã, capparis radicem, panis medium infunde in aqua, æquali pondere in aqua calida coquãtur, capiti imponas. Trochiſcos tales facies, peucedani, opij quirinaci, euphorbij, ana.unc.1. ex ſucco papaueris cõfice, ſolutũ lacte mulieris fronti impone, ſimul & tẽporibus. Hi accipere debent iterum catharticum interdũ, non aßidue. Cibi uero eorum ſint oua ſorbilia, & ſucci diuerſi, & ſimplices cibi. Olera uero malua, bleta, lactuca, intuba, porrus optime coctus, ius cũ ipſis oleribus accipiant, caueant ne indigeſtionem patiantur, ideo iuſcula eorum cum ipſis oleribus accipiant. Potus ſit aqua tepens, uinum leue bibant ſed partius & aquatum uſq; dum dolor minuatur.

De Cephaloponia, cap. II.

Cephaloponia eſt capitis dolor cõmoto cerebro ac tempore, aliquando quidem magnus, aliquando paruus. Apprehendimus hunc ex tardo dolore capitis, temporum, ac frontis, quem Græci crotaphion dicunt. Quod ſi dimidium caput doluerit, hemicranion uocãt. Aliquoties fit ma

gnus dolor per calorem solis, aut ex nimio frigore, aut ex clamore, aut uini plenitudine, aut ex uigilijs multis. Mulieribus autem fit per operatione capillorum, caput sibi sæpe inungentibus, si diligentiam nõ habuerint unctionis, sordes dolorespræstãt. Quando autem totum caput doluerit, cerebrum mouetur, & oculi concauantur uel contrahuntur. Aliquoties uertigo & caligo nascitur, & tũc ex stomacho fit capitis dolor, tunc pigrities & nausea fit ex cholerum collectione in stomacho, & per conatus uomitus perturbantur, & præ magnitudine causæ genæ rubescunt, & pene exeunt oculi, & supprimuntur palpebræ, uisus subtorquetur, lachrymantur frequenter, & caligo præstatur, aures ingrauescunt, uigilias patiuntur. Aliquoties & dentes dolent, quando impetus maiores ueniũt, sanguis eis de naribus currit, & tunc à dolore releuantur. Iacent autem supini, aliter enim præ dolore iacere non possunt: facies eis torquetur, & sine sensu sunt. Quando autem febris eos commouerit citius sanantur, quando sine febribus cõmouentur, chronica paßio est. Tunc scimus ex stomachi anathimiasi, id est, uentositate in cerebro repercussa capitis meningas extendere cum caluaria capitis, & tunsillarum musculi in causa sunt. Nam si febres fuerint cum dolore capitis, requirendum est si forte

forte uentrem non purgent, & si squibalæ stomachū opprimant, & dolorē nimium capitis præstēt, quod si fiat, soluatur eis uenter.

Cura.

Iacere debent in cubiculo mediocriter temperato, & obscuro, capite obuoluto, sileant, sine iracundia sint usq; in diatritum primū. Quod si cum febre fuerit, aut cum ardore dolor capitis, oleum roseum, aut irinum, uel uiride capiti infundi iubemus, hyeme calidum, æstate frigidum. Si cum uigilijs dolor capitis fuerit, acetum & mulsum gargarizent. Quod si tempora & frons simul cōdolescant, cimolia aut acacia trita cum calida penna delinito frontem & tempora. Quod si sine febribus dolor fuerit magnus, & in ambobus cornibus capitis & hyemis tempus fuerit, & ex frigore natus, succurrendū est ita: Oleum anethinū, aut camomillinum, aut rutaceum calidum, ad mansionem infundi iubemus. Quod si dolor infestus fuerit, saccellamus loca dolentia ex farina triticea, uel hordei cū furfuribus suis cocta in uino, & in ambas aures inijci iubemus piper tritum in oleo, aut euphorbium. Si uires permiserint, balneis uti debēt, & fomento capitis, ex decoctione papaueris, aut hederæ in aqua decoctæ ad tertiā, aut pulegij, aut anethi, aut rutæ. Quod si ex stomachi fuerit anathimiasis

in cerebro, & calefactiones, & uertigines, & capitis dolor grauis, & sonus aurium, & tinnitus, oxyrhodinum infundes capiti, & obtarmico, id est, sternutatorio nares ungimus ex sticio, & pipere facto, & sic dato potum elixaturam absinthij pontici cum anetho. Quod si interest et sitis, apiũ cum radicibus suis uiride admisceri placet, aut oxymel, aut picra, aut oxyporium diamilon dabis. Quod si ambas partes capitis dolor pulsauerit, cum oculorum molestia & dolore temporum & aurium & frontis tensione cum nimio pruritu & faciei feruore, ac dentes dolent, inter utrasq; scapulas scarificationes cucurbitæ cum emißiõe sanguinis fieri placet, & post ea caput purgent ex gargarismate quod fit ex staphisagria, pyrethro, pipere, origano, glycono cõtrito cum oxymelle in canicularibus diebus. Quod si ambo cornua capitis doleant, & ceruicis dolor fuerit cum tensione & grauedine posteriorum capitis partium, uenã quæ in frõte recta est, phlebotomari iubemus. Quod si ex uino caput doluerit, ex oleo roseo & aceto caput liniatur, & balneis siccis utantur, & potum accipiant elixaturam anethi & apij. Quod si ex recente bibendo, aut indigestione ciborum fuerit, ex oleo rutaceo, aut camomillino caput infundatur, & potum accipiãt elixaturam absynthij & anethi, aut oxymel

ex calda

ex calda cibos leues accipiant. Caput de sole si dolu-erit, oxyrhodino infundi iubemus, aut strigni succo cum rosaceo oleo.

De Monopagia, Cap. III.

SI cholera rubea & sanguine mixto, una pars capitis in acutum dolorē uenerit, mo-nopagiam Græci dicunt. Si et oculus simul cum media parte capitis, hemicraneũ ab eis dicitur, ex eisdem causis quibus & superior paßio nascitur.

Cura.

His talis cura adhibenda est: Tempore hyemis piper, aut euphorbium, laserue pensum unius oboli, in aliam aurem ubi dolor nõ est infundi iubemus, cũ oleo modico. Partē uero ubi dolor pulsauerit, linimus aut ex piperis granis uiginti, aut gesasteros drach. 8. Aut ex medicamine recipienti seminis sinapis coclear 1. piperis grana uiginti, fimi colũbini sicci et albi drach. 10. tritis cum aceto, simul frontē et tēpora linito. Quod si magnus fuerit dolor, saccellamus locum ut superius diximus. Quod si diuturnus & maximus fuerit dolor, & oculorum partes tenuerit, si uires & ætas permiserint, & alia parte de brachio phlebotomentur, & trochisci adhibeantur, qui di-

cuntur hemicranei, ex peucedano, et lasere, & opio miconis, & euphorbio, ex æquo cum aceto confecti, & antidotum hiera accipiant, ut caput uel uentrem purgent. A uino & balneo abstineant usq; ad dimissionem, & cum cauterio cauterizent uenam, quæ in ipsa regione dolore frequenter molestatur.

De Scotomia, Cap. IIII.

HI qui scotosin patiuntur, hæc signa habent: Aut gyristeros, id est, circulos patiuntur, aut ante oculos assidue uolare caliginosa uolumina sibi uident, & quasdam uertigines nigras, & quoties ad terram inclinantur uel intenti fuerint, cadunt, et caput eis grauatur, rotas aut circulos uolui sibi uidentur. Aut si in altum ascendant, aut in aquam fluminis rapidi, statim circuitus, id est, uertiginem patiuntur, & tanquam somno grauati cadūt, & amentes fiunt, putantes se cum omnibus uolui & cadere. Nam inflationem stomachi & nauseam frequenter & uomitū patiuntur, & assidue tristes sunt, & macri fiunt, et fastidio laborant. Qui nisi fuerint cito curati, aut amentes, aut epileptici efficiuntur. Nascitur hæc causa ijs quibus sanguis de naribus solitus est fluere, aut ex hæmorrhoidarum restrictiōe.

Quæ

Quæ cum non fuerint functæ officio suo, faciũt hunc frontis & capitis morbum.

Cura.

Cum ceciderint, releuandi sunt odoribus herbarum, pulegij, nepetæ, origani, thymi, ad nares applicatarũ. Trahes etiam auriculas uel capillos ipsorũ, inclamans eos nomine, fricando pectus et stomachũ, & contines caput, fomentum eis tale facies, quale fieri cephalargicis supra diximus. Hi mox phlebotomandi sunt de uena matrice brachij, & post septem dies aut picra, aut hiera cathartica accipiant, ita ut uentrem deducant, & stomachum confirment. Cataplasma eis ad stomachum tale facies: Cyminum, baccas lauri, caricas infusas in dulcore, mastichẽ, absynthium & panem siccum, trita more cataplasmatis, et calidum in stomacho impones, alio diatrito cucurbitas stomacho impones, & caput eis nouacula rades, & in sole feruido dropacem imponas, cuius talis est confectio: Ceræ, picis, resinæ, pituuiæ, nitri, ana librã unã, resinæ frixæ quindecim, pyrethri, aspalti, sulphuris uiui, hellebori albi, adarcis, staphisagriæ. ana unc. 2. pyperis, olei sicyonij. ana unc. 4. peractis quinq; diebus. Iterum hiera accipiant, & antidotum supradictum in modum auellanæ. Hi etiam apophlegmatizandi sunt, id est, caput eis purgetur. Sternutamẽta

prouocanda sunt ex euphorbio & pipere trito, aut ex trucij radice, puluerem naribus olfaciendum applicabis. Post hæc anagallis, aut mentæ, aut urticæ, aut cyclaminis, aut bletæ albæ succum naribus infundes. Si hæc minime senserint, dabis eis catharticum ex elleboro albo, sicut scriptum est. Sed & sinapizare caput in balneo debent, & post omnia adiutoria de arterijs phlebotomandi sunt. Hi cibos accipiant, pastinacas, porrosq; coctos, sparagos et apium in patella manducent, quæ urinam prouocent, aut etiam salsa comedant, & carnes agrestes comedant, ut est perdix, aper, ceruus, lepus, & quæ talia. Vinum albũ bibant, & partius, tamen si plus uoluerint bibere, calidam aquam bibant.

De Eodem, Cap. V.

Scotomia nascitur in uinosis hominibus & qui frequenter caput ad solem purgant. Nam in ipsa calefactione uenæ capitis aperiuntur, & postquam uinum biberint, chronica ualetudine capitis onerantur, & hæmorrhoides quæ in capite sunt, inflãtur. Vt enim causa hæc agnoscatur, signa nos dare oportet: Oculorum caligines & capitis uertiginem patiuntur, et tanquam somno grauati cadunt.

cadunt. Conſpiciũt quaſi omnia ſecum moueri. Quoſdam tranſitus lanæ uel aranearum texturas ante oculos tranſire putant, & ea quæ uident quaſi duplicia ſunt. Frequenter eis oculi turbantur, & caput dolet, phantaſmata patiuntur. Frequenter ſe collidũt, murmurant, & fabulantur, cum tortione oculorum grauedinem capitis patiuntur. Aliquoties ſedent, aliquoties iacent. Frequenter ſe uertãtes ſudant, ſubito expaueſcunt, cadunt, & exurgunt. Aliquoties febriũt. In ipſo timore omnia ſecum impelli putãt, magis cum ſe inclinauerint, uel in alta conſpexerint & ueluti rotarum ſingularum uertiginem conſpiciunt. Dolor eſt illis in capite repentinus, ſingultant, oculi eorum obtenebreſcunt, & ideo dicuntur ſcotomatici, quia Scotomian Græci tenebras dicunt. Naſcitur hæc cauſa ex fumo ſtomachi tangente meningas, ualde omnes regiones cerebri uexantur. Hi cadunt cum grauedine capitis, in dimiſsione cauſæ lumen eis tollitur, tenebras cernunt, ſi ad aquam intendunt, ante eos uertigo apparet cum ſonitu aurium. Aliquoties ſanguis de naribus currit ſponte, & nihil eos iuuat. Ex ſtomacho enim (ut ſæpe diximus) & ex concluſione cholerum hæc paſsio naſcitur. Hæc ſigna dum uideris, ſtomachũ oportet curare, uel omnia adiutoria adhibere. Quod ſi curati non fuerint, ad maniam uel epi

lepſiam

lepsiam ueniunt, & si fuerint ex collectione cholerũ in stomacho cum uentositate cibos uomunt & choleram reijciũt, si tristicia & difficilis respiratio est eis cum iracundia, ex melancholia fit, & tabescunt corpore & fastidiunt.

Cura.

Curantur autẽ accessionis tempore, quando subito cadũt, mentum fricari oportet, aures, nares, labia, & circa frontem capillos euellere, & fomentare faciem, hyeme calida, æstate, frigida. Mulieribus mamillas fricato, & odores naribus opponito, pulegium cum aceto, aut pipere, aut sinapin, & thymum, et alia similia. Pro dolore capitis oleum ad hoc opus cõpositum, illis infundatur, uel inductio frõti addatur, quam superius diximus in capitis cura. Si sine febre fuerint, cibari debent leuibus cibis, sanguis de fronte tollatur usq; ad libram dimidiam, quia si amplius, malfiunt. Cucurbitentur cum scarificatione in occipitio capitis. Cusas in stomacho accipiant, post hierã, & ligationes articulorum accipiant, & sternutamẽta prouocentur, & naribus infundi iubemus mentæ succum, aut anagallis, aut cyclaminis, & purgentur ex cathartico de elleboro, quod si inueterauerit passio, dropace utatur, & sinapismo. A lauacro se abstineant usq; ad dies quadraginta, cibos leues accipiãt

in di-

in dimißionis tempore, similiter et poma, uinum album & lene, & post cibos dormiant, siue sileant.

De Epilepsia, Cap. VI.

Epilepsiæ genera sunt duo. Vnū est in quo subito cadunt, nescientes, & contractionē pedum manuumq; patiuntur, & ceruicis tremorem. Aliud in quo spumant et stertunt, nec contrahuntur membra cum ceciderint, quos uulgus dæmoniacos dicit. Sed hi quidem ex parte sentiunt, illi uero omnino sine sensu sunt. Hæ causæ nascuntur de sanguine uiscido, id est, amaro, & de felle nigro uitiato. Quæ cum se miscuerint, cerebrū petunt, in quo principaliter anima habitat, quo cōturbato cadūt.

Cura.

Ieiuni radices in oxymelle infusas quandiu possunt manducent, & supra oxymel quod restitit, mittis calidam satis, & dabis bibere ad satietatem, & post horam digitis mißis in ore, uomitum prouocabis. Qđ si uomere nō potuerint, æris usti drach. I. cum olei coclearijs duobus immiscebis, & intincta penna in ore missa uomitum prouocabis. Post hæc phlebotomas: hoc quidē in principio causæ utile est, nulla alia causa impediente. Sternutationes eis prouocentur

uocētur, aut ex elleboro, aut ex castoreo, aut ex pipe re, uel euphorbio, seu pyrethro, applicādo naribus uel infundēdo. Catharticū eis tale facies: Aloë unc. 1. ellebori albi drach. 2. radices feniculi uiridis in hemina aquæ coque, ut tertia pars remaneat, mellis despumati tantundem: miscebis omnia, & dabis duo coclearia per triduum. Caput eis radendum est, & sinapizandum sic: Mittis sinapis heminam unam, caricas uiginti effusas in aqua, aceti cotulam unam. Et cum infunderis caricas, post triduum coques eas. Postea uero lauabis aqua, & teres extra. Atq; in ipsa aqua mitte sinapim et caricas & acetum, & coques omnia, & cataplasma calidum capiti imponis, & cucurbitas in occipitio cum scalpello. Obseruandū est ne indigestionem patiantur. Cibos scotomaticorum accipiant, nec utantur balneis: priores medici etiam cauterium adhibebant: coagulum leporis in modum orobi per dies triginta, matutinis horis ministratum, epilepticos liberat, expertum est. Peoniæ radix alligata collo patientis mox eripit, & donec secum existit. Hoc autor experimentatorum affirmat: Iacētes epilepticos gagatis lapidis fumigium repentinis casibus publicat. Aranearum quoq; parietis, stercoris etiam columbini, canini, & acaciæ puluis cum aqua calida acceptus cum corripiuntur continuo liberat.

Cor

Cor uulturis tritum cum aqua dabis bibere, & sanabit. Itē uulturis cor & epar & pulmo leui pruna uaporentur & conterantur, & cum oxymelle potui dato, statim epilepsia excluditur. Ante theodoricon ut bene totum corpus purgetur, dabis: sed theodoricon scrup. 4. colocyntidarū interiorum siliquas 3. aut 4. aut amplius. Diagridij siliquas 5. aut 6. aut amplius, secundum uirtutem patientis, ut sit mediocris purgatio, & multos scio, qui solo cathartico dato sanati sunt. Quod si adhuc maneat cacochimia uel paßio, dabis catapotias, quas sic conficies: Aloés, colocyntide, scammoneæ, bdellij, ellebori nigri, corticis cumeana unc. 1. euphorbij nitri an. drachmas 5. ex his cum succo caulis catapotias facis. Dabis aut secundum uirtutem patiētis 4. aut tres. Maioribus autem dabis sex, aut amplius si dederis, nihil nocet. Hoc catharticū cum cautela datum, sine malitia purgat. Non solum autem epilepticos scio iuuasse, sed scotomaticos & podagricos.

De Eodem. Cap. VII.

Epilepticorum genera sunt tria. Analepsia, catalepsia, epilepsia. Analepsia dicta est, eo quod sacras partes capitis sensu priuet.

Fit

Fit uel naſcitur ex negligẽtia ſtomachi, aut ex nimio cibo uel potu, aut frigidũ bibendo, aut ex luxuria, uel nimio coitu, uel indigeſtione ciborum. Primo caput dolet, uertigines capitis patiuntur cum malfactionibus, ut in cephalargicis, et ſcotomaticis expoſuimus. Non curantes in principio ſtomachum, ad epilepſiã ueniunt, & ſi ſe à cibo & potu, & eis quæ ſuperius memorauimus, non temperauerint, fiunt epileptici. Epilepſia dicta eſt à mentis, & ſenſus oppreßione, quibus occupatis, corpus etiam poßidetur. Eſt enim grauis, & tarda paßio. Alij hunc morbum comitialẽ dixerunt, alij ſacram paßionem, quam Græci hyeronoſon uocant, ut Democritus, ſiue quod diuinũ morbum comitialem dicunt, ſiue quia animæ miſceatur, ſiue quod ex capitis fiat cauſa, quod templum eſt animi: Has enim ſacras partes corporis ueteres coluerunt. Alij puerilem, eo quod in ipſis abundet ætatibus. Alij caducum, eo quod cadunt appellauerunt. Naſcitur uero hæc paßio ex nimietate ciborum uel ex feruore nimio, aut ex cerebri infuſione, uel ex uinolentia. Veteres quoq; aiunt ex aëris infuſione, aut ex iracundia fieri. Catalepſia eſt paßio epilepticorũ cum febre, quæ epilepticis nõ eſt, qui ſpumas per os & nares digerunt, quod catalepticis non eſt, in qua re differunt, & catalepticorum paßio à pedibus uel tibijs

tibijs inchoat. Quando gressuum dolorem & grauedinem sentiunt, fit ex nimio sanguinis uel cholerũ feruore conclusio in stomacho, non habente exitũ naturalem, unde caput grauatur, & sensus læditur. Ex quibus signis epilepticos apprehendimus: ex accessione & conturbatione, quando sensu priuantur, & omni motu, cum pallore, atq; oris laxamẽto, cum respiratione tarda, & pulsu magno, palpitãtibus membris, uisu uel oculis tortis, aspectu stupido, palpebrarum suspectione, stridore dentium & pectoris, uocis amputatione, spumarum autem emißio consequitur. Post acceßionem autem nil se paßos reminiscuntur, sed mœsti & confusi pigriq; consurgunt, oculis rubentibus, ac pulsu perseuerãte, cum oscitatiõe frequenti, ex fumo et uentositate implente musculos & neruos gulæ, & implente spiritales uias. Epilepticorum genera sunt duo: Vnum cum tremore & somno, & stertunt patientes, qui non curantur. Aliud sine tremore & somno, & curabile est. Subitat eos hæc paßio aut in balneo, aut in theatro, aut in foro, aut in itinere, et subito cadũt insensibiles facti, cũ suprascriptis signis. Qui cũ tremore totius corporis tenẽtur, à dæmonibus teneri dicũtur Hippocrate firmãte. Hæc paßio solet immutari uel receßionem facere XXV usq; ad XXVIII annum, quod nisi fiat, commoriũtur.

B Cura

Cura.

Curari autem debent sic: Illis cadentibus oris & naris spumas extergimus. Inde optarmicum, hoc est, sternutatoriũ naribus apponimus, quod fit ex pipere, silpho, castoreo, uiuo sulphure, pyrethro, ac his similibus: clystere fortiori uti debent, si uires uel ætas permiserint, phlebotomentur in ipsa accessione. Et oportet fricari manus aut pedes ubi tremor fuerit, & ungi unguento limpido bono, quod huic conueniat morbo, & diu frica, & unge ex penna intra os oleo nitro, & uomitum prouoces, ut cibum reijciant, aut phlegmata ipsa spissa, quæ uentrem concludunt, & omnia uiscera purgent, uel aquam salsam oleo mixtam bibant, ut phlegmata uel melancholia incidantur, uel uomantur, & saccello de farina in uino decocta stomachum uaporemus, uel fricationem articulorum adhibemus ex oleo sicyonio, & tertio & quarto die quando humor digestus fuerit, cibo leui, & digestibili cibentur, & ab aquæ potu abstineant, & balneo & uenere, & clamore, uel iracũdia, & potu dato elixaturam absinthij pontici, uel oxymel, aut castoreum, aut picra. Quod si passio tardauerit, hoc antidoto hieræ purgentur, & inter scapulas stuphas imponito, ut uẽtositas de pulmone fugiat, & si ætas permiserit, scarificẽtur, aut phlebotomentur, & in de-

clinatione

clinatione uomitus ex radicibus prouocetur, & post cibum exercitentur leuiter, & sinapismus capiti uel toti corpori infundatur. Potiones diureticas accipiant, cibis leuibus & digestibilibus utantur, & caput chirurgia pertūdis, & cauterizabis, sicut ueteres chirurgici scripserunt, et purgentur ex elleboro albo. Catharticum & potiones accipiant, quæ in cura epilepticorum scripta sunt, uel antidotum Adrianum. Maxime & sollicite curari debent infantes, qui ab hac paßione celerius moriuntur. Infantes lac caprinum cum melle post acceßionem accipiant. Iuuenes autem oxymel cum castoreo ex calida potent, & caput, collum, mentum uel articuli, manus uel pedes ungantur ex acopo, uel myracopo. Si hyemis tempus fuerit, ex calidis adiutorijs ungantur. Aestiuo tempore frigida adiutoria adhibeātur. Item potio talis eis danda est: Aceti aminei puri ciathos 3. betonici succi uncias 3. commistū dabis bibere. Item anagallis quæ habet roseum succum, cum melle mista naribus iniecta, epilepticis & alienis mentibus salutem restituet. Item testiculi ursini in cibum mire prosunt. Item testiculi aprini uel arietini triti in aqua si bibantur, uel uerrini testes, mire prosunt.

De Phrenesi, Cap. VIII.

PHrenesis est mentis alienatio, & insania, communia signa habens cum melancholia, tamẽ differũt, quia phrenetici sunt cum febre, melancholici sine ea insaniunt. Phrenesis est humor tegens cerebrum in quo manet ratio & intellectus, qui facit ibi apostema aut repletionem. Phrenesis alia uera, alia notha. Vera fit ex sanguine uel cholera. Notha ex phlegmate & cholera.

Cura.

Quibus ratio erit talis medendi: Non satis luminoso loco iaceant, sed frigido, & à picturis uacuo, quia acie oculorum reuerberata lumine amplius uexantur, & picturas cernentes incitantur, & magis alienantur, & in risum plurimum soluuntur. Publicis confabulationibus non utantur, uultus hominum diuersi non adsint, lectus non cancellet ex aliqua parte, quoniam à lecto non surgere bonum est. Surgere insaniæ habitudo est, sed sint plures qui eos custodiant. Quod si non fuerint plures, in lecto ligentur, & membra eis fortius constringantur, quoniam fortes sunt. Stragulis quidem promiscuorum colorum non cooperiantur, fricabis eis linguam ex spongijs asperis

ris. Lanam intinctam in oleo calido imponere debemus per totum uentrem usq; ad inguinem, uel totum corpus fouẽdum erit oleo anethino, uel oleum ubi coctum fuerit, codium commixtum cum elixatura fœnu græci, seminis lini, maluæ, et exinde caput foueatur. Venter soluatur uel purgetur. Coopertorijs grauibus eos cooperiant quandiu sudent. Quam plurimũ caput foueatur, quoniã capitis membranæ siccæ sunt, unde aliena loquuntur. Spongia ex aqua frigida super pectus & faciem apponatur. Item ungento ex oleo roseo, peucedano, castoreo totum caput & corpus ungis, & statim dolor mitigatur. Ad hoc calens pulmo pecoris capiti alligatus ualet. Quod si post adhibita adiutoria nimis alienantur, fortius curẽtur. Si declinatio erit, & sitis ardor, os colluant primo, & sic calidam bibant, inde frigidam accipiant. Sic igitur sani facti sanguinẽ de brachio emittãt. Quod si in ægritudine uentrem solutum non habuerint, clysterem applica aquæ calidæ, oleum solummodo dulce admiscens, nihil asperum, neq; pyroticæ qualitatis habens. Post cataplasmentur lini semine & farina hordei, atq; post triduũ caput eorum adpressum, tonsum, oleo calido ungendum est. Cucurbitas etiam & cufas, per quatuor loca capitis, & uentosas clunibus & coxis accipiant. Quod si in obseruationibus

adest alienatio, odoratißimorum pigmentorum unctione nares ungantur, ut sudorem caput accipiat, sicut est myrrha, storax, opium, castoreũ, hioscyamus, ex mulsa uel careno decocto. Si aures etiam & oculi labia & nares ungantur, statim cum magna ordinatione quiescit. Spongiam etiam cum uino calido ad mamillam sinistram sæpius renouamus. Vinum omnimodo nesciant, quoniam sitis ardorem commouet, et feruorem, & alienationem incitat. Hæc etiam cura cardiacis conuenit. Nam si phrenetici in periculum tendunt lethargici fiunt.

De Mania, Cap. IX.

Mania est insania mentis et alienatio sine febribus cum hilaritate aut timore, aut iracũdia. Capitis dolor est illis cum grauedine atq; aurium tinnitu. Insania dicta est à mentis turbata sanitate. Maniam uero Græci à multis significationibus uocauerunt. Nam multæ sunt species maniacorum. Alij enim subito rident, alij irascũtur, plangunt, timent, cantant, alij multum loquuntur, alij extra rationem delirant. Virtus est illis magna, quia non febriunt. Fit uero ex nimia indigestione ciborum, uel ex nimia bibitiõe, uel potu, unde sanguinis plenitudo fit. Hæc

fit. Hæc paßio quoq; fit ex nimio calore ſanguinis ſiue cholerum, aut ex nimio frigore, aut ex nimijs uigilijs. Hi ſubito arripiũtur, quaſi qui à dæmone irritantur, aut qui uenenum biberint: frequenter hæc patiũtur, qui ſanguinem de capite multũ detrahunt. A quibus multum ſanguinis de naribus fluit, & ex hæmorrhoidarum ſubita constrictione, & his qui ſuccum hiuſcyami, aut opij, aut mandragoræ biberint, fit ex melancholia. Cõtingit etiam philoſophis, rhetoricis, uel nimium legentibus, uel nimium cogitantibus, unde mania putatur dici à diuinõrum requiſitione. Nã diuinus græce mantis dicitur: inquietatur hac paßione omnis ætas & ſexus. Mulieribus fit ex matrice. Plerunq; fit in ætate iuuenili, plus habenti feruorem ſanguinis. Pueris autem immutatur uſq; ad feruorem ætatis. Nam iuuenes fortius exagitantur. Si autem in ſenibus fiat, difficile curantur.

Cura.

Curatio autem cum diligentia his ſicut phreneticis impendi debet, & ſicut in acutis paßionibus in acceßione leues curæ eis adhibendæ ſunt, ſicut in chronicis in dimißione fortia adiutoria adhibeantur. Saccellus calidus ex farina in uino cocta, cum abſinthio capiti imponatur, & ſtomacho, pectori, & cordi, ut diu uaporando loca diutius ſudẽt, & clyſtere uti debemus.

bemus. Si uires & ætas permiserint, & cibum bene acceperint, phlebotomentur cum sanguinis detracti one usq; ad lipothomiam, ut omnis illa uentositas egeratur. Post triduum uero caput infundatur oleo roseo & aceto & succo hederæ: aut poligonium, aut peucedanum, in oleo roseo & aceto coquantur, & inde caput eorum infundatur. Anodinas quidem potiones, uel trochiscos accipere debent cum aqua calida, & somniferis unctionibus eorum nares & tempora ungantur, ut somnum prouocent, & uomere cogantur ex raphano, ut phlegma uel melancholiã egerant. Cibum uero leuem in ipso diatrito, quod est accessionis tempus, id est, oua sorbilia, uel alicæ succũ, & panem bene coctum, & olera quæ uentrem soluant. In dimißionis tempore modico plus fortiorem accipiant cibum, & caput operiant lana tincta in oleo anethino calido, & silentium habeat, & clysterizentur, & post quatuordecim dies purgentur antidoto hiera, & cufas in stomachum accipiant, caput radant, arteria capitis incidatur, sinapismo utantur, sternutamenta prouocentur, & gargarizent: coccumnidium, & staphisagriã, & mastichen cõmanducent, ut phlegma deponatur, & sinapi cum elleboro, uel ex cedria stomachum ungito, & ex hedera caput & ex cãtharidis ungatur, ut cutis rumpatur, &
humor

humor digeratur, & potum accipiant caprinum lac cũ ellebori drach. 2. nõ amplius, ne magis paueant, aut insaniant, semoti iaceant in domo tenebrosa, silẽtium habentes, neq; legentes. Quod si inueterauerit paßio, caput pertondatur, uel occipito cauterizetur. Ante omnia intueri debemus, ut si est fluxus, cõstringatur, constrictio relaxetur, frigus temperetur, & caloris impetus mitigetur. Caput ex acopis ungatur calefactorijs termanticis, ut cerebrum calefiat. Quia plus insaniunt quando meningæ illis infrigidantur. Si calefiat, satis eos iuuat. Hi uero in canicularibus diebus curari debent, & post curam acopo, uel miracopo, diasansuco caput eorum & stomachus perungatur, ut omnis inquietudo ualetudinis in perpetuum expellatur.

De Eodem. Cap. X.

Maniacorum signa hæc sunt: Aliena loquuntur, timidi sunt, alij in tenebris se abscondunt, alij se præcipitant, alij se percutiunt ferro, alij cantant, alij rident, alij taciti & tristes, & obedientes, alij quæ eis dicta sunt obseruant, alij non obediunt, & currunt nudi, uel illicita faciunt. Hæc causa nascitur sæpe ex choleribus nigris, aut nimium

uiridibus, aut ex bibitione ſucci hiuſcyami, aut mãdra goræ, aut conij, aut ex nimio uini potu, aut ex conſueti ſanguinis narium uel hæmorrhoidarum fluxus reſtri ctione, aut ex ſiccitate cerebri. Colorem autem liuidũ habent ſubnigrum, uel ſubſanguineum. Qui uero taciti ſunt, humore infeſtantur frigido & ſicco. Loquaces uero, calido & humido humore. Sunt autem qui per nimium ſtudium inſaniunt, quorum cognitio hæc eſt. Primo inconſuetas uigilias patiũtur in nocte, incaſſum egrediũtur, uno loco ſtare nõ poſſunt, aſsidue malfiunt, nonnunquam iraſcuntur. Aliquoties incongrue ubilibet expoliant ſe, litigant ſine cauſa, neq; uerentur. Tinnitus aurium frequens ab eis ſentitur, & cuiuslibet ſexus ſint, ſcortari ſatis deſiderãt. Qui quidem pauca inſania faciunt & horis omnibus nõ ſunt ueſani, & quæ in corpore ſentiunt interrogati uera reſpondent.

Cura.

Mulieres ſic curas: Menſtrua prouocanda ſunt, phlebotomandæ ſunt in talo: Cathartica diuerſa ſunt danda, maxime quæ nigram cholerãm deponant. Caput raſum ex oleo roſeo & aceto in quo infuſum fuerit & decoctum ſerpillum & poligonium foueant. Et ſi uigilias patiũtur opio myconis, id eſt, papaueris agreſtis cum lacte trito mulieris nares & frontem

illines,

illines, & ieiuno ſicut ſupra dictum eſt, uomitum prouocabis. Aquam frigidam aßidue bibant. Et poſt omnia utræq; partes occipitij cauterizētur uſq; ad os, ut ſubinde etiam os radas, donec ex oſſe carnes ſentias abire. Sed prius in occipitio capitis cucurbita imponenda eſt, & ſic incidantur uſq; ad os. Eſcas ſicut multoties ſcriptum eſt dabis, abſtinens à uino & carnibus, frequenter etiam comminaberis, ut timere incipiant.

De Anteneaſmo, Cap. XI.

ANteneaſmon eſt ſpecies maniæ periculoſæ nimium. Irritantur tanquam maniaci, & in ſe manus iniiciunt. Hi ſubito arripiuntur, cum ſaltatione manuum & pedum, quia intra aurium cauernas quaſi uoces diuerſas ſonare falſo audiunt, ut ſunt diuerſorum inſtrumentorum muſicæ ſoni, quibus delectantur, ut ſtatim ſaltent, aut curſum uelocē arripiant, ſubito arripientes gladium percutiunt ſe, aut alios morſibus ſe & alios attrectare nō dubitāt. Hos latini percuſſores, alij dicunt, dæmonis legiones eſſe, ut dū eos arripiunt, uexent & uulnerent.

Cura.

Diligentia eis imponenda eſt, quando iſtos ſonos audierint includantur, & poſt acceſſionis horas

phleboto=

phlebotomentur, & uenter eis moueatur. Cibos leues accipiāt cum calida aqua, ut omnis uētositas quæ in cerebro sonum facit egeratur. In ipsa accessione silentium habeāt. Quod si spumam per os eiecerint, uel ex canis rabidi morsu causa fuerit, intra septem dies moriuntur.

De Melancholia, Cap. XII.

MElancholia dicta est, quod fel in nigredinem uertatur. Est enim melancholicis crebra immutatio sensus, atq; conuersio humanæ mentis cū uultu mœstissimo, ac taciturnitate, atq; irrationabili fletu, nunc uitæ, nunc mortis cupiditate. Inflationes præcordiorum & frigiditatem corporis patiuntur cum leui sudore atq; colore uiridi uel corporis macie. Si cibum accipiant, corruptionum ructationibus fœtidis molestantur. Accidit uomitus felliū nigrorum, aut eorundē per uentrem effusiones cum intestinorum tormento fiunt. Fit in uiris frequenter, raro in mulieribus, in annis cōstitutis XXX in ætate iuuenili. Fit autem passio hæc fellis nigri abundantia, frigidi & spissi atq; grauis, & cerebrum petentis. Alij dicunt sanguine nigro, qui dicitur spleni deseruire, hanc passionem fieri, qui accipit substātiam ex phlegmate sanguinisq; infusione, & fit uel ex ue-

neni

neni potu, uel canis rabidi morsu, uel ex frequenti clunifragiorum seu calidorum antidotorum accepti one. Vnde autumni tempore & hyeme in quo cre= mentum melancholiæ & frigoris est, plus mouen= tur. Aestate & uerno minus, quando sanguis & fel eos calefaciunt. Et aliquando cum febribus leui= bus, aliquando sine illis. Irritantur iracundia ut ma= niaci, in accessionis tempore post cibum inflationes præcordiorum patiuntur. Corpus ipsorum non nu= tritur, sed tabescunt, quia indigestionem patiuntur. Vnde eructant frequenter calidum, brumosum, fu= mosum, ut est odor piscium crudorum. Et torquetur illis uenter uentositate intestinorum, frequenter ci= bos uomunt, & quod uomunt, uel assellant, nigrum est. Stomachi morsus, capitis & scapularum illis grauedo est. Aliquoties aurium tinnitus, brachiorum & manuum infrigidatio adest, quandoq; de mor= tuis cogitant, præ iracundia nihil uident. Melancho lici in initio paßionis stomacho dolent, cum uigilia= rũ inquietudine et fastidio. Maniaci uero in initio ca put dolẽt, cum mẽtis hebetudine. Si plus soluũtur, cõ stringi debẽt. Si cõstrictione laborãt, soluãtur, ut ipsa melãcholia, quæ in uisceribus est fortis emanet. Colo rẽ habẽt melãcholici in facie uiridẽ, aut nigrũ, aut li= uidũ, qui si non curantur maniaci fiunt.

Cura

Cura.

Curantur autem ſic: Si conſtrictione opus eſt, conſtringantur, ſi relaxatione, relaxentur. Pro cõſtrictione uentris ieiuni lac caprinum calidum accipiãt in potu. Si amplius ſoluendi opus fuerit, decoctionem abſinthij pontici bibant, ut ipſa melancholia quæ in uiſceribus eſt, inferius deriuetur, quia ex iſto humore mania procreatur, quæ eſt paßio grauis & tarda. In initio cibum leuem & ſorbilem accipiant. In cubiculo iaceant non ſatis lucido & clyſtere fortiori utantur. Vẽter eis ſubducatur ex calda, ubi decoxeris colocynthidarũ ſperulas cum oleo & melle, ut ſquibalas ex alto prouoces. Si uires uel ætas pmiſerint, phlebotomentur, ut extenſio pulmonis diſſoluatur cum multis apophoreſibus, & curare debẽt ſtomachũ, & præcordia ex embrocis, & cataplaſmatibus, ſtomacho conuenientibus, & poſtea drachmis quatuor ex hiera purgentur, aut ſecundum uirtutem accipiãt ter in menſe intermißis ſingulis uicibus decem diebus uerni & autumni temporis. Poſt diem cucurbitã cum ſcarificatione inter utraſq; ſcapulas accipiant, ut ſanguinis tollantur unciæ ſex, aut libra una nõ plus, & inciſuras illas cooperi ex linteolo tincto in oleo, & ſup lanam carpinatam pone, & faſcia liga. Quod ſi inueterauerit paßio ipſa, confectionem eis talem fac:

Ellebo=

Ellebori nigri drach. 2. infundis in mulſa triduo, quarta die elleborum proijcis, & mittis ibidem colocinthidarum interiorum ſiccarum & cribellatarum drach. 2. ſcamoneæ ſcrup. 3. epithymi drach 2. Hoc enim medicamentum melancholiam optime purgat, ex hiera ut ſupra diximus drach. 1. danda eſt, ſuccum ptiſanæ accipiant. Intermiſſoq; triduo balneis utantur, & fricari debet corpus ex adarchæ & euphorbio. In dimißione cauſæ epithymate fortiori & emplaſtro uel malagmatibus quæ præcordia extenſa uel dura ſoluant, utantur. Vomitus prouocetur poſt cœnam, ubi prius raphanum comedant in oxymelle tinctum, & poſt calidam bibant. Omnis cura triduo intermiſſo adhibenda eſt. Quod ſi paßio multo tempore fuerit uetus, theriaca diacrigines danda eſt, quæ conficitur ex uiperarum carne, aut antidotū Mitridatis, aut hiera dialoës. Quod ſi multa ſolutio uentris fuerit, arnoglosſæ ſeminis coclearios 3. in potione dato calidæ aquæ ieiuno per triduum. In dimißionis tempore cibari debent carne minorum auium, ut eſt gallorum, columbarum, perdicum, phaſianorum, & atagenarū, & aliarum ſimilium, uel agreſtium uenatione, ungularum, uel interaneorum, & uolatilium agreſtium carne, piſcibus marinis, aſpratilibus albis, ut eſt rūbellus, ſolea, percula, oſtrea & ſimilia his apta ſtomacho,

& quæ

& quæ fastidium tollant. Vinum album leue bibant, & bene temperatum. De oleribus uero sparagos, atriplices, sinapium, lactucas, porros sumant, sed omnia iussellata. Ex pomis accipiant ficus thebaidas, nuces, amigdalas amaras, pistacias, persica, ciconia. Ex arimonijs uero raphanos, cepullas, allia, & post exercitij deambulationem uenereo actu mediocriter utantur.

De Lethargia. Cap. XIII.

LEthargia est paßio mentis cum febre acuta, cum graui pulsu & tardo, & ueluti inani, quem Græci dyadmon dicunt. Cuius signa hæc sunt: Color plūbeus in facie, malæ rubeæ. Supini iacent, ad caput lecti crura uertunt, dant respirationem præcordia eorum sursum, stercora nō reddūt, difficultatem urinæ patiuntur. Moriuntur si prouocēt uentrem nimis, sin minus similiter. Clamātur atq; mouentur, & uix respondēt cum tenui uoce, oculos claudunt, obliuio eos in somno capit. Cum morbus cœperit augeri, respiratio est grauis. Oculi caui fiunt, lingua fit sicca & aspera, facies illis tumescit, labia pallescunt, ungulæ nigrescunt, plantæ & manus rigescūt, labium quod subtus est, inferius laxatur, & manus in broncum quod gutturi imminet ducunt. Pulsus uenæ con

næ constrictior & durior est. Sudor in facie eorum & ceruice est pinguis & frigidus, stercora non redundunt, bolismum patiuntur, & si excitati fuerint aliena loqunutur. Hi ad magnum periculum mortis festinant. Inter omnes causas lethargicorum sudor in faciei & ceruice mortem denunciat.

Cura.

Quod ad curam eorum pertinet scribemus: Ante diatritum nihil adhibendum. Debent iacere in luminoso loco. Caput autem nullatenus foueatur ne dormiant, frequenter pulsando nomen eorum uocetur. Quod si præualeat eis somnus plurimus, in loco lucido ponendi sunt, & ungendi ex oleo dulci & calido, & eorum præcordia & stomachus foueantur, & lana munda calida supra ponatur. In dimißione uero phlebotomandi erunt. Cibo autem illis dato, fricētur eis manus & pedes. Quod si iterum dormiant, aquam mulsam accipiant, & clysteria inijciantur, & caput preßius tondeatur. Quod si oculi eorum pituitatem habeant, aut lachrymentur, pura spongia circa eos tenenda est. Quod si plurimo somno grauantur, grauiter premendæ sunt partes corporis, ut sentiant dolorem, & expergiscantur.

De Eodem, Cap. XIIII.

LEthargici & phrenetici capitis meningarũ de simili extensione uel cõstrictione periculũ ferunt. Vtriq; uero febribus acutis exagitãtur, sed differunt, quia phrenetici in insomnietate & alienatione manent. Lethargici uero sub dissimili incõmoditate uigiliarũ grauedine molestantur, falso ueluti somno depressi: Illis uero parua aut nulla est differẽtia, quod alter ab altero causam sumat, nisi quod phreneticis cum periculo fit, si lethargicus fit, his uero ad salutem, si phreneticus fit.

Cura.

Quoniã una est & æqualis utrisq; causa uitiorũ, eadẽ quoq; uisitandi gratia esse debet: Sed phreneticis requies & patiẽtia indicenda est, lethargicis uigilare magis expedit, quibus sine herbis, & seminibus soporiferis simplex fotus capiti adhibẽdus est, nõ ut phreneticis, utrisq; media præcordiorũ similiter iuuãda sunt. Linguæ siccitas eodem modo riganda, æque uentris officiũ procurandũ est. Caput quoq; sic detractiõe sanguinis releuandũ, uno eodemq; modo uel tẽpore. Ciborũ non sit dispar nutrimentũ: præcipue unum moneo, quod quã frequẽtius sternutamentis admonitione tãntũmodo releuẽtur: Sic ferulæ incensæ fumus eorum naribus applicãdus est, sic lucernæ extinctæ

tinctæ odor olfaciẽdus est, sic ruta ex aceto trita eorũ naribus adhibẽda est, aut sisymbriũ ex aceto tritũ capiti infundimus, mirũ est, aut testudinis sanguinẽ in frõte illinis: Sic pulmonẽ pecoris calidũ supra caput eorum ligabis, expertũ est: Acutis etiã dũtaxat adhuc febribus permanẽtibus, uel caloribus, & illis grauationibus perseuerãtibus, acerbis adiutorijs optarmicorũ conuenit, & iaceant in lucido, et tẽperato loco. Articulos uero eorũ frequẽter unctos oleo ueteri uel cucumeratio mixto nitro, aut pipere, aut castoreo eos sollicitus defricabis, & si frigidi adhuc fuerint, etiã si napis puluerẽ miscebis: nã alij sanguisugas frõti uel tẽporibus eorũ recte adhibuerunt, ꝑseuerante uero grauedine et sensus occupatione, castorei pulueris cocle ar 1. cum mellicrato expedit accipere, & apophlegmatizare cũ oxymelle, hysopi, aut origani, aut thymi, aut pulegij, aut rutæ decoctione: Et si adhuc illi subleuati non fuerint, capillis rasiõe depositis, sinapismus capiti adhibẽdus est. Vnguenta quoq; ex castoreo, & oleo sicyonio fiãt, iã tũc naribus odor ex castoreo, pulegio, origano, thymo, baccis lauri adhibeatur. Hæc ex cornu ceruino et galbano fieri melius ꝓbauimus. Hæc igitur grauatis lethargicis adhibenda sunt, ubi acutum febrium interuenerit necessitas, quæ nos omnia phrenet:corum adiutoria adhibere compellit.

De Capitis dolore, Cap. XV.

VArijs frequenter ex accidentibus paßiones capitis subueniũt. Aliquãdo ex frigore, aliquãdo ex uapore, uel cæteris qualitatibus accidere uidentur. Igitur uaporis causa interuenien te, caput cum uapore quodam & uenarũ inflatione concutitur. Oculi sanguinei sunt, insomnietas est illis maxima. Tunc olei graminalis infusio capiti est adhibenda. Dolore uero forte non cessante, oleum roseũ adhibemus, cuius si copia defuerit animalis prædicti quatuor partes huic roseo iunge aceto miscendas. Si uero maior uis uaporis fuerit & frigida exegerit adiutoria, superaddemus oleum aizoon, aut poligonij succum, aut arnoglossæ, aut portulacæ, aut immaturarũ uuarũ. Locis aũt frigidis quiescant, sparsis pauimẽto aut rubi, aut hederæ folijs, ut graue olẽtia nõ sint, & quæ cõpetenter infrigidare poßint. Frigore uero inquietãte caput, cum graui dolore uenarũ interceptio cõtingit, tunc effusio lachrymarũ, falsiq; somni graues & insuaues existũt. Hos anethino oleo, uel rutaceo calido fomentari cõuenit, & sic superaddi aliquid adiutorij frigus auertẽtis debet, aut cucumeris radices, aut euphorbiũ, aut castoreũ, nam & laurinũ oleum, uel glaucinũ, uel cyprinũ similiter adhibendũ erit. Caput autem sollicitãte exhalatione inferio=

inferiorum dolorũ per interualla ſuccutiẽs cum quodam uenarũ ſaltu illud inquietat. Tuncq́; maxime uertigines & oculorũ obſcuritas emergũt, querelis aliquibus pulſantibus præcordiorũ loca. His quidẽ prius uentris purgatio & loci tẽperies prouidenda eſt: Quibus alleuiatis poſt cibũ uomitus prouocãdus eſt, nullo impediẽte febriũ iudicio, ſternutamẽta frequentia euacuent, oleũ dulce calidũ copiæ aceti utilius admixtũ capiti adhibeatur, ut uolantis ad ſuperiora uaporis inquietudo aliquatenus reprimatur. Somni interdicendi ſunt diuturni, & ciborũ prohibenda præſumptio. Frequẽter etiam hæc uitia indigeſtionis cauſa inſurgunt, et doloris aliquãdo nimietate ſubito uoce interclusa ſuffocantur. Quibus ſubueniendum eſt præſenti uomitu, & ſubſequenter in eorũ aures oleũ laurinũ, uel anethinũ infundendũ eſt, uel nardini infuſione, & fomẽtis calidioribus utendum. Si uero ex uini potatione caput doluerit, quod uini natura frequenter euenire ſolet, eadẽ cura adhibeatur, ac ſi anathimiaſi ſollicitatũ eſſet. Quos tuſsicula exagitat, ſudor ſollicitat, macies et tenuitas indies corporis uires eliminãdo conſumũt: his cura plus impendo in uirium reparatione. Vinum leue et albũ, ciboſq́; analepticos mediocriter tribuo. Balneis, deambulatiõibus & uectationibus, & fricationibus inſiſto. Frequẽter

quidem ægritudine pulsa, mēbris uiribusq; reparatis tußis imminet. Aliquādo mutatio locorū iuuat. Vtilius loca peregrinationis indicātur: Adhibeo dropaces, & cætera quæ his consueta sunt. Partibus præcordiorum & capitis uiribus reparatis, aquis naturalibus uti plus conuenit.

De Dolore aurium, Cap. XVI.

AVriū uitia multa sunt: Dolores graues, auditus, sonus, uulnerati ōes, tumores, repercussiones, humoris discursiones, sanguinis eruptiones, uermes, aut si aliquid introierit intus, & surditas, & pruritus: Hæc omnia uitia in auribus fiunt. Dolor fit aliquoties in una, plerunq; in ambabus per frigus, aut ex uēto frigido, aut aqua interius recepta, aut ex rheumatismo capitis sine aliquo tumore.

Cura.

Quibus cura adhibeatur ex furfure, in uino calido saccellamus, & oleum nardinū tepidum, & pipere tritū cum oleo, aut rutaceo, aut anethino, aut amygdalino, aut cepta marina tunsa, & in oleo cocta, stillatim hæc omnia auribus infundantur. Quod si tardauerit, & febris nō fuerit, neq; tußis, balneis patiētes utātur: Quod si sit dolor cū graui auditu, & oleo ubi coxeris absinthiū uiride in uase fictili aures uaporamus. Itē oleum ubi bullierit ad lentum ignē raphani

radices auribus instillato, & de lana molli eas obturato, aut oleum roseũ cum aceto tepidũ. Item unguentum ad aurium dolorẽ: Medullã ceruinã, cerã, oleum de nucellis, succum poligoniæ herbæ æquis ponderibus cõfice, & ungito aures foris in giro & miraberis. Item betulã quæ inuenitur sub petra coque in oleo tãdiu usq; liquefiat, & colabis, in aurem mitte.

De surditatis curatione.

Quod si surditas fuerit sine ullo dolore, maxime saccellẽtur, et uẽtrẽ purgẽt ex catapotijs diacolocyntidis, & ex scãmonea, aloë, mastiche, ex succo cauliũ, & gargarizent oxymel, aut sapã cum staphysagriæ, piperis, sinapis, hyssopi, origani, pulegij, nitri pulvere in oxymelle, aut sapa cocta, ut phlegma, & omnis humor frigidus capitis decurrat. Melius si in sole, aut calido loco fiat, & oleum ubi amygdalas amaras triueris, auribus instilla, aut oleum laurinum cum pipere trito, aut oleum cedrinum, aut balsamum, aut ceparum, uel raphani succum cum rosaceo, aut pipere, aut euphorbium cum pipere trito ex æquo cum rosaceo, & aphronitrum cum rosaceo, aut succum porri secti ui adiecto aceto acri tepidum instilla auribus.

Aurium sonitus cura.

Sonus aurium si fuerit sine grauedine, & sine dolore, ex stomachi anathimiasi fit. Tunc oportet acci-

pere elixaturam absinthij pontici, & stomachum cu rare, & auribus nitrum cum rosaceo & aceto instil lare. Alij tamen feniculi, aut marrubij uiridis succum & aceto mixtũ instillant, aut granatæ siccæ coriũ tri tum cum rosaceo, uel oleum laurinum, aut optarmi- co nares ungunt ut sternutent.

De tumore aurium.

Quod si tumor fuerit cũ dolore, ex rheumatismo capitis est, aut ex catarrho, aut ex sanguinis impletu ra. Vaporationes ex spongijs in calida tinctis fiant. Et porri sectiui succi cũ rosaceo tepido, aut strichni succo & melle, & lacte mulieris quæ masculum nu- trit, instillatio fiat.

De uulneribus aurium.

Vulnus si fuerit cũ sanie uel fœtore ex alto infusio sanguinis uel humoris fit gracilis fistula, tũc p clyste rem & tenui syringa colluatur ex mulsa tepida, sic absinthij succũ, uel coriandri, uel strichni cũ oleo inij cimus, & extergatur lana molli, uel malactica, & su pradictis instillationibus curetur. Quod si uulnus fu erit longi tẽporis, & foramina clausa fuerint, ut uix audiant, trochisco andronico, aut mulsa, aut crocode cum rosaceo & melle utendũ erit. Aliquibus in uul neratione aurium plus caro crescit, & claudit audi tus foramina. His raphani succũ cum rosaceo oleo & pulvere

puluere dragaganti in ipsis cauernis immittis, ut superflua comedat, aut puluis staphysagriæ, & piperis, & ellebori albi adhibeatur. Semoti esse debent à fabulis, et sonis. Cibis leuibus et sorbilibus uti debēt.

De percussione aurium.

Si percussa auris fuerit, & intumuerit cũ dolore, butyrum recens, & sine sale cũ melle mixtũ, aut adipes anserinos, aut gallinaceos supra calidam tegulã hæc omnia tepefacta, adiecto lacte mulieris quæ masculũ nutrit instillato, & porri sectiui succũ, aut ozimi, aut coriãdri, aut strichni cum rosaceo, aut crocũ, siue rosam uiridē infusam in lacte supradicto, & tritam bene, hæc omnia auribus tepida infundis, & cataplasmari debet sic: Pane modico in uino infuso trito cum melle modico, et tepido cataplasmato. Quod si duricia fuerit, lenticula cocta in aqua trita cum melle tepido, aut apij folijs, aut absinthij, aut granatæ corio cocto in uino cataplasmato.

Saniei ab auribus cura.

Si nimius aliquãdo ex auribus humor fluxerit, cum graui odore & dolore, ex musculis tunsillæ manat. Ne multum fluat, temperari debet, sed non constringatur. Si multum egeritur humor sine dolore, uinum maligranati coctum, uel uinum in quo malumgranatum sit coctum, cum colophoniæ puluere tepidum infundito.

fundito, aut absinthij uiridis succum, seu gallæ puluerem, aut andronicum cum melle; aut cum succo porri sectiui, aut succum hederæ cum rosaceo, siue mulsam tepidam, aut elixaturam lenticulæ cum aqua coctæ instillare & colluere debemus.

Sanguinis ab aure cura.

Sanguinis eruptio si fuerit sine dolore & uulnere, supra incudem ferri tunsum, & cribratum puluerem insufflato, aut colophoniæ, & celsi foliorum, & mali granati succi corticis, & nitri, ex æquo tritorũ puluerem insufflato, aut gallæ puluerẽ. Quod si antiqua fuerit sanguinis effusio, ætate permittente utræq; scapulæ cucurbitentur, & utraq; capitis cornua incidãtur cum ferro.

De uermibus in aure.

Vermes in cauernis aurium natos absinthij pontici, aut cucumeris agrestis radices, aut capparis radices, uel persici foliorum succus cũ aceto instillatus necat. Quibus forte non adiuuantibus sulphur uiuum cũ calce uiua tritũ cũ melle instillato, aut sinapis semẽ tritũ cum hyoscyami succo,

De lapsis in aurem.

Si aliquid fortuitu extrinsecus in cauernas aurium cadit, ut est granũ frumẽti, uel faseolum, aut stipula, aut arista

aut arista, aut aliquid tale, tunc sternutamenta adhibemus, atq; butyrum, seu adipem anserinum, aut gallinaceum tepidum frequenter instillamus, & balneis uti iubemus.

De surditate ex sorditie.

Quod si sordibus clausæ fuerint, aut oleum calidũ, aut nitrum, uel sal tostum cum rosaceo calido lana intincta frequenter auribus instillantur, & sic de melotida ab auribus sordes extergantur.

De pruritu aurium.

Pruritu aurium existente plurimo, acetum & oleum roseum, aut feniculi succum instillato, & libanotis flores tũdis, quorum succum cum aceto & oleo rosaceo tepido infundis.

De Dentium uitijs Cap. XVII.

Vitia dentium multa sunt, aut unius partis, aut ambarum. Dolores uel agitationes, uel infrigidationes, aut tinea, id est, denudatio gingiuarum, putredines, siue tumores, aut sanguinis effusio aut emißio. Dentiũ dolor fit ex frigido rheumate capitis in radices dentium descendente, & sua incursione uitiante. Et sicut dicitur, gutta cauat lapidem, non ui sed sæpe cadendo: frigidus humor capitis similiter dentem uitiat, commouendo, pertundendo, frangendo, priuando carne.

Cura.

Cura.

Si dolor dentium fuerit ſine ulla commotione uel putredine ex ſaccello ſalis toſti regionē doloris extra uaporamus, ut humor frigidus qui eſt in oßibus calefactus temperetur, & uinum album ubi ruta decocta fuerit, in ore teneant, & illud eo colluant, hyoſcyami radices, aut ſtrichni, aut oleum calidum in ore teneāt, aut hederæ radices ſimul & ſparagi, in puſca coquēdæ ſunt, quæ & dolorem mitigent, & laxos dētes cōfirment. Itē hyoſcyami ſeminis, aut radicis pyrethri, euphorbij, hederæ, gummi unc. 2. lactis cęlſi quod ſufficit conficis, & in girum caſulam facis. Item hederæ terraneæ ſucci ex parte doloris in aurē mißi, mirabeeris effectū. Itē alliū tritū & poſitū in loco pulſus iuxta palmā eius partis alligatus prodeſt. Cōmotus dēs ſi fuerit, radices eius primo ſcarificentur. Quo forte non iuuante, euellatur, & poſt puſca locus colluatur. Alioquin dens qui non commouetur, nec debet moueri, nedum euelli. Apud Delphos enim inſulam molaris dens tantum dolens ab imperito medico auulſus cauſa fuit mortis philoſophi, quia medulla dentium à cerebro principatum habens, dum crepuit, in pulmonem deſcendens occidit philoſophum. Pruritus uel putredo in oßibus dentium uel gingiuis ſi fuerit ut corrumpatur ex mulſa calida os abluatur, & anthera cō

fectio

fectio, aut thymi, origani, satureiæ seminis, cymini, melãcij ex æquo tritorũ, puluis supra loca dolentia aspergatur, & os apertum teneatur ut humor egeratur, aut ex diamoron dentiũ radices ungantur, & ex carbonibus calefacto origano cauterizamus. Quod si antiqua fuerit putredo, in radicibus dentium cauterizamus clauo cuprino. Quod si gingiuæ tumuerint, & sanguis fluxerit, thurionũ lentisci puscã decoctionis in ore teneãt. Eius quoq; puluis tentus similiter prodest. Itẽ puluis corticis lentisci ad solem sicci cum sale tosto, uel thure masculo mirabiliter gingiuas sordidas mundat, liuidas splendidas facit, sanguinem constringit, sanguine nimium ex gingiuis fluente, de medio ambarum scapularum scarificatione tollatur sanguis, si uulnus in ore, aut circa uuam natum fuerit, rosa cum croco ex æquo trita cum melle penna illinito, aut ex diamoron cum melle mixto.

De Catarrho. Cap. XVIII.

Catarrhon genera sunt tria. Coriza, bronchos & tußis. Catarrhus dictus est à fluore. Græci enim fluorem, catarrhum uocauerũt. Coriza ab oßibus narium dicitur. Hæc est cum grauedine & constrictione narium, cum fluore oris tenui aut crasso, cum sternutationibus aßiduis, & odoratu difficili

difficili, & oculorum lachrymatione. Bronchos à præfocatione faucium dicitur. Fit autem cum pruritu & titillatione faucium, & uoce obſcura, & ſternutatione aſsidua, & glutiendi difficultate. Catarrhũ ex hoc apprehendimus, ex grauedine & constrictione narium, ut neq; odorare, uel anhelitum reddere niſi per os queant. Cum fluore tenui, aut craſsi & uiridis humoris continuis ſternutationibus, atq; pruritu frontis & frequenti conamine delectationis emungendi. Aliquoties aqua quaſi ſinapin, aut cepulas manducantiũ per nares egeritur. Aliquando pars una capitis ex ipſo impetu condolet. Quod ſi in uiſcera deſtillet, percutiens ſtomachum tuſsim uel nauſeam prouocat. Si uero in pulmonẽ uenerit, tuſsim creat cum ſpumoſis ſputaminibus. Aliquibus cum raucedine & thoracis grauedinem facit. Quod ſi ſanguinem expuerint, ad tuſsi m uenıunt, & tabidi moriuntur.

Cura.

Omnis cura capiti adhibenda eſt. Illud uero ungatur ex oleo irino, aut camomillino, aut cyprino, aut anethino, aut rutaceo & collum thoraxq; acopo termantico, & plãtæ pice liquida ungãtur. Capiti lana ſuccida apponatur, balſamũ auribus inſtilletur. Optarmicũ uero ex puluere pipis, euphobrij, malãtij, iris, illiricæ rutæ cymini toſti, pulegij in linteolo ligato naribus apponis

prouocãdo

prouocando sternutamẽtum: hi sorbiles leuesq; cibos accipiant: hæc corizæ & broncho fieri conueniunt. Sed præter hæc bronchos arteriarum gargarisma & electuarium liniens asperas fauces & aperiens quærit. Præterea catarrhum patientibus si tußis dura fuerit sine sputorũ fluore, merum calidũ dare debemus. Et si non febrit, tres ficus siccas & assas cum pulegio & pipere trito comedendas dabis, aut oxymelle, siue elixaturam fœnugræci, uel hyssopi in mulsa cocti. Itẽ uinũ albũ & mel decoctionis rutæ, pyrethri, pipis potui detur. Itẽ gargarismi fiãt, quibus phlegma & rheuma foris prouocentur. Item electuarium ex irei radice sicca & hyssopo, aut thymo simul æqualiter tritis & cum melle mixtis ieiuno coclear I. & post cœnam unum dandum est & sternutamenta prouocentur. Cibos leues & sorbiles accipiant. His causis siue singulis, siue coniunctis sic subueniendum est.

De Vua Cap. XIX

Vua aliquoties ex catarrho tumescit, aut inflatur plerunq; ex sanguine, aut ex humoris abundantia, & in faucibus laxatur, suis clausis foraminibus: forata enim est ut mamillarũ capita, humor retinetur, cuius pondere cogitur iacere. Quæ primo distillando tußiculam facit, at si frequenter destillauerit, ad perniciem deducit.

Cura

Cura.

Illa uero quæ tumet & rubet, debet siccari. Quæ autem est pānosa tenuis & liuida & longa, cum summa diligentia incidatur. Post ex pusca frigida gargarismus fiat. Non autem à radicibus incidatur, ne forte cicatricem non faciat, neq; bene paragorizet, sed apertis foraminibus aßidua distillatione pulmonis pinnulæ uulnerentur atq; infirmentur, & phthisici ac tabidi patientes moriantur. Si uero intumuerit, uel in faucibus iacuerit, & fauces ustulauerit, uel linguam, hæc cura subueniat: Palmulas caricásue coctas in mulsa gargarizet patiens. Quod si tußierit, & omne os eius rheumatizauerit, caricas, rosas, furfures triticeos, hysopum, thymum, fœnugræcū, pulegium, lenticulam ex æquo in linteolo ligata coque, & ex eorum elixatura fac gargarizare, & ieiunis tepidam bibere dabis. Quod si uua iacuerit de anthera puluere eam leuato, aut huius pulueris confectione. Corium granati siccū, ballaustias, sal tostū ex æquo tere, & cribra. In coctura faucīū uel uuulæ puluis iste non cōuenit, ne sua uirtute plus coctura duret. Cibi leues & sorbiles dentur.

De Arteriacis. Cap. XX.

ARteriaci sunt quibus dentes rheumatizant cum asperitate gutturis interius, & quando excreant asperitatem faucium quasi aliquid

quid illis in gutture adhæreat sentiũt, aut uox eorum secundum naturam clara nõ fit. Sequitur modica tussis cum coctura faucium interiorum. Aliquãdo excreant phlegma spissum, & tarde redditur. Aliquando solutum proijcitur. Modica febris cum macie corporis sequitur. Paßio hæc ex humore capitis fit.

Cura.

Curantur autem sic: Leues & sorbiles cibos accipiant, farina quoq; aut similia tenuißima cum melle cocta danda est: Lac caprinum cum melle ieiuni sorbeãt: cerebella & minores carnes coctas in uino dulci manducent, & uinum granatæ bibant ieiuni, tepidum gargarizent, aut diamoron, aut diacodion, aut de penna fauces ungantur. Item pro arteriarum asperitate rosarum flores siccos, aut mala cydonia matura in aqua cocta, aut sapam ubi coxeris pulegiũ gargarizent. Item dragagantum in melle infusum tere cum nucleis, & addito melle despumato quantũ sufficit, dato coclear I. transglutiendo mane & sero, per triduum ad mansionem: Quod si cum febribus hos rheumatizaueris, capiti est diligẽtia adhibẽda, quod ad preßũ tõdeatur, ut omne rheuma desiccetur. Oxyrhodino caput infundatur, æstate frigido, hyeme calido, aut purum oleum secundum qualitatem temporum infundendum est.

De Synanchia. Cap. XXI.

SYnāchicorum causæ duæ sunt, quas sic intelligimus: Vna est quæ in faucibus nascitur, quæ facile apparet. Alia in gula, & difficilis est ad uidēdum. Sed eius quæ in faucibus nascitur, quæ etiā periculosa nō est, signa hæc sunt: Tumor magnus & rubeus ore apto apparet. Anhelare, glutire, bene loq̄ nō poßūt, præfocatiōis causa quā patiūtur.

Cura.

Cura eorum talis est: Diaclisma, uel diamorō, uel gargarisma sic facis: Folia rosæ siccæ, lenticulā, dactylos in succo moræ coques, & mellis coclearibus 3. additis, ex succo ipso gargarizent. Item paßi calicē plēnum, & liquiritiæ semi unciā similiter teres, & addita aqua decoctionis caricarum, inde aßidue gargarizent, & extra hoc cataplasma, scilicet pollines fœnugræci, & hordei pari mēsura in mulsa coctos, plagellis apponimus.

De secunda specie, Cap. XXII.

ALtera synanchis species est, quæ in gula periculosa nascitur, eius signa hæc sunt: Tumor in gula & collo nascitur, pene non loquuntur, uel anhelitum reddunt, ceruicē torquere, ut

umbilicum

umbilicũ sibi uideant, uel inclinare non possunt. Hàc causam Hippocrates non synanchen, sed scinanchen appellauit, cui si non continua medicina subueneris, tertia die præfocãs occidit. Hæc etiam causa in æstate magis fit periculosa.

Cura.

Si iuuenis fuerit phlebotomandus est, & uenæ quæ sunt sub lingua scarificentur. Clysterizabis uero uiscide ex hoc, id est, aqua, oleo, melle, sale, nitro, aphronitro simul mixtis. Guttur, scapulas, & pectus de caricis in aqua elixatis, & semine papaueris agrestis, & pollinibus hordei, & fœnugræci calide cataplasmabis. Coriũ maligranati in aqua infusum, & lenticulam alexandrinam cum terra sua, & omphacium simul coques, & exinde gargarizãdum dabis, si bibi posset melius. Item paßi partes duas, & mellis unam mixtis, ibiq; hyssopo, & hypocystide, et caduca maligranati, & rore syriaco decoctis gargarizare, aut bibere si potuerit dabis. Antidoti diacodion simplicis coclearià dabis 2. mane & sero, quotidie, & trochiscos andronij in passo solutos ei bibere dabis, uel gargarizare, & ex mulsa uel melle solutis, cũ penna loca perunges. Diacrisma ex hirũdinibus tale facis: Hirundines maiores cũ plumis suis in

urceolo qui focum ferre poßit includis, & pulueri earum in furno combustarum mel despumatum admiscens loca cum pennis perunges, quæ si minus ualuerint, inter scapulas sanguinem tollis.

De tertia specie Synanches, Cap. XXIII.

Synanche dicta est à præfocatione, quia synanchis græce præfocatio dicitur. Synanche est difficilis translatio spiritus, & præfocatio acuta, cum ualido impetu circa ingluuiē, sunt autem duo genera synanchicorum. Vnum cum tumore, alterum sine tumore. Hoc enim aliter diacosin possumus dicere: Ergo cum diacosin tōsillarum & uuæ, & epiglottidis est, id est, bronchi, & eius summæ partis, quam latine gurgulionem dicimus. Nihil sine molestia transglutiunt. Præfocatio modo impetum sequitur, quam Græci dispnœam dicunt, nausea est illis, quasi qui conantur reijcere, & nihil possunt. Qui enim hæc patiuntur, si quis eis os aperuit, & linguā eorum digito compreßerit, potest cognoscere utrum cum tumentia, aut sine ea sit. Si quando autem paßio per diacosin creuerit, saliuam in modum puris proijciunt, oculi eorum foris uersi prominent, & sanguinei fiunt, uenæ tendūtur. Quod si adhuc interius uer

gat

gat paßio, excreſcit tumor ultrà dentes, lingua fauceſq; ſiccãtur, ſummæ manus plantæq; frigeſcunt, pulſus paruus, aut pene nullus eſt. Inuiti iacẽt ſupini, aliquando in lateribus dulce eſt, ſed dulcius eſt illis aßidue ſedere. Vox atq; ſermo incondite fertur, & cum dolore, & cum ad mortẽ uergunt atq; periculũ, liueſcit eis facies, uox ſubtrahitur, oregmon malum patiuntur, quæ bibunt non traijciunt, ſine pulſu inuenitur uena, quam Græci† affixiã dicunt. Sonum quidẽ ſubtilẽ reddunt, quidã & ſaliuã agunt, & in hoc mors & præfocatio. Verũ altera huius præfocationis ſpecies hæc ſigna habet: Gracilitatẽ uocis, ceruicis tenſionẽ, ut ante non poßint flectere ceruices tamenq; recte conſiſtunt eis partes, ex quibus facies conſtat, oculi concauãtur, frons corrugatur, color plumbeus, ſed et mœſtitia, & grauatio, & præfocatio eſt illis, dehinc mors: Quod ſi ignis ſacer in ceruice aliquandiu pmanens appareat, bonũ eſt, quia impetus paßionis exteriora petijt. Qui & ſi repẽte ſine ulla ratione abſceſſerit, nõ euadunt, quia intus medullas inuaſit. Quod ſi ultra modũ phlegmata ſaliuaſq; agãt in principio, malum eſt, quia conſtrictio & præfocatio in fine bonum, quia laxatio oſtẽditur. Sæpe pro nimiæ ualetudinis impetu, fauces eorũ quibus cõtingunt, cancerantur. Itemq; anthereon & ipſum guttur locis interio-

† Aſfoxiā.

ribus. Omnibus manifestum est hanc paßionem esse de instrictorijs acutam, sane aliquando continuam, & aliquando ex interuallo agentem.

Cura.

Curantur autē sic: His qui constrictura laborant, cataplasma imponis in anthereon, aut in ceruice, & si febris non est cucurbitentur, aut phlebotomentur. Quod si uolentes traijcere aliqua non potuerint, aqua mulsa adhibenda est usq; ad declinationem. Et cataplasmata quæ apponuntur non frigida, sed calida sint, & saccellos furfureos in aqua, & oleo decoctos, aut uesicā in oleo calido impones, aut quæ aperiant, & hos calida pusca sub mento diutius foues, aut pyriasin ex calida ori et naribus applicabis. Deinde gargarismata laxatiua quæ aperiant, aut hydroleō, aut mulsa, aut lac cum melle, aut diamoron adhibeātur, seu ex his de penna fauces illiniantur, uel cum calida mixta gargarizent, aut ex gallæ puluere cū melle de pēna extra linies. Si tumor in faucibus erit, creta, aut acatia cum aceto trita de penna linies. Item gargarisma ad idem. Farinam cum furfuribus, & liquiritia, fœnugræcū, & lini semen in mulsa coques. Quod si nimius tumor fuerit, passum cum mulsa addes, aut cum succi maluarum decoctione. Ros syriacus, & adianthum, & pingues dactyli, & ficus aridæ co-

dæ coquantur, foueanturq́; manus & pedes, & melotida lana ligata, ut solemus auriculæ facere, fauces tegantur, post mulsam gargarizent. Quod si maior impetus est, & tonsillarum, & palati loca angusto scalpello scarificanda sunt. Post scarificationem leuioribus gargarismatibus utendum est, ex melle & lini semine, & fœnugræco decoctis, aut malua in mulsa decocta. Item uuam passam, nucleos tostos, lini semen tostum in passo, aut melle decoque, & mixta ut electuarium dabis, Post dimißionē gargarizare aptius est, ut caput purgetur. Ante omnia phlebotomentur, & ad uentrem accipiant catharticū: & quicquid de succo aut sorbilibus fit, aut pultes leues in mulsa coctas dabis: & in remißione porcinum cerebrum, & agninū offeres, salsamentis & acrimonijs omnibus abstineant. Vtendum est aut cerotarijs de oleo dulci, aut cyprino, aut glaucino, aut irino, aut malagmate diaquilon, aut alijs cerotarijs.

De Vocis debilitate. Cap. XXIIII.

Debilitatur uox, aut p clamorē, aut per frigus, aut p æstū nimiū, aut ex ardore febriū fauces exasperātur, & inde feruorē patiuntur, & anhelitus, & uox rauca, aliquibus cū tußi

 fit,

fit, ex catarrho pulmonē percutiente. Si autē ex ſynocho, uel ſine tuſsi fit raucedo, tarde digeritur, ut clarū ſonet. Aliquibus recētes frigidas bibēdo cōtingit.

Cura.

Patientes cibis leuibus & ſorbilibus utantur, & infuſio capitis ex oleo anethino fiat, & lana deſuper operiatur, & uaporatio fomēti ex aqua calida cum ſpongijs, ſaccellatioq; thoraci fiat, & lana cooperis, ſi tuſsis non fuerit balneis utantur, & dragagantum aut olibanū, aut liquiritiæ ſuccum ſub lingua teneant, humorē ipſum glutiant, & gargarizent mulſam, ubi palmulas, aut caricas pingues, & albas, cantabrum, roſam, hyſſopū coxeris, & mane proijciatur & ſero, per triduū mulſam decoctiōis liquiritiæ gargarizēt, & quod fluit ab ore proijciatur. Odores uero bene olentes naribus apponātur, & optarmicis uti debēt. Quod ſi febris non fuerit, & ſuffocatio maior, phlebotomentur, & poſt accipiant electuariū ex ſemine lini, ſiſeleo, nucleis amygdalis toſtis, uua paſſa enucleata, cum melle tritis, et uomitus ex raphano prouocetur, & ex hiera dialocynthida purgētur, ante bichicum, aut catapotia ad hanc cauſam cōfecta accipiāt.

Garioponti libri primi finis.

GARIO-

GARIOPONTI MEDICI VETVSTISSIMI LIBER SECUNDUS,

CVI HAEC INSVNT.

 De lipothy

Quoniam.

QVoniã primi libri serie capitis sibiq; adiacentium paßionem recte ordinauimus, de his quæ supra diaphragma contingunt, in secundo disputantes in primis de tußicula dicamus, quia & à superioribus, & ab inferioribus nequit disiungi. Quæ ideo superiorum ordinem non tenuit, pro eo quod sæpius ab inferioribus causam trahit, sicut post euidenter apparebit. Hanc quoq; communionis causam pulmonis uitia sequũtur, his paßionibus sequentibus phthisici fiunt.

De tussicula, Cap. I.

TVßicula igitur aliquibus sicca uenit, aliquibus humecta & cum pluribus plegmatibus, aliquibus cum anhelitu & suspirijs, aliquibus cũ sanguinis sputo, uel reiectione, alijs tusses ueniunt, & tabidi moriũtur. Qd' maxime tußi exagitãtur synãchici, pipneumonici, empici. Tußis humecta fit ex capitis humore, aut de catarrho, aut ex faucibus, uel gutture rheumatizãte in pulmonẽ. Sicca uero tussis fit in pipneumoniacis, & pleureticis, stomachicis ex diaphragmate uel tẽsura, ex duritia hepatis, et fauciũ rheumatismo, uel ciborũ acredine, & salsa comestione, uel

ex frigido

ex frigido potu, seu ex puluere, aut ex fumo, aut uino, aut odore non bono, siue ex sanguinis abundantia, cũ uena intus crepuit.

Cura.

Curantur autem sic: Iacere debent in domo lucida & bene olente, & si soluta fuerit tußis, accipiant electuarium quod eos constringat, quod sic conficitur: Recipe hic lini seminis tosti drach. 8. sinapis seminis unc. 1. pulegij sine fumo drach. 4. nucleorum tostorum unc. 3. cymini tosti drach. 16. amygdalas tostas 30. uuæ passæ albæ enucleatæ grana 100. mellis despumati quod sufficit detur secundũ uires. Itẽ aliud. Piperis grana 30. baccarũ lauri 15. grana, ireos radicis siccæ unc. 4. thymi unc. 1. mellis quod sufficit dabis cochlear. 1. Quod si rheuma plus fluxerit cum tußi, oxymel, oxyporũ, diacitoniten accipiant, ut phlegma frigidum incidant, & calefaciant, dinufragia, & salsamenta, cibos thermanticos comedant, uel conditum bibant, & potiones meracas accipiant. Item contra solutam tußim. Mel diutißime coctum admixto gummi confice, & ad oliuæ magnitudinem dato transglutiendum, & omnia constrictiua adiutoria, aut trochiscos diaspermaton, aut catapociæ bichica dabis ad mansionem. Quod si lõga fuerit tußis & promiscua, id est, modo sicca, nunc uero soluta, antidotum bichicon

con, Asclepiadeum accipiant hoc: Recipe piperis, rutæ siccæ, ireos, hyssopi, sinoni, thymi, opij, myrrhæ, tere & cum melle mixta mane secundum uires dabis ad mansionem. Quod si tussis fuerit sicca, & ex uisceribus fiat sine sputo sanguinis, stomachus curetur, & accipiant apozima, aut origani uel hyssopi uel radicis iris illiricæ, aut rutæ in mulsa coctæ: Quod si cum uomitu, oxymel, si cum anhelitu, fœnugræcum in aqua coctum addito melle accipiant. Quod si cum dolore uel tensura, hyssopum, ireos, thymum, ex æquo tere, & cum melle mixtis coclearia singula mane uel sero dabis. Cibos, oua sorbila cum pipere trito, aut rore marino tosto, aut ptisanæ succum cum melle dabis. Si uero antiqua fuerit tussis, thoracem ubi pulmones sunt saccellare debes, & ungere ex aquopis thermanticis, & ficus siccas assas comedant ieiuni, & catapocias bichicas ternas post cœnam inglutire dabis, quas sic conficis: Myrrhā, castoreum, galbanum, opiū, pip, storacem, ex æquo tere, cum aqua ad orobi magnitudinem forma. Electuarium diaprassiū dabis, aut diascylles, cuius hæc est confectio: Castoreum, prassium, cardamomum & piper ex æquo trita cum melle misce, & da secundum uires. Cibos humidos leues & digestibiles accipiant.

De Signis

De signis Hæmophthoicorũ, Cap. 11.

HAemophthoicorũ signa sic intelliges: Sãguinẽ reijciunt, sed iactatio sanguinis nõ una est. Aut enim de capite, aut de faucibus, aut de gula, aut de arteria, aut de uena si rũpatur, aut de pulmone, aut de thorace, aut de stomacho, uel de uentre sanguis exiens has facit diuersitates. Sanguine de capite uenĩete tußis grauis est, sputũ sanguinis mundißimi, uua super linguã iacet, uel solito amplius dependet, & uomitũ eis prouocat, titillatiões faciẽs. Si de faucibus fertur, sine tußi sanguinẽ expuunt, nõ uomunt, tumẽt ambæ fauciũ partes, & sanguineæ inueniuntur, & inglutire non possunt, & nihil calidũ traijcere. De brõcho, id est, gula sanguine ueniente cum tußi titillationes patiuntur in gula, & sanguinẽ cum maiore parte phlegmatis expuũt, ut plus phlegma sit quã sanguis. Dolor in gula extra sentitur, & manu tacta dolet. Pulmonũ sanguis mũdus est & rubens, spumosus & largus, sine tußi, & sine dolore. Sanguis thoracis est non sine tußi, cũ dolore ingenti, & uomitu eiusdẽ copioso, & ambas mamillas dolor perurget, quia uena thoracis aliqua crepuit. Ventris & stomachi sanguinem, ex huius uomitu abundanti, & nigredine cognosces sine tußi assidua, nausea, & sanguinem aliquoties reijciunt.

Cura

Cura.

Curationis hæc est ratio: Puscam primũ dabis ad gargarizandum, si ad paßionis locum gargarizando peruenire poterit. Aliquando sanguine ex alto fluente bibẽdam dabis puscam, & trochiscos diacoralliũ, & de penna oxymelle loca ipsa sanguinis si tãgi possunt, curabis. Si de gula fuerit, ita curabis: Spongiam frigidam cum sale & pusca extra apponis, antidotumq; philonium dabis bibere, & uinum myrtinum utiliter datur, & omphacium in melle datum prodest. Si de pulmone sanguis fluxerit, cauendum ne puscã bibant, sed succum arnoglossæ bibendum, & hypocystidos succum, & gummi, uel cyminum cum amido solutum in aqua frigida dabis, aquam enim ubi sentix & myrta fuerit infusa atq; cocta bibere dabis, quorum lateri dextro acetum & oleum roseum frigidum cum lanis apponis. His uero simplasma tale facis: Gummi solues in aqua, ex qua pectus & totum latus dextrum perũges, & sic amidi, gallæ roris syriaci, plantaginis seminis & myrtæ siccæ, aloës & omphacij puluerem superspargis. Omphacium, suprascriptum sic confice: Acinis acidis expreßis carnes ipsas & nucleos siccos tũde, & in puluerẽ redige. Thorax sanguinẽ emittẽs sic curabitur: Pusca frigida & sale & spõgijs maioribus pectus fouebis, ac puscã sine sale bibere dabis.

Iuuenem uero phlebotomabis, & teges totum pectus medicamine constrictorio, id est, emplastrum, Barbara illi addito stercore canino, secundum disciplinā quæ in Dinamidijs est. Stomachi & uentris sanguinis quia signa non diuidunt, eadem est medicina. Misce uero gisamias, id est, terra, scilicet gisasteros, amidū, succúmque hypocistidos & puluerē omphacij et dragagāti in pusca, & dabis bibere. Item lenticulæ in aceto coctæ succum bibant. Item aquam decoctionis omphacij, mellis cytoniorum, myrtæ, senticis, & siliquæ Græcæ bibāt. Item pusca solutionis acaciæ pectus & uentrem perunges, thurisq; masculi & lemniæ & coralli & aloë & electri puluerem supersparges. Omnes hæmoptoicos scias abstinendos à clamoribus, ab iracundia, à uenere & acrimonijs & fumo, omni impatientia, lectus eorum in terra sit, non pensilis & locis ubi iacent, aërem stipticum facies.

De eodem morbo Cap. III

HAemoptoici dicuntur qui sanguinem expuunt, uel reijciunt. Sed ptylesis dicitur quod spuitur uel excreatur: Hæmagoga quod reijcitur, cuius sanguinis tres sunt differentiæ: Eruptio, uulneratio, resudatio. Eruptio quidem est repentinus limpidi sanguinis fluxus nulla præcedente uulneris

cau

causa. Vulneratio fit ex humore prurulento cum sanguine non limpido, et tußicula plurimorum dierum. Resudatio uero fit ex nullo sensu uulneris, sed magis ex accepto cibo uel potu acrioris liquoris comprobatur fieri. Loca fluentis sanguinis hæc sunt: Guttur, fauces, pulmo, thorax, diaphragma, stomachus, uenter, & proxima loca, id est, caput, iecur, splen, uena maior, quæ spinæ est coniuncta. Sanguinem gutturis, id est, bronchos apprehendimus ex sputo ipsius sanguinis aquati, & parua asperitate linguæ, & apparitione ipsius uenulæ de qua sanguis effertur, atq; sensu mordicationis eiusdem loci, ac si gargarismum acrioris liquoris acceperint, à faucibus sanguinē ex paruo fluore ipsius, & tenaci humore, & leui tußicula sputis exclusis cognoscimus. Pulmo sanguinem proijcit plurimum, atq; aceruatum feruentem, rufum, spumosum, sine dolore, cum uehementi tußicula, & thoracis grauedine, & pulsu. Aliquando cum stridore pectoris, & uocis obtusione, & raucedine, & genarum rubore. Thorax hæc eadem sed paulò mitiora signa ostendit, cum dolore lateris, aut pectoris, aut spinæ mediæ utrarumq; scapularum, & non cum multo fluore uel spumoso sanguine. Diaphragma sanguinē proijcit cum supradictis signis excepto dolore. Hi enim inferius à pectoris dolore cinguntur. Ex stoma

cho sanguis exit cum plurimo uomitu sui coagulatus & niger. Aliquando purus, aliquãdo cum cibo attestante animi defectione cum corporis deiectiõe atq; fastidio, fluxuq; saliuarum, & membrorum frigore, pulsu paruo, & dolore utrarumq; scapularum, quod Græci metaphrenon uocant, magisq; si acrem liquorem biberint, statim morsum stomachi patiũtur, malfiunt, infrigidantur. Hæc paulo uehementiora à uentre quidem ferri sanguinem ostendunt. Plerunq; etiã per uentrem sanguinem patientes egerunt, cum dolore ac tormento, ac mordicatione præcordiorũ, quã do de proximis locis sanguis effertur, & ex inspectione oris atq; parotindæ uenæ apprehẽdimus, aut ex tonsilla uulnerata, aut ex gingiuis. Cæterum sanguinem uenire de capite cognoscimus ex faciei feruore, aut pallore, aut capitis grauedine & dolore, extensione narium, & titillatione eius partis qua sanguis fluit. Hic plerunq; dormientes inquietat, ut impleto ore atq; faucibus cum quodam excreatu putrido excludatur, aliquoties mundus, & si ad stomachum uenerit uel uentrem, non permittit ægrotantem quiescere donec uomatur, et accepto acri liquore nulla mordicatio loci sequitur. Si uero ab arteria uenerit excluditur tußicula, qua nec antea uexatus est, neq; excluso sanguine æger interpolabitur, qui de pulmone

proijci-

proijcitur signum est. Cum autem ab hepate sanguis educitur, dolor est capitis, & dextræ parti præcordiorum dolor est, color uiridis & arquato similis. Splen quando sanguinem emittit, in sinistra parte capitis uel præcordiorum dolorem, color est plumbeus simulq; lingua. Si ex maiori uena quæ spinæ iuncta est, sanguis uenit. Nãq; crepat ex multis uocibus, aut uino multo seu cibo, aut ex usu uenereo, uel nimio põdere, siue ex catarrho, uel nimia tußi. Tum sanguinis fit uomitus, aut cibi cum spinæ dolore, uultu uel lingua pallida, uel nigra. Si uero crepuerit in VII uertebro spinæ, fluatq; in stomachũ, per os ueluti cibus uometur. Si in pedem manúmue, uel caput, aut renes uenerit, paralysin facit. Si uero in pulmonẽ sanguis uenerit, occidit statim. De his omnibus malignum est sputum, sanguinolẽtum, ex pulmonum uenis, iecoris, quæ curari uix aut nunquam poßit, Hippocrate attestante. Sputa sanguinolenta maligna sunt.

Cura.

Medendi ratio talis est: In domo frigida, lucida, in immobili lecto iaceant. Nam si mouentur, uel irascuntur, uel clament statim sanguinẽ proijciunt, iuxta tẽpus adhibeantur flabella frondiũ, pãpini, myrrhæ,

aut calami cum aquæ aſperſiōe,ut omnia frigida ſint. Similiter coopertoria leuia adhibeantur, ne magis calefacti ſanguinem eijciant, quàm ſi ætas uel uires permiſerint, in initio phlebotomentur, quod maxime in omnibus doloribus uel pleureticis ſanguinem expuentibus,ubicunq; tumor apparuerit,inde poſtea phlebotomentur, & mulſam decoctam accipiant, interpolando remedij loco potius quā potionis. Qui ſanguinem ſputant ſordidis ex uulneribus emiſſum, medicaminibus purgentur. Si uero ex corruptura uenæ alicuius ſanguinis eruptio fuerit, puſcam frigidā aßidue bibant. Item ſamia quæ uulgo Græce giſaſteros dicitur, ex æquo adiuncto amilo detur, cum puſca frigida, aut cum ſucco arnogloſſæ, quæ latine plantago dicitur, cuius ſuccus cum puſca admixtus ſanguinē mire conſtringit, & ipſam quoq; herbam coctā addito oleo, aut myrrha comedant, & ſimphiti ſuccū, & puſcam frigidam bibant, aut hypociſtidos, & omphaco, & dragaganto, & alumine, et amilio, alijsq; potionibus conſtrictorijs utantur. Si ex pulmone fuerit, arnogloſſæ ſucco cum hypociſtide, & gummi, et amilo, & infuſione ſtoracis, & oxyrhodino in lana ſuccida utantur. Cibos accipiant conſtrictiuos, alicā coctam frigidam, & panem ſiccum, & uinum ſtypticum frigidum, & ſuccum ptiſanæ cum amilo, & ar-

nogloſſæ

noglossæ succum cum siseleo, & similium succorũ sorbitiones cum suprascriptis speciebus. Et oua sorbilia, & cerebella, & ungulas, & rostra porcellorũ accipiant, & potũ ieiuni aquã ubi cocta fuerint cytonia, aut palmulæ, aut thuriões utis, uel rubi comedenda ieiunis sunt, maxime cytonia cocta, aut assa, aut granati duri grana. Et epithima eis conficis ex cytonijs, & amilo, & thure, aloë cum ceroto myrtino. Detur ex lemnia frigida, aut trochisci diacoralli, aut dialectri, & alia antidota quæ scripta sunt hæmophthoicis, & cucurbita cum scarificatione apponatur pectori. Hæmophthoici in locis frigidis sint, uel locis apertis, hypogeis, à balneis, à clamore, ab iracundia, à uenere, à uomitu, à dimifragijs, à multo uino, à salsamẽtis, à puluere, à fumo abstineant. Mulieribus quoq; quibus eadem paßio menstruis non purgatis contingit, simili uirorum cura subuenitur.

De Phthisi, Cap. IIII.

PHthisin apprehendimus ex febre cum tußicula atq; excreationibus uarijs sanguinolẽtis, aut liuidis, aut purulentis, aut pro quantitate exclusæ arteriæ, cum corporis macie, attestante uirium debilitate. Aliquoties sicca tußi, aliquoties

soluta cum phlegmate, quandoq; cum catharrho patientes exagitantur.

Cura.

Curantur ex electuario quod fit ex hyssopo, ireo, thymo, ex æquo tritorum mixtorumq; cum melle coclearia singula dabis mane & uespere. Et uuam desiccent ex anthere puluere, & accipiant succum ptisanæ, & butyrum cum melle. Præterea sicut in sanguinis fluore diximus, curentur.

De Eodem, Cap. V.

Phthisis est paßio pulmonis periculosa & maligna ualde, sine ulla sanguinis sputatione. Nascitur aut ex rheumatismo gutturis, aut de aßidua instilllatione uuæ, aut ex catarrho multo tempore uitiato, & in pulmonem fluente, ueluti in dentium causa superius diximus. Fit autem maxime in ætatibus, ab XVIII anno usq; ad XXXV. Quæ si infra spacium unius anni curata non fuerit, commoritur. Ad hæc sequitur tußis cũ uarijs sputaminibus, nũc tenuibus, nũc similibus saniei, aut spumosis. Sonus etiã respirationis, anhelitus pulmonis, & febris lenis, & tabedo corporis, & fœtor oris sequitur. Solent quoq; & typicæ accеßiones aliquibus fieri.

Cura

Cura.

Plurimum eorum uirtuti diligentia adhibeatur, et ante uel post acceßionem febrium curentur, aut die inter diem cibẽtur ex sorbilibus cibis, & ante acceßiõ:s tempus fortißimos dato cibos, id est, pultes, oua, cerebella: ex uolatilibus gallos, capita pedesq; porcellorum, & hœdorum in ptisana cocta, & cum anetho & oleo alicam coctam, & aqua conditam, et gallorum testiculos, & uolatiliũ axellas columbarũ, & anathum, & cõchilia petrosa tincta in aceto, & cõdita ex pipere, anetho, libistico, costo, melliloto, & his similibus. Si sine febre fuerit, lac asininum, aut caprinum, statim mulsum, ne infrigidet comedant, aut bibãt. Si etiam lac de illis ieiunis animalibus, quia aliter post pascua lac eorum constrictiuum & desiccatiuum est, & duræ naturæ, conueniunt & his, & dimifragia, id est, acrimonia cocta, sicut est porrus, cepe, sinapi, & cætera, & confricationes totius corporis, plurimæ capitis, colli & thoracis. Omnis cura eorum desiccatiua sit pro rheumate hac causa fit electuarium diapipereos, aut diapraßij, & alia quæ calefaciant, et desiccent ad noctem accipiant. Aeque hyssopum in mulsa coctum, aut iris illirica potui dato, in aẽre bono iaceant, et deambulationibus mediocribus, & odoribus bonis

utantur. Obſcuro loco iaceant, in hyeme circa caput, & collū, & thoracē unctiones mordaces, quæ cutē ſi poteſt fieri exulcerēt, & epithimata quæ rheuma calefaciāt, & deſiccent adhibeantur, & ſi uires permiſerint; catharticis purgentur, & nouiſsima cura circa thoracem cauterizentur.

De Empimate, Cap. VI.

Empici ſunt quibus apoſtema fit in pulmōe, ſiue in hepate, ſiue in thorace, & ſi crepuerit, ſaniem per os putridam mittūt, uel reijciunt mixtā ſanguinē cum febre, & tuſsi, & macie, & dolor interdum latus eorū percutit. Et ſanies ipſa ſi ſuper carbones poſita fuerit putet, hæc ab hepate empicum oſtendunt. Ex pulmone empici albam ſaniem, & ſpumoſam eijciunt, & non cum tuſsi nimia, & ſine dolore, & ſine fœtore. Si uero ex thorace fuerit grauedinem pectoris patiuntur, & non excreāt, ſed uomunt purulenta, aut liquida & aquoſa, uentrem non faciunt, uultus eis tumet.

Cura.

Si ex hepate fuerit cauſa, mulſam ubi anethū, & ruta cocta fuerint dabis. Item crocum, & irim illiricam, & myrrham trocliten, & dragagantum infuſum in dulcore cum melle calice pleno æquali pōdere

miſce

misce, & da mane coclear 1. ieiuno. Hoc medicamen uulnus purgat, & inducit cicatricem, & si altum fuerit replet. Epithima quod eis tale fac: recipe ceræ punicæ, olei sicyonij libram 1. opopanacis, rutæ, urticæ, seminis baccæ lauri, galbani, eruginis, campanæ, lini, thuris radicis, maluæ agrestis, polij abrotoni, stercoris colūbarū, pyrethri, nitri, cacreos ana singulas uncias. Quæ sunt tundēda tundes, & cribellabis opopanacē & galbanū, in oxymelle infundes die & nocte, & teres, & extra cerā solues, & mixta cum plagellis ad loca unde res nata est impones. Hoc epithima omnibus empicis facies. Memineris autē præterea acetū, & galbanū, & opopanacē non esse mittendum in cocturam, sed in tritura omnia misceātur, ne causa aceti cera non fundatur. Si ex pulmone proijciūt, electuariū eis fac, quod recipit hæc: Gūmi, dragagāti in aqua solutorū unc. 1. nuclei purgati et aßi uncias 2. seminis lini aßi; aut urticæ drach. 1. croci unc. 2. mellis despumati quod sufficit. Nam & crocū aquæ infundes, & cum melle despumato mixtorū in mortario ieiuno coclear 1. dabis. Cibos tales accipiant: Lac caprinum quotidie bibant, olera quæ uentrem molliunt, uidelicet porros & pastinacam in aqua coctam manducent, & ius eorum sine sale coctū bibant, quia expurgat & replet cicatricē. Vini autē albi & uete-

ris non multum bibant, & succum ptisanæ ubi decocta sunt hyssopus & abrotonũ, & succum fœnugræci ubi caricæ coctæ sunt, bibãt. Datur quoq; mulsa decoctionis pulegij, hyssopi, & origani ieiunis, uel non ieiunis. Antidotum conficis eis diatrion pipereon, nõ quod phlegma siccet, sed quod purget uulnera. Omnes empici abstineant à lauacro, uel à salsis rebus, uel recente, & ab acrimonijs, & à leguminibus, & ab obsonijs, id est, conuiuijs. Sed olera suprascripta manducent, & succos memoratos semper accipiant, & in humidis locis & temperatis calore & frigore habitent.

De Empicis, Cap, VII.

Empici sunt saniosi cum repentina effusione saniei rum & febrium acceßione, & horroribus diuersis & inordinatis, cum pulsus erectiõis spißitudine, & tußi, & sine uirtute, febres autem leues, & frigidiores inordinatæ circa uesperum magis fiunt. Fiunt empici ab hæmophthoicis, plurimũ ex pleureticis, aliquoties ex ægritudine acuta, nõ bene discussa. Aliquoties ex febribus antiquis, aut ex frigore, seu ex plagis, aut põderibus, siue ex humoris acerrimi plenitudine, aut ex uino, aut ex fumo. Hi uero spißum habẽt pulsum, neq; dimißio humorũ fit,

neq; à febribus deseruntur, & de die in diem crescit passio Hæc passio raro infantibus contingit, uiris & mulieribus frequenter.

Cura.

Empicos ex pleureticis, ex eorum adiutorijs cura mus. Omnibus uero phlebotomum cum apoforesi cubito contrariæ partis doloris ad hibemus, tamen si uires permiserint, multoties locis ipsis dolentibus adhibeatur lana succida infusione olei glaucini, aut sitionij, aut ueteris olei ubi coxeris rutam, aut anethum, & circumligato. Si febris fuerit & nimius dolor acetum & oleũ imponatur adiuncto nitro. Post infusionem adhibeantur captaplasmata, & uaporationes ex semine lini, & epithimata. Iuuat autem panis in mulsa coctus, & saccellus ex milio & sale tosto, aut ex cãtabro calido apponatur, ut loca dolẽtia multum sudent, aut uesica plena oleo calido inuoluta linteo adiungatur, & cucurbitæ raptus diu constringat locum doloris. Postea cerotaria ex cyprino & rutaceo oleo confecta, & emplastra malactica, uel malagmata quæ ad ductionẽ faciant, ut sagapenũ, & diamasiũ, aut diariathus, & diasimicõ, quæ adducũt in superficiẽ apponito. Quod si duricies fuerit in superficie uel intus, quæ nondũ crepuit apostematis, ut maturẽt et deponãt, adhibeatur fœnugrecum & semen lini & resina mauri,

olibanũ

olibanũ ſimul cocta, aut thymũ cũ althεæ radice inductũ imponatur. Item folia abrotoni, pulegij, fimũ columbarum, nitrum, cacreos, pyrethrũ, ut priora apponantur. Quod ſi eruptio ſanierum non fuerit, oxymel potetur, & in oleo cataplaſmata cocta imponito.

Item ad diurnam duritiam ut prouocent ſanierũ ſqualorem. Cibos mellilotum & allia cocta cum ſale & anetho, ſorbitiones admixto pulegio & hyſſopo, potum qui ſtomachum calefaciat accipiant. Quod ſi eruptio ſanierum fuerit, ut bene purgentur, amygdalas amaras, nucleos, urticæ ſemen, lupinorum farinam tunſam, & melli mixtam accipiant. Cibos uero ptiſanæ ſuccũ, ubi coxeris fabam frixam, & ſi febris non fuerit ſinapin, & ſi melius habuerint carnes hœdinas, pedes & roſtra porcellorum, aures maxime eorum lactẽtium, quæ non ſunt duræ, neq; indigeſtiones faciunt, & piper comedant. Aliquibus autem & cepas & allium damus ieiunis comedere, ut orificium apoſtematis aperiatur, & non claudatur. Olera autem manducẽt, bletas, maluas, lapathium quia inteſtina mouẽt & purgant. Paſtinacæ autem & porri, aut ſparagi cocti urinam mouent, & ſtomachum non grauant, & faſtidium non faciunt, & poſt acceptos cibos poma accipiant mala cytonia in careno cocta, & granata cũ modico croco, et pira cocta, & acina cotonia degeſtibilia

non

nō multa, & uulnus purgetur, & claudatur sinus eius, orobum coctum sicut cicer damus, & succum eius, ex lacte potato cauterizamus circa thoracem, ne collectio iterum fiat, quia illa causa nutritur ex aqua nimia potata uel uino. Ideo pro indigētia ciborum uel potus aquam cū nitro aut sale bibant, ut uomitum prouocēt. Malagma in thorace ponatur ex stypterca, sursure & bitumine & malactica. Electuaria quoq; diuersarum uirtutum quæ eos purgent, & carnes de siccē t. In dimißione dimifragia, id est, cepulas & alliū & sinapin accipiant. Bulbus quidam coctus cum melle tritus & comestus uulnus conglutinat interius, & exercitatione utantur.

De signis empicorum, Cap. VIII.

Empici siue saniosi apprehendūtur ex antecedentibus signis, quæ in interioribus collectionē denunciauerūt, id est, ex dolore magno, cū febribus & horroribus inordinatis, et cū sequenti repentina sanierū effusione soluuntur, et cum pulsus erectione. Item empici fiunt ab hæmophthoicis. Nam phthisicis non est repentina effusio sanierum. Febres etiam incremento temporis acriores efficiuntur pulsu crebro cum illorum dolore. Empicis autem repentina effusio est sanierum cum febrium aceßione. Apostematum collectiones fiunt interius, aut in medio la-

litere, aut in thorace, aut in pulmone. Ex collectione sanierum scissura fit cũ grauedine & febre & tussi, corporis macie & sine uirtute. Quod si eruperit empici erunt, & expuendo sanguinem egerunt. Fiunt empici plurimi à pleuretico, aliquoties ex ægritudine acuta non bene discussa, aliquoties autem ex febribus antiquis non discussis, et usq; in hoc deducentibus. Commouẽtur autem ex frigore aut plagis, aut põderiibus, & humorum plenitudine acerrima, aut ex uini liquore. Quorum signa communia sunt omnibus, id est, tumores in collectionũ regione. Sequitur autem eos (ut diximus) febris lenis, & rigor inordinatus, uespere magis factus, & dolor pulsans. Eruptio autem humoris aliquoties sursum per pulmones fertur, & ex thorace aliquoties autem per intestina inferius collectionis digestiones fluunt. Aliquibus autem in uesicam plenitudo ex renibus facta apostematis cadit. Aliquoties en eodem loco ubi nascitur, maturat & crepat. Significatur autem apostema factum ex tussi & anhelitu. Omnibus empicis spissus est pulsus, & neq; dimissiones humorũ sunt, neq; febres desinẽtes. Euenit hæc passio uiris & mulieribus frequẽter, raro infantibus.

Cura.

Cura aũt utimur sicut in pleureticis diximus, quia aliquoties

quotiesprolongatur, aliquoties abbreuiatur. In initio autem eorum detractione sanguinis utēdum est ex cubito contrariæ partis dolentis lateris, ꝑ plenitudine & grauedine detractio fit quæ sufficiat cū apoforesi.

De peripneumonia, Cap. IX.

IN multis locis apostema fit, præ omnibus uero periculosum est quod in pulmonibus fit, quæ dicitur peripneumonia, quæ est acuta paßio, quæ cito occidit. Quia pulmo semel uitiatus uel incisus, uel ruptus curari non potest ꝑpter incessabilē spiritus eius motionem, & exinde cognoscimus ex pulmonibus esse quando sanies & spumas proijciunt diuersas liquidas & fœtidas, & ex raucedine uocis cū tußi forti, & genis rubicundis. Albores oculorum lucidi fiūt uel albi, & in circuitu palpebrarum extensio, & præ dolore pondus est in thorace. Hoc leue iudicamus quando sanguinē proijciunt, & à pōdere leuātur.

Cura.

Vti ergo debem9 in thorace cataplasmate de hyssopo et abrotono, et ficorū elixaturā potui damus. Si uētris solutio nō fuerit, potui mulsā decoctiōis pulegij aut hyssopi aut origani, et mel coctū, et pultes, et sorbitiōes mellitas

& cum

& cum cocto melle puluerem ireos dabis, & pro purgando uulnere lini semen tostum & nucleos, & terebinthinam tritam cũ melle ad oliuæ magnitudinem ad mansionem glutiendam dabis. Iuuat autem eos dia piperion antidotum ad desiccãdum rheuma, aut diaorobum, & crocum cum melle, & alia secundum uires quæ empicis scripta sunt. Cibis debent uti empici sicut phthisicis exposuimus.

De signis peripneumonię, Cap. X.

PEripneumonia ex ipso qui patitur loco nomen accepit, quia pneumon græce, latine pulmo dicitur. Cuius hæc signa sunt: sit dolor totius thoracis, et maxime ex parte sinistra supra mamillam grauiter pungens, ascendens ad scapulas per ipsum latus. Febres acutæ & anhelitus nõ desunt, frigida quærunt, & tussiunt minutatim & dolor percutit thoracem. Pulsus eius ingens & spissus est, & quod excreatur rufum & spumosum est, uultus eis rubet, & maxime genæ tanquam in sole uel ad ignem, & facies eius nitida & gracilior & dentior ex ipso rubore, & non possunt supini iacere, sed magis se tolerant sedentes, & frequenter se uersant uel agitant. Hæc signa ostendunt tumorem calidum & igneum esse in pulmone. Sed patientem interrogare debes, quid primo fuerit passus. Nam ante tumorem signa suprascrip-

ſupraſcripta naſcũtur. Infantibus igitur & mulieribus quàm plurime hæc cauſa contingit, eo quod in humido et calido corpore hæc cauſa naſcitur, ſicuti ipſi ſunt. Adoleſcentibus contingit uſq; ad XXV annũ, & periculoſa eſt ut uix euadant. Fœminis uero poſt hoc tempus, aut non naſcitur, aut ſi nata fuerit, nec grauis eſt, nec periculum facit, quia facilius curantur. Concipitur quoq; hec cauſa quando tẽpus calidũ & humidum fit, & ex catarrho acri, & ex pleureſi recedente. Quæ cauſa poſt XIIII dies ſi non tuſsierit patiens, & ſaniem non excreauerit, cito curabitur. Alioquin XXI diem curandus expectat. Quem ſi cum his ſignis tranſierit, deſperatio eſt grauis, & mors non dubia.

Cura.

Embroca adhibenda eſt ex oleo & uino calido, & lanis mollibus fortiter uaporabis, maxime partis ſiniſtræ omnẽ thoracem, quæ uidelicet facias per triduum. Item cerotum ex cæra et oleo cyprino, & ſinapi trita factum cum plagella impone, & uentoſa ſupra thoracem uel ad loca dolentia impoſita magnum adiutorium eſt. Eſcas tales dabis: Oua ſorbilia, ſuccumq; ptiſanæ, aut alicæ mellis deſpumati quippiam habẽtem, et mulſam ubi ruta, aut amygdalæ amaræ, aut hyſſopus, ſeu origanum, ſeu poligonium excocta

ſunt, ieiunus quotidie aut quoties petierit bibere, ſi fieri poteſt patiens bibat. Nam & ſuccus ſolus poligonij datus bene iuuat. Item abſinthium ponticum in aqua coques cum iri illyrica, & hyſſopo dabis ieiuno, uel quoties bibere uoluerit. Item rutæ folia, urticæ ſemen, dragagantum in dulcore infuſum, & mellis deſpumati quantum ſufficit miſce, & dabis ieiuno coclear unum.

De Peripneumoniæ cauſis, Cap. XI.

PEripneumoniam multæ cauſæ faciunt, uidelicet pleureſis, pigmentorum aßidua bibitio, aut uini, & aßidua acceptio antidotorum, quam græci bichicon appellant, id eſt, ad tußim compoſita, uel aliorum ſimilium his, præcedente etiã catarrho & coriza. Eſt autem peripneumonia conſtrictio ualida pulmõis cum paruo fluxu, & cum quadam liquorum reiectione. Quam cauſam qui patiuntur, grauedinem pectoris, & dorſi, & laterum ſentiunt, cum in lateribus iacent præfocantur. Supini ſemper iacent, uel recti ſedent, facies rubore perfunditur, albedo in oculis quaſi relucet, uelocem ducũt ſpiritum, tußiunt, expuunt bilioſa, ſanguinolenta, ſpumoſa,

mosa, inspirare uix possunt. Frigidum anhelant, & multo cum impetu bibunt. Assidue siccum habent os, lingua est aspera, primo alba, postea nigra, uel liuida, uel rubea, & ubi addiderit se causa, pulsus est ualidus, uelox, spissus, iacientes se huc & illuc, parum dormiunt, pectus humidum habent, uibrantem spiritum, ceruix subtumida fit. Oculi nigri, uel nebulam, uel caliginem patiuntur, delirant, frigescunt plantæ uel manus, tardus fit motus linguæ eorũ, sudor in superioribus partibus fit. Pulsus uenæ eorum non comparescit, non possunt aliquid recte proferre. Itẽ pulsus ueluti formicitans, in postremo autem periculo & oregmon patiuntur. At ubi ad melius uertere se cœperint, releuatio est, & febres non sunt, dolor & anhelitus relinquitur. Ideo cognoscimus pulmonem esse uitia ex pleuresi uicina.

Cura.

Iacere debẽt in lecto nõ frigido, cucurbitã s̄t altiorẽ locis dolẽtibus apponimus. Si febres non sunt, nec fluxus uentris, phlebotomentur, iterum accipiant ptisanæ succum, uel alicæ ex melle despumato confectũ, aut elixaturã iris, aut hyssopi mulsam accipiant, panẽ & oua sorbilia, dehinc cataplasmari iubemus, pectus et dorsum, et accipiãt electuaria, quæ pleureticis danda sunt. At ubi febres desunt, utantur cibo uario,

& stomachus, pectus, dorsum ex uino foueatur. Hinc utantur epithemate diacerotario, deinde malagmate, sic curatur peripneumonia.

De Asthmaticis & suspiriosis, Cap. XII.

Asthmaticis et suspiriosis semp molestissima querela pulmonum est. Pingui enim frigidoq́; phlegmate pulmoni adhærente cauernæ, uel meatus quibus naturalis spiritus accipitur uel redditur, concluduntur, alijs ex hoc impedimento suspirium, uel anhelitus molestissimus nascitur, ut sedẽdo magis facilius quam iacendo respirent. Hoc ergo præcedente nascitur molestissima passio, quam patiens magis sedendo quam iacendo respiret. Hyeme senibus hoc uitium familiare est. Contingit aliquando etiam medijs ætatibus adhuc calidis.

Cura.

Phlebotomo hanc passionem liberare necesse est. Tamen etiamsi phlebotomo certa ratione prohibemur, tunc ieiunijs continuis & frequentibus inuicem detractionibus sanguinis uti conueniet. Proderit etiã potandi cõtinentia. Proderit & cibus cum oxymelle, & pipere temperatus. Dato item hyssopi, aut origani

origani, aut rutæ uiridis, aut absinthij, aut iris illiricæ, aut calamenti decoctionem ex mellicrato calido. Dato etiam confectiones & eclegmata cōmoda suspiriosis ex his confecta, & guttam ammoniaci tritā cum oxymelle dare conuenit. Abrotoni puluis similiter operatur, commodius autem castoreū. Vua passa enucleata cum fœnugræco, & ruta uiridi cocta frequenter danda sunt. Sunt etiam trochisci magna approbatiōe diuulgati, qui conficiuntur ex aniso, sulphure uiuo, ammoniaco, castoreo ex æquo tritis, & cum aqua mixtis, quos tritos cum oxymelle dare conuenit. In primis calidum cubiculum in superioribus procurandum est. Relaxandis enim corporibus & liberandis à conclusione semper sunt inferiora contraria. Lectus eorū orthocatimenus procurādus est, ut uideantur potius sedere quā iacere. Pectus eorum calidis unguentis & uaporibus defricandum est. Cucurbita continuo cum detractione sanguinis adhibeatur. Proderunt per interualla anethica adiutoria, etiam dropaces proderunt, hyssopismus & aërum mutatio, peregrinatio loci longior iuuat. Vomitus ex radicibus cum oxymelle, exercitari, currere cum uestibus laneis prodest. Quā maxime si ex hoc in procliuitate procurentur: utantur emplastris circa pectus asthmaticis cōfectis ex nitro, pipere, & abroto

no, & castoreo, & cyprino, & laurino cerotario, ex quibus suprascriptis etiam potiões & unguēta cōfici conuenit, hierā dari conuenit, & acetū scilliticū sorbendum in nocte, & ex eodem aceto confectum oxymel in potu dari cōuenit. Hoc uitiū celerius tollis, si hac usus fuerit confectione, electuarium aphronitri, sinapis seminis ana singulas drach. tere et cribra, tunc puluerē eorum cum aqua collige, & fac trochiscos & dabis I. per singulos dies. Aliqui iecur uulpinum aridum ex uino potui datum, unice prodesse affirmant. Item succus herbæ peristereon ad mansionem, aut ex uino, aut ex mulsa potui datus, suspiranti plenitudinē extenuat. Similiter & balsami coclearia singula triduo accepta sanant.

De Anhelitu & Orthopnœa, Cap. XIII.

ANhelitus & orthopnœa ab aliquibus uocātur communiter dyspnæa, quæ est asthma. Anhelitus uel orthopnœa apprehēditur ex difficili respiratione cum præfocatione, atq; grauedine thoracis, cum febre plurima, & laterum conductione ad superiores partes, effecta cum uocis debilitate, colore in uultu rubeo, cum tensione & tußicula,

cum

cum sputis humorosis, & tenuibus, aut grossis, supine iacēdi difficultate, sudore frequenti in fronte, pulsu magno, nocturna accessione. Differt à peripneumonia, quia peripneumonia celerior passio est, non sine febribus. Anhelitum quoq; multæ sunt diuersitates. Orthopnœa est anhelitus rectus, qui quantus intus trahitur, tantum extra eijcitur. Dyspnæa autem suffugium nominatur, semper interius ad se trahens anhelitum. Est & aliud genus anhelitus in ægrotis in accessionibus multis, & febribus creticis, fœtidi anhelitus, calidi seu frigidi maligni sunt. Communiter tamen omnes anhelitus in acutis passionibus sæuissimi fiunt. Nam isti qui ex pulmonibus fiunt prolongant ualetudinem. Contigit autem quando pulmo & thorax concluduntur alterutrum, ut omnia interanea compatiātur constricturas habentes spumosas, saliuas insufficientes. Genæ rubent, albores oculorum splendidi fiunt, maxime quando torquetur in thorace pulmo, de alio in alium locum cum extensione præcordiorum, tunc pulmones compatiuntur cum thorace. Euenit autem hæc passio mulieribus raro, uiris frequenter in accedentibus ætatibus, & instat usque ad senectutem. Pueri autē in mutationibus ætatum soluūtur. Quibus uero in iuuentute fit, senescūt. Euenit autem

hæc paßio ijs qui in locis frigidis, & humidis sunt, et & simili tempore, id est, hyeme. Aliquoties ex aëris frigidi frequenti infusione. Iis uero contingit qui metallica operantur, aut ex puluere, aut ex fœtido odore, aut ex gypso, aut ex similibus. Fit etiam ex multis humoribus großis & liquidis, & ex plenitudine & infusione sanguinis, & hæmorrhoidarum continentia. Mulieribus maxime fit, qui non purgantur usu earum. Aliquoties suffugium sequitur suffocatio fauciũ cum anhelitu, & in initio grauedo thoracis, & immobilitas totius corporis, & pigritia, & stupor non paruus cum constrictione spiritus, id est, anhelitus, & uaria iactatione in lecto iacendi, uel humili, uel eminenti, in somno phãtasias patiuntur, turgidi, fiunt, & subtiliantur per tempus, & uentris difficultas est cum fœtore. In omni autem acceßione suffugij difficilis anhelitus fortior fit, & pulsus cordis. Infrigidantur articuli omnes. Ex uicinitate pulmonis, & thoracis retẽto anhelitu pectus feruet, oculi eminẽt, & supercilia tument, diuturna sitis est, sternutant, ideo scalpũt nares, tußis sequitur, euacuatio modica, & spumosa cũ multo labore. Aliquoties solẽt in acceßione sputũ uariũ excreare, & tumidi fiunt. Vigilias in omnibus patiuntur, aliquoties paulatim dormiũt. Aliquando in ipsa acceßione pereunt subita præfocatione.

eatione. Aliquoties frequẽt at hæc paßio, est cui non cessat, est quando aliquantulum recedit. Aliquibus post tempus fit recidiua paßio, quibus phlegma deducitur. Aut ex uomitu, aut ex sanguinis eiectiõe, aut ex uentris purgatione, in alto capita tenere, & frequenter sedere desiderant. In somnis diuersiones ex pulmonibus ueniunt. Aliquoties ex acceßione ad dimißionem ueniunt.

Cura.

In acceßione silẽtium habeant, & pedes, & corpus fricẽtur, & thorax molli lana opertus fascietur, ut non soluatur. Quod si eos acceßio anhelitus suffocauerit, si ætas uel uires permiserint phlebotomẽtur ex cubito cum apoforesi secundum uires, & infusiones thoracis fiant ex oleo rutaceo, aut sicyonio, aut glaucino, aut amaracino, & ligationes articulorum, & unguento thermantico bene olenti ungãtur, post secundo uel tertio die phlebotomentur, & cataplasmate, & embroca cum lana, & stomachi uaporatione utantur, & in thorace adhibito saccello triticeo cocto in uino diu uaporizentur, & inter utrasq; scapulas & præcordijs ubi pulmonis regiones sunt, cucurbitæ imponantur. Post quadraginta dies si paßio non declinauerit, inter utrasq; scapulas scarificẽtur, & cum mensura sanguis detrahatur, & post pau-

cos dies ex hiera purgentur, ut humoris & sanguinis euacuatio fiat, & fortius clysterium uentri adhibeatur ex colocynthidæ decoctiōe, aut centaureæ, aut absinthij. Tardāte uero paßione sinapizentur circa thoracem, & potiones accipiāt elixaturam hyssopi, aut origani, aut marrubij, & irei puluis cum mulsa potus multum iuuat. Multi raphani radicis tussæ & coctæ succum colatum in mulsa potauerunt, aut trochiscos anodinos, & antidotum diacydonium, & hamoniacum tritum ex mulsa dare conuenit, in lecto pensili iaceant. Cibis uti debent secundum uires simplicibus calidis, & calida sorbitione ex anetho & pulegio. Dandum est mellilotum, & ptisanæ succus utilißimus est si coctæ fuerint in eo amygdalæ amaræ tusæ. Cibis qui uentrem moueant, ut est malua, bleta in acceßione utantur. Dimißionis uero tempore phlebotomentur, & si uires creuerint, uel ætas permiserit, diureticis utantur adiutorijs, & si nimius feruor fuerit, recenter potetur: Sicut lethargici, & synanchici dropace utantur in thorace, maxime ex medicamine hoc, id est, bitumine, nitro, manna, thuris adarce, resina, & post dimißionem in thorace cauterizētur, & post multū tēpus uectatione uti debent nō multa, ne fatigētur aut cōmoueātur, optimo Galeno attestāte, supra mare, aut circa mare gestētur secūdū tēpus,

&

et potãdũ dabis ieiunis aceti ſcillitici coclear 1. aut cia thos 2. atq; fumigationes bene olẽtes naribus apponã tur. In dimiſsionis tẽpore balneis utãtur, et uinũ optimũ albũ, ſalſamẽta, & carnes molles uel agreſtes, uel gallorũ, & alicã, uel palmulas thebaicas, & amygda las amaras, & granata accipiant matura, & poſt cœnam lini ſperma, urticæ ſemen, piper cum melle mixtũ accipiant. In cubiculo iaceant bene lucido, à carbonibus & à puluere remoti ſint, & uomitus ex radicibus fiat, & acopo utantur, ex pipere, ſagapeno, opopan a ce, abrotono, hyſſopo, coſto admixto nardo. Cibos leues ſorbiles ut ſunt oua, panis ex mulſa calida, piſces aſpratiles & oxymel accipiant, cum pipere & zinzibere, cũ uino & melle, & diureticas potiones & antidota anodina accipiant.

De ſtomachicis. Cap. XIIII.

Stomachici ſunt quibus caput dolet, & cum febre nauſeam patiuntur, & eſcam non cotinent uel faſtidium patiuntur, ita ut nihil eos accipere delectet. Qui etiam dolores patiuntur in ſtomacho.

Cura.

Capiti adiutoria ſua uirtue dolorem fugantia ſunt adhibenda. Combuſtæ ferulæ cum oleo mixto cinerem capiti & fronti illinies, uulturis cerebro cum

oleo

cum oleo mixto caput perunctum à dolore leuabis. Sanguis asini cum succo herbæ cocodrillæ commixtus & infusus capiti mire subuenit. Nidus hyrundinum mox compositus cum aceto fronti illinitur pari beneficio curat. Hæc physica dolori capitis sufficiant. Stomacho uero subueniendũ est sic: Ex oleo in quo mastiche & absinthium ponticum, et anethum infusum per triduum fuerit, et ita decoctum foue, et lanas molles in eodem oleo tinctas et expressas supra stomachum pone, et fascia aut ex oleo sicyono cũ uino modico calefacto similiter stomachum foue. Post hæc epithema fac hoc modo: Dactylos infusos in uino et mala matiana purgata intus et extra addito modico melle simul tere, et olei nardini et ceræ quantum sufficit super leues prunas impone donec cera liquefiat, et sic quæ supra admisce in mortario, et simul tere. Deinde puluis factus ex æqua commixtione, aloës, masticheς, comarum absynthij admisceatur, & simul iterum ad spißitudinem ceroti coquantur, et sic stomacho factum cataplasma imponatur, et cucurbitas, id est, cufas ex oleo nardino calido stomacho uncto imponis, quas cum imposueris, dolet maxime pars dextra stomachi, quia in ea parte magis decliuus subiacet.

De eodem

De eodem morbo, Cap. XV.

STomachicus ex ijs causis nomen accepit propriũ quæ in ipso stomacho fiũt, id est, dolor, debilitatio, anathimia, alipothimia, anatrophia, catatropa, plethora, tumor, plegmõ, duritia, sclyroma, uẽtositas, pneumatosis, rheumatismus, frigus stomachi, uocis amputatio, anorexia, oxyremia, uomitus, uapor, ardor, plegmatis infusio, singultus, sudor, ardor, collectio, apostema, uulnus, pericleosis, paralysis, bulimos.

De dolore stomachi, Cap. XVI.

DOlor in stomacho fit ex choleribus uel phlegmate in stomacho conclusis, quæ non habẽtia exitũ neq; p os neq; p uẽtrẽ, maximum dolorem faciunt in stomacho, ut æger non poßit loqui.

Cura.

Huic uaporationes adhiberi debent ex farina triticea cocta in uino cum saccello in stomacho, & potui detur etsi febrit, elixaturam rosæ, aut cyminum, aut apij semen tritum cum calida damus in potu. Quod si dolor est sine febribus, potum accipiat elixaturam absinthij pontici, aut centaureæ, & ungatur ex nardo & pentamiron, Quod si antiquus fuerit dolor, picram accipiant, & epithemate utatur diastyraco. Solus dolor si fuerit stomacho purgetur picra, si uomitus consequuntur, et febres grauiores erunt, his ad

hibendæ

hibēdæ ſunt calefactiones ex oleo calido in quo in effuſum eſt fœnugræcũ, & baccæ lauri 20. & anethi modicũ, et ſicut ſupradictũ eſt foue ſtomachũ, & poſt triduum potiones eis dabis ex philonio, aut trochiſcum dia ſpermaton reſolutum in uino, ſi febris non erit, quæ ſi fuerit, in ſucco ptiſanæ reſolues: & diebus quibus non accipiet potiones, bucellas tres in uino calefactas, ſi febris non erit accipiat.

De Debilitatione ſtomachi. Cap. XVII.

Debilitatio ſtomachi quã græci adynamiam uocant, cognoſcitur ex appetitu cibi ceſſante & paruo pulſu, cum animi & membrorũ defectione, atq; poſt cibum ſtomachi grauatio eſt, atteſtante ſudore cum caligine oculorum, & interdum uiſus obſcurati ſentiunt, cibum quærunt, & cum parũ acceperint, deſinunt. Quibus ita mederi debemus.

Cura.

Si fuerit uẽtris ſolutio, fomentũ erit adhibendũ ſic: Celticæ, cymini, apij ſeminis, maſtiches, ſeminis abſinthij, ana drach. 2. roſæ drach. 3. cytoniorũ maturorum 5. uel cytoniæ turiones, in linteo ligata infunde in uino ueteri optimo albo, & poſt dies duos coque ad medietatem. Tunc lanam carpinatam infunde, & expreſſam ſupra ſtomachum impone. Quod ſi cum indigeſtione fuerit, oxymel accipiant. Quod ſi antiqua fuerit cauſa

rit causa, epithema dialoēs imponēdum est, quod con ficis sic: Aloés, mastiches, ana unc. 4. absinthij comarū unc. 2. trita misce cum aceto confecto. Si febrit ex oleo sicyonio, siue ex oleo nardino, quod inductū in linteolo impone pullorum cantu, & leuabis hora tertia diei, hoc per triduum fac & potum dabis oxymel, aut oxyporium diamilon, et picram in autumno. Cibos offerimus leues, digestibles & uarios, qui fastidium tollant, & stomachū non euertāt. Et si febres non fuerint balneis utantur, si febriunt, potui da elixaturam apij, & anethi, & si non febres sunt, absinthij pontici. Quod si solutio uentris fuerit, omphacium mel accipiant, aut elixaturam cytoniorum, & rursus oxymel da.

De anathimiasi stomachi, Cap. XVIII.

Anathimiasis est stomachi resolutio ex fumositate, & deprehenditur sic: Caput dolet, aures sonant, oculi parum cernunt, stomachus dolet aut grauatur, cibum reijciunt, tarde digerunt, uertiginem patiuntur, subito cadunt cum tremore stomachi.

Cura.

Curātur sicut supra, ubi de debilitatione scripsimus, & accipiant elixaturā absinthij pontici, aut picrā.

De lipo-

De lipothymia. Cap. XIX.

Lipothymia, id est, malfactio, fit ex nimietate euacuati sanguinis, aut ex uentris solutione, aut ex hæmorrhoidarum fluxu, siue narium, aut ex menstruis mulierum nimium fluentibus, aut ex plenitudine sanguinis, uel cholerum.

Cura.

Naribus eorum odores bonos appone, ut est pulegium, menta, thymum, absinthium, & sternutamenta, & uomitum prouoca, & facies fomentum in hyeme calidum, æstate frigidum. Elixaturam rosæ, & malorũ cytoniorũ accipiant, aut organi, uel pulegij, aut hyssopi, mulsam decoctionis, quæ si frequens fuerit passio, stomachus foueatur, & oxymel, & picram accipiant, & epithyma, dialoës impone, & absinthij pontici elixaturam bibant.

De anatropa stomachi. Cap. XX

Anatropa stomachi est sursum euersio cũ uomitu, ut quicquid acceperint cibi, uel potus statim uomant cum defectu. Fit ergo ex frigore stomachi.

Cura.

Ex oleo nardino, aut anethino, aut camomillino tepido, eorum stomachus ungendus est, & puluere mastiches supersparso, lanam carpinatam superpone, aut simi-

aut ſimilam triticeam cum albugine ouorum malaxatam, & chartæ inductam ſtomacho impone, & omphacium mel accipiant, cum calido potu. Quod ſi inueterauerit paßio, ſtomachus foueatur, aut ſaccelletur, aut cuſa imponatur, & potum elixaturam abſinthij pontici, aut granati uinum accipiant, & cibos deſiccatiuos, id eſt, panem in puſca frigida, pultes, & oua aſſa ſumant. Vtantur et hoc emplaſtro: Recipe. Maſtiches cymini ana, unciã 1. baccarũ lauri 10. trita & cum ſucco rutæ collige, ſtomacho cum ſtupa impone, optime facit.

De Catatropa ſtomachi, Cap. XXI.

Catatropa eſt ſtomachi ſubuerſio, quæ eſt diarrhea, id eſt, uentris ſolutio, ut quicquid cibi ſumpſerint, inoperatum & non coctum egerant. Fit autem ex nimietate ciborum.

Cura.

Si febris non fuerit, lauentur, & potum accipiant omphacium mel, oxymel, cum elixatura apij, & anethi, & cibis ſtipticis utantur, & qui uentrem non ſoluant.

De Pletora ſtomachi, Cap. XXII.

PLetora ſtomachi, id eſt, corruptela, uel tumor fit ex nimio potu uel cibo, ita ut per uomitũ, & uentrẽ ſimul prorumpat cum defectione ſtomachi. Aliquibus ex corruptela contingit ſine potu & cibo, aliquando ex uino corrupto, & nimio potu frigidæ recentis.

Cura.

Adhibẽda eſt potio mirabilis Galeni, quã conficis ſic: Recipe, Cytoniæ radicis corticis, libram 1. in uini myrtini ſextarijs tribus coque ad tertiã, & adde mellis librã. 1. & s. & iterũ coque lento igne, & agitas uſq; dum ad ſpiſsitudinẽ mellis ueniat, cola, & da coclear 1. ieiuno per triduum. Hoc medicamentũ etiam dyſentericis & lientericis manifeſtum eſt cõuenire. Item granati immaturi grana in uino auſtero coque, ut ſupra cum melle, & dabis.

De Tumore ſtomachi, Cap. XXIII.

TVmor ſtomachi quẽ Græci phlegmonẽ dicunt, intelligitur ex nimia ſiti, atq; oris ſiccitate, iactatione animi, atq; corporis laxamẽto, & uigiliarũ inquietudine, pulſus creber eſt patientibus, & frigus articulorũ, frigidũ corpus. Quãdo enim

enim uas stomachi, quod fundũ recte nominamus, fuerit obsessũ tumore, tum cibi transuorãdi difficultas, & difficilis digestio cõsequitur cum grauedine tumẽtium partiũ, aut acceptorũ ciborũ corruptione, unde inflatio præcordiorũ fit. At si totus stomachus tumet, omnes supramemoratæ partes dolore tenduntur.

Curatio.

Huic fomentũ quod in anathimiasi, id est, in debilitatiõe scriptũ est, fiat, adiecto oleo hyspano, et postea cataplasmetur ex hordei farina, & lini semine, & fœnugræco in uino, et melle cocto. Item absinthij uiridis turiones tere cũ axungia ueteri pro cataplasmate. Item cytonia matura, aut dactylos, aut caricas pingues coctas in uino, tere cum axungia, & mellilo to, et absinthio, et cataplasmato. Et epithymia, dialoes, addito nardo, & cusas accipiant: Et pro indigestione accipiant oxyporium, piper cum ruta tritũ, & cum melle mistum secundũ uires dato, & cuminum similiter tritum. Quod si inueterauerit passio, epithema diamellilotum impone, & elixaturam absinthij pontici.

De signis phlegmonis, Cap. XXIIII.

CVm fuerit phlegmon, quẽ nos tumorẽ cum feruore stomachi dicimus, ita deprehenditur. Dolor nõ deest et duritia, linguæ siccitas

tas, et os aridũ, & calẽs. Manus, et pedes frigidos habẽt, sitim patiuntur, & uẽtrem constrictum cum pondere. Interdum quasi rugitum multum intra se, ut auis uolitantis motum sentiunt.

Cura.

Cataplasma fac ex fœnugræco, et pane sicco, & caricis elixis in dulcore, & baccis lauri tritis, in mellis hemina, et pone supra uentrem. Dabis pro potione fœnugræci succi cum oxymelle coclear I. & antidotum Adriani, et succum ptisanæ quotidie accipiãt, uel diatrion pipercon, & malagma poliarchion, uel diaspermaton imponendum est illis. Sed cibos leues, & digestibiles accipiant, & uinum album bibant, si non febriunt, utantur sinapi, & dropace, & aqua calida, & arena maris.

De Duritia stomachi. Cap, XXV.

Duritia stomachi accidit cum febre, & tumore duro, & dolore, & in initio ueluti igneo sensu ponderante grauedine, & sub pectore nostro tactui resistens duritia. Transuoratio difficilis est cum præfocatiõe, fit ex frigido potu, uel uinolentia, aut ex nimio coitu.

Cura

Cura.

Curentur autem primo foměto ſupraſcripto cum oleo, & poſtea cataplaſma fiat ex hordei farina, & lini ſemine, & fœnugræco, & ex pane ſicco, & flore abſinthij, & ex uiſco, & caricas coctas in uino, & altheæ radices ſimiliter addito melle, tuſum puluerē ſupraſcriptorum adiunge, & iterum coque in ipſo uino, & mane per triduum ſtomachum uaporabis, & ſparge puluerem dialoës, & maſtiches, & cataplaſmabis. Quod ſi antiqua fuerit duritia, anacollima facies, id eſt, medicamen conglutinatorium & adhærens ex myrrha, ammoniaco, & thure, ex æquo, cum ſucco caulium, & chartæ inductū ſupraponatur, donec ſponte cadat, et epithema diamellilotum, aut poliarchion imponatur. Item aliud epithema ad duritiam ſtomachi. Cymini, baccarum lauri, pulegij ſicci, abſinthij florum, rutæ, ana unc. 2. ceræ, olei ueteris, ana libram 1. miſtis conficis, & uteris.

De Scliroma, Cap. XXVI.

SCliroma ſic intelligitur: Inglutire eſcam nō ualent, inclinare ſe non poſſunt, ſupini iacent, torquere ſe in latus patientes nequeunt, quia ſtatim pondus in ſtomacho ſentiunt. Ventrem facilem non habent, & leuiter tacti digitis in ſtomacho, dolore ſtatim pulſantur.

Cura.

Caricas infusas in mulso, & coctas, & uinum, & salem cribellatum cum melle in plagella imponis, demum emplastro diaphoretico curabis, cuius cōfectio talis est: Castorei, mastiches, storacis, unc. I. ceræ puniceæ unc. 2. olei nardini unc. 3. confice, & impone. Item de oleo in quo fusum absinthium, & asphodelus, et mastix decocta sunt, post infusionem unius noctis, uino similiter fomentabis, et lanis succidis supra positis fascia, quibus electuarium conficis sic: De malis macianis pridie infusis, et ita decoctis librā I. diu tere, & in mellis despumati libra I. coques, tunc piperis unc. I. zinziberis I. unc. puluerem decoctioni admiscebis, et dabis ieiuno coclear I. Item aliud Cytonia quinq; in uino elixata, & purgata intus, & foris tere, et in melle despumato sufficiēter coque. Deinde cymini æthiopici, rutæ foliorum ana unc. I. piperis nigri unc. 5. decoctioni adiunge, et dabis ut supra. Item petrosilini macedonici, piperis nigri, ana. unc. I. aut albi dimidiā, zinziberis unc. I. folij drach. 2. teris, & cribras, et cum melle despumato conficis, similiter dabis ut supra. Hæc omnia omnibus benefaciunt stomachicis, cohercēt uomitū, stomachū recuperant, duricias soluunt, digestionē præstāt, apostema rumpunt, & curant. Oxymel Oribasij autoris, quod

facit

facit ad supraſcriptam cauſam, conficitur ſic: Scillæ libram 1. in aceti lib. duabus, coques ad medietatẽ, & colato ſucco, addis mellis libram dimidiã, tandiu coques donec ad ſpißitudinem mellis redigatur. Deinde pulueris ſtaphiſagriæ, myrrhæ, iris illiricæ, ana. unc. 1. ſingula miſcebis cũ oxymelle, et cum aqua tepida propinabis. Prima die unc. 1. ſecunda unc. 2. tertia unc. 3. quarta unc. 4. uſq; ad perfectam ſanitatẽ, expertum eſt.

De Ventoſitate ſtomachi, Cap. XXVII.

Ventoſitatem ſtomachi, id eſt, inflationẽ, quã Græci pneumatoſin uocant, ita deprehendimus ab extenſione, quã ſub pectore noſtro tactu ſentimus, & maiori poſt cibum inflatione, cum ructatione aßidua, atq; difficili cum dolore, & faſtidio, atq; ſonitu inteſtinorum, & pondus in ſtomacho ſentiunt, & cum ſonitu uentris egerunt.

Cura.

Cuſas primo accipiant, & ſtomachus curetur cum oxymelle, & elixatura anethi, et ſi uires uel ætas permiſerint, phlebotomentur, & in potione accipiant anethi ſemen, & glaucum, paſtinacam agreſtẽ, et caſtoreũ, ex æquo trita, ſi febrit, cũ aqua calida, ſi nõ, cũ uino. Itẽ calamenthũ tritũ cũ pipere, ex calida potẽt.

Itē anethi seminis, cymini, pulegij, ex æquo tritorū, cum melle mistorū, dato coclear 1. cum calida. Quod si antiqua fuerit paßio, impones epithema di aloe, aut aut diaspermaton, aut oxyporion, & diacytoniten accipiant.

De Pneumatosi, Cap. XXVIII.

PNeumatosis, id est, inflatio agnoscitur, quia extensa est pars stomachi dextra, qua magis stomachus inclinat, eructatio, et per anū euētatio aßidua fit. Ventrē inflatū habēt, qui cum pcussus fuerit sonat sicut uter. Sitim patiūtur diutius.

Cura.

Mane manus, & pedes fricandi sunt. Vomitus ieiunis prouocandus est. Salsa esui post uomitū danda sunt. De uolatilibus perdices, & similia. De quadrupedibus leporem, capreolos, apros mādūcent, & radices sint in esu eorū, & ruta, & nasturtiū, & eruca, & sinapin. Vinum albū, et lene bibant, & escam accipiant, quæ ad digestionem pertinet. Malagma, diaspermaton, & diastyracos, stomacho imponendum est, et mane oleo in quo bulliant absinthium, & ruta unguendus est stomachus.

De Inflatione stomachi.

Si uero inflationes, & tentiōes stomachi fuerint, fasciculum polij, & nepete decoque in aqua diutißime,

me, & cola, deinde piperis unc. unius, & apij unc. unius puluerē, & mellis coclear I. adde coctioni tere, & dabis bibere, & à foris epithemate nileos, & diasansucco uteris. Si autem dolor stomachi fuerit, fomētabis illum diutißime oleo tali, styracis optimi, absinthij pontic florum, aloës, mastiches, ana unc. I. in linteo liga, & infunde in oleo libram I. et uini heminа decoque, donec uinum cōsumatur, et uteris epithemate diamelliloto. Dabis etiā bibere cymini assati, et apij seminis modicum cum aqua in qua decoxeris rosam.

De Rheumatismo stomachi, Cap. XXIX.

Rheumatismū stomachi deprehendimus ex humiditate oris, & sputifluētia, et nausea cū fastidio, et uomitu, et acceptis cibis corruptionē patiūtur et oris, atq; linguæ, palati labiorū coctionem, ueluti scabiē patiuntur, ut difficile cibum et potum accipiant.

Cura.

Gargarizent calidam ubi coxeris rosam siccā, et os colluāt, aut ex diamoron medicamine, et oxymelle accipiāt potum, aut omphacium mel ex calida, aut elixaturam anethi sicci, et apij uiridis in aqua cocti, & granatæ uinum, & succum cytoniorum maturo-

rum cum calida accipiant.

De Frigore ſtomachi, Cap. XXX.

F*Rigus ſtomachi cognoſcimus ex dolore ipſius, & frigore totius corporis, cũ uomitu frequẽti, fit ſine ullo humore, frigida pibẽdo.*

Cura.

Si ſine febribus fuerit, horum ſic curetur ſtomachus: Accipiant elixaturam anethi ſicci, aut caſtoreũ cum pipere ex calida. Quod ſi ex recenti potu ſtomachus patitur, ex ſaccello uaporetur, & potũ accipiãt pipis drach. 3. anethi ſeminis drach. 1. cũ uino calido.

De Infrigidatione ſtomachi, Cap. XXXI.

E*X nimio phlegmate infrigidatur ſtomachus, ideo calidis curabis medicamẽtis, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus. Et ſi nimium phlegma animaduertis in ſtomacho, id eſt, in ore uentris congeſtũ, huius medicaminis dabis coclearia 3. in aqua calida quod cõficitur ſic: De radicis feniculi cortice molli unc. 6 iris illiricæ unc. 1. hyſſopi unc. 4. ſimiliter in aceti lib. 1. pridie infuſa, lento igne coques, donec media pars aceti cõſumatur. Tunc adiuncta libra 1. mellis iterũ coques, donec aceto conſumpto, ad mellis ſpiſſitudinem ueniat, & à foris epithemate poliarchion uteris.*

De uocis

De uocis amputatione, Cap. XXXII.

VOcis amputatio fit ex stomachi dolore, aut cholerũ infusione, uel ex sanguine, aut catarrho, fit cum sonitu, atq; spiritu obtuso. Igitur si ex cholera fit, uomant, si ex sanguine, phlebotomentur, si ex catarrho, curentur cum supradictis.

De anorexia, Cap. XXXIII.

ANorexia, id est, fastidium cognoscimus ex febrium uel cholerũ feruore. Et si sine febre fit, molestum est. Tamen omnibus commune est infirmitatibus & febribus, quàm maxime in chronicis paßionibus fastidium utile, quod si plus paties comederit, inutile, Hippocrate teste. Qui uero in ægritudine fastidiauerit, in dimißione melius constat, & bene cibo caret Fit autem fastidium ex febribus cũ uapore, aut ex cholerũ fumositate transeunti per fauces cum eructatione, & uelut nigredinem ærugine faciente faucibus, uel ori, fit cum malo, aut brumoso sapore cibi & potus, & nausea.

Cura.

Hi iaceant in domo lucida, & patente, odor bonus apponatur naribus eorũ, cũ exercitatione, & oxymel accipiãt, aut absinthiatũ uinũ cũ calida aqua, et cibos bene olẽtes, et digestibiles. Deinde acrimonia, et

salsamenta

ſalſamenta, quæ æruginem oris & faucium extergāt, aut ſinapi, & acetum ſcilliticum ſorbeant, & raphanum, & quos cibos deſiderant, etiam ſi contrarij ſint modicum de ſingulis accipiant, ut ex uarijs cibis faſtidium tollatur, & oxyporium, diacitoniten, aut diaciminum, accipiāt, & balneis utātur, & paulatim comedant, ne amplius comedendo, ualetudo, id eſt, debilitas ſtomachi augeatur.

De eodem, Cap. XXXIIII.

ANorexia ſi ſine febre uenerit, periculū habet, Si cum febre, periculum non eſt graue. Si ſine febre fuerit, dabis eis ieiunis bibere abſinthium ponticum in uino coctum, aut uinum abſinthiacum, & buccellas in mero auſtero tres. Et poſtea ſalſum cum aceto, & dulcore, & ſinapi temperatum cum eruca, & raphani radices, thymum, naſturtium, & omnia quæ calidam uirtutem & auſteram habēt, & allium in cibis, & conditum in melle quotidie bibendum dabis. Epithema poliarchion ad ſtomachum pones & electuaria ad ſtomachi cauſas ſupra ſcriptas dabis. Cauēdum eſt ne indigeſtionem patiantur. Vinum autem calefactum ieiuni bibāt conſtrictorium, & bufagon, id eſt, prouocans appetitum, oxyporium ieiuni accipiant, & frequenter uectentur.

De oxyre-

De oxyremia, Cap. XXXV.

OXyremia est indigestio uel malus ructus, qui fit ex multa comestione, uel phlegmate clauso in stomacho aut ex eius tumore, aut aßidua dinufragiorum, id est, acruminum susceptione.

Cura.

His uomitus prouocēdus est ex raphano, & oxymelle, & cusas accipiant, & uentrem purgent.

De uomitu stomachi, Cap. XXXVI.

VOmitus stomachi fit ex frigore, & phlegmatis abūdantia, aut cholerū, ut nihil in stomacho teneant, sed uomant cum phlegmate. Os habēt humectū cum grauedine, & macie corporis.

Cura.

Horum stomachus uaporetur. Cibos siccos, assos, teneros, constrictiuos, maximeq; potus parum accipiāt: absinthij elixaturā, granatorū uinū, omphaciū mel in dimißione dinufragia, & puscā, & potiones amaras, quæ uomitum compescāt, tū para collectū ex mastiche. & oleo nardino, & piganino utantur. Oxymel, aut oxyporium, diacyminum, accipiant, & frigori stomachi curam adhibeant, & uenter moueatur, & lauacro, & unctionibus thermāticis ex oleo nardino, uel pentamiron utantur.

De uomitu

De uomitu iterum, Cap. XXXVII.

STomachus si nimio uomitu uersetur, & nihil tenere poßit, anethi seminis unc. 3. pipis drach. 4. cymini drach. 4. teris, & ita cum aqua ubi decoxeris mentam, & mala cytonia, uel summitates teneras de uitibus addito uino, si non febrit, dabis maxime dormitum euntibus & à foris cataplasmabis palmulis in uino decoctis, malis syluestribus, adiecta farina de pane transmarino, uel hordei.

De uapore stomachi, Cap. XXXVIII.

VApor stomachi fit ex inflãm atione cholerũ, uel febrium, ut os semper asperum sentiant, & siccum sine ullo humore.

Cura.

His primo stomachus curetur, & accipiant elixaturam apij, atq; seminis cucumeris dulcis. Item pilulæ catapotiæ quidem dandæ sunt, quarum confectio talis est: Mastiches drach. 2. mentæ drach. 1. tere, & addito succo plantaginis forma ad imaginem fabæ, & da cum calida.

De ardore stomachi, Cap XXXIX

ARdor stomachi fit aliquotics sine febribus, & interdum cum illis, cum siti nimia, cum oris siccitate, ex cholera rubea fit.

Cura

Cura.

Vomitū ꝓcurent, accipiant elixaturā apij uiridis, cū omphacio, aut oxymelle, qui bus catapotiæ adhibeā tur, quæ cōficiuntur sic: Dragagāti in aqua infusi et so luti unc. dimidiā, cucūeris hortulani seminis unc. 1. te re, et fac pilulas in modū fabæ, et da sub lingua tenen das ad mansionē, & humorē glutiāt. Itē mel, et butyrū cū carnibus enucleatæ uuæ passæ, similiter coque, & cola. Et apij, cucumeris, coriādri, & maluarū seminis puluerē ex æquo facto deductū admisce, & da cocle ar unum sorbendum. Item apium uiride cum semine cucumeris in aqua coctum potui dato.

De calore eius, Cap. XLI.

STomachus si ex nimo calore uexatur, sic sub uenies: Masticbes unc. 2. mētæ siccæ unc. 1. anisi unc. 1. cū succo plātaginis trita, collige ad modū auellanæ, & cū opus fuerit ex aqua resolutū dabis, & foris cerotis frigidis uteris. Cognoscitur aūt nimius stomachi calor, quia interdū cholerā uomit, atq; ardor cōtinuus in stomacho cū cōpunctione atq; dolore sentitur, & tactu manus ꝓbatur ardere extra naturā.

De phlegmatis infusione, Cap. XLI.

PHleg. infusio fit ex catarrho cū tußi, et nausea, ut semp stomachū, uel articulos manuū, et pe dū frigidos sentiāt ægrotātes, cū idigestiōe,

qua

quia phlegmatum infusio est spissa, crassa, & frigida.

Cura.

Quibus phlegma ut calefacias & incidas, hoc medicamen cōficere debes: Feniculi radicis corticis unc. 3. in aceti scilliceticí lib. 2. & coque ad medium, & colatis mitte portionem unam, & iterum coquæ in lento igne, ut spissum sit, tunc potui dabis per triduum coclearia 3. ie. uno cum calida, & oxypor. ū, diacyminū, aut diacitoniten accipiant.

De singultu, Cap. XLII.

Singultus stomach fit, aut ex frigore, aut ex frigido potu, aut ex multo cibo, uel potu, aut ex paruo potu.

Cura.

Si ex frigore fit, tūc calefiāt. Si ex inanitione cibētur. Si ex plenitudine, ieiunent: oxymel uel oxyporumacc cipiāt. Qd' si tardauerit, trochiscos crocodes accipiant. Si febrierint ex calida, siue ex uino, in dimißone lauacris utantur. Singultus si nimius frerit ex frigore stomachi, piperis partes 3. & castorei. 1. cum aqua calida dabis. Si uero id fiat ex calido humore collecto, & cum mordicatione stomachi, calidam satis bibant, & pennis in oleo tinctis uomitus prouocentur. Ad singultum ergo aquam frigidam, & acetum & nitrum, ex mulsa bibāt, & anethum, & rutam in uino coctam, & aristolochia longa, abrotanum similiter profuerit

De sudore

De Sudore stomachi frigido, Cap. XLIII.

SVdor frigidus in stomacho fit per longam ægritudinem, etenim frigidus sudor si semper manauerit, longam ægritudinẽ significat, si calidus breuem.

Cura.

Cura stomachi his subueniat, scilicet fomentum, epithema, omphacium mel, & oxymel accipiant, & simplasmate utantur, quod stomachum confortet, et incommoditatem frigidi sudoris reprimat, quod facis sic: Dragagantũ in aqua infundatur, et ex ipsa infusione stomachus liniatur, & desuper puluis myrtinus, mastiches, sanguinis dracõis, aloës, aspergatur, ex æquo factus. Si non febrierint, utantur sinapi, & dropace, & aqua calida, & arena maris.

De Tumore eiusdem, Cap. XLIIII.

PHlegmon, id est, tumor cum febre, intelligitur ex grauedine stomachi, & dolore, & edipsi, id est, angustia, ut cibum traijcere non poßint, & aßidua ructatiõe, atq; dolore dorsi, uirtutis quoq; absentia, & renum, et scapularum.

Cura.

Si uirtus non deest, prius phlebotomẽtur. Tũc oleo in quo infusum est mellilotum, absinthium, mastiche, castoreũ, et decoctũ, stomachum fomentabis, aut melle calido inunges, & supersparges puluerẽ mastiches, & aloës, piperis, uel uitella ouorum, calidis impositis, & lanæ succidæ floccos fascias & epithema poliarchion cum diaspermatõ, aut scrapinos, aut lineos unc. I. de flore lini impone, aut absinthium põticum in aqua infusum, ut color aquæ mutetur, ieiuno bibere dabis: electuarium diatrion piper.ũ. Quibus siccis manibus pedes et manus fricẽtur, mane quãdo q; si aër est calidus, foris, sin minus, domi deãbulent.

De Collectione stomachi, Cap. XLV.

Collectio in stomacho cognoscitur ex ipsius signis concurrentibus, id est, febre, & frigore, & horrore, cum pulsus sensu, & põdere, ac tumore stomachi.

Cura.

Hi cataplasmatibus & unctionibus uaporentur, donec ad eruptionem sanierũ ueniãt, aliquoties per uentrem sanies digeritur. Quod si eruptio sanierum

fœtida ex stomachi fuerit humore, mulsam ubi coxeris rutam, ptisanæ succũ adiuncto melle, et alias sorbitiões similes cũ ptisana coctas potui dato, et foris cerotaria quæ constringant, et desiccẽt ponenda sunt, & eligmata purgatoria, aut antidotum diasinicon accipiant.

De Apostemate stomachi, Cap, XLVI.

APostema stomachi intelligitur ex dolore ipsius, cũ pulsu, qui micat in uentre, & fastidiũ facit. Duritiam & grauedinem stomachi sentiunt. Sed si eruperit apostema, dolor soluitur, & minuitur, per urinã sanies mingitur, atq; tumor, et duritia, & pulsus recedit: frigidum quoq; bibere desiderant, & æstuationem patiuntur, & nudi iacere uolunt, corpore etiam attenuantur.

Cura.

Iris illyricæ frustella quinq;, & croci drach. 2. & succi fœnugræci calicẽ 1. cum uino ubi infusa est iris illyrica miscebis, & proiecta iri ieiuno dabis: Tunc spongijs calida cum aqua, & oleo uaporabis, & sic epithema, uel malagma diaspermaton, aut poliarchion imponatur.

De Vulnere uel carbunculo ſtomachi, Cap. XLVII.

VUlnus et carbunculus, quod Græci perielcoſin dicunt in ſtomacho ſi fuerit, dolor magnus uexat uicinas partes, maxime quãdo aliquid glutiunt, ſputa ſanguinolenta cum ſanie proijciunt.

Cura.

Cibis leuibus, et ſorbilibus ex lacte caprino, et amilo, et confectione diacodion, aut careno cum dragaganto uti debent. Electuarium ex lenticula cũ melle comedendum dabis, et ptiſanæ ſuccum cum granatæ uino ſorbeant, et mel coctum, et decoctiones ficuum ſiccarũ, et ariſtolochiæ coctæ in melle, et Adrianum antidotũ in mulſa dabis, et epithema, uel cataplaſma diaciclamidon, aut diafinicon, & pſidia, & cytonia, & alia quæq; conuenientia ſtomacho imponis, tenues cibos & eruptiuos qui expurgent, et uulnera curent, accipiant.

De Eodem, Cap. XLVIII.

STomachi uulnus habentes, hæc ſigna produnt: Saniem albam excreant, interdum ſanguine miſtam, dolor eſt in ſtomacho, & quaſi morſum ſtatim ſentiunt.

Cura

Cura.

Lac caprinum cum adhuc ab uberibus calet ieiunus bibat usq; ad uomitum, amilum, aut gummi solutum cum mulsa bibat, & ante diacodion ieiuno coclear 1. huius electuarij dabis, quod recipit hæc: Draganti infusi in dulcore, croci, myrrhæ, trocliten unc. 1. mellis quod sufficit. Orobum quoq; tritum cum melle coclear 1. aut antidotum diarobum cum succo ptisanæ, & maligranati succo ieiuni accipiant. Caricas infusas in dulcore, & aristologiam longam tritam cum melle dabis mistam. Dactilis coctis in uino, & psidia, & malis macianis tritis cum melle cataplasma imponis.

De Paralysi stomachi, Cap. XLIX.

Paralysis stomachi est cum esca recepta stomachum grauat, & non digeritur, sed incocta per uentrem emittitur.

Cura.

Oxymel detur cum pipere trito, & mane ieiuno detur coclear unum. Acrimonijs omnibus utantur. Stomachus sinapizetur in balneo, postea apophlegmatizetur sic: Aceti scillitici, piperis longi grana decem, sinapi triti commistorum coclear 1. dabis garga

rizandum ieiunis. Memineris autē in omnibus causis stomachi in uno tēpore omnia adiutoria adhibēda nō esse, sed per interualla biduo, uel triduo, non solū in die phlebotomiæ alia adiutoria non accipiant, uerū etiam post dies quinq; plures ue expectent.

De Eodem, Cap. L.

PAralysi stomachum tentāte, nullius cibi, uel potus saporem sentiunt, neq; desiderāt, quā passionem incurabilem relinquimus, quia celerius mortis periculum uel perniciem infert.

De Bulismo, Cap. LI.

BVlismon apprehendimus ex animi, atq; mē brorum defectione, frigido corpore, et ner uorum tremore, stomachi atq; uocis debilitatione, pulsu tardo atq; humili. Cibum accipiunt multum, & non satiātur, neq; incrassantur, sed tabidi efficiuntur. Græci hanc passionem bulismon uocauerūt. Genæ quidem eis soluuntur, macilenti & laxi fiunt, & subito cadunt, infrigidantur, & uix anhelant. Fit maxime iter agentibus, qui si cito curati non fuerint, per ciborum grauedines, et nimias indigestiones, celerius pereunt.

Cura

Cura.

Odores bonos odorent, atq; frigida aqua spargãtur. Sorbitiones & fricationes pectoris, & calefactiones exhibemus, & castoreum cum elixatura rutæ potent, & hieram accipiant, & uomitus sæpe prouocetur. Cibos indigestibiles accipiant, ut non amplius sumere iam libeat.

De dolore hepatis, Cap. LII.

IN hepate quã multæ fiunt paßiones acutæ, & ueteres, periculosæ scilicet dolor, phlegmon, sclirosis, scleria, apostema, syrexis, helcosis.

De eodem, Cap. LIII.

Dolor hepatis ex tantis in parte dextra præcordiorum sub mollibus costis cõtingit cum grauedine, & dolore, & pulsu partis illius usq; ad ilium, & usq; ad scapulas, & cum tußi arida, & pondere intestini, & urina fellei coloris, cum fastidio, & pallore in facie, et febre uel frigore, exinde crescit tumor hepatis. Fit quidem ex stomachi indigestione, uel ex longa infirmitate, uel ex frigido potu, uel frigore, uel sanguine.

Cura.

Si uires uel ætas permiserint, phlebotomentur sinistro brachio, tunc infusio olei rutacei fiat, & elixa

tura papaueris, aut anethi, & lini seminis, & fœnugræci farina in uino cocta, cataplasma imponatur, et dactilis, & cytonijs, & caricis, & capparis radicibus cataplasmentur in uino decoctis, & stomachus curetur. Potum accipiant elixaturam apij uel origani cum oxymelle, & epithemate utantur dialoë, aut ceroto ex oleo cyprino, aut irino, adiecta ruta, et malagmate diaspermaton circa totum uentrem utãtur. Cibos leues et sorbiles, & potiones elixaturæ absinthij, aut centaureæ, aut rutæ agrestis seminis, & petroselini, si febrit ex calida, si non, in uino accipiant.

De Phlegmone hepatis, Cap. LIIII.

Phlegmon hepatis, id est, tumor & calor intelligitur sic: In dextra parte sub costas molles, quas hypochondria Græci dicunt, tactu manus tumor inuenitur, & grauedinem in ea parte sentiunt, & dolor per totum illud latus ascendit, usq; ad iugulum, & humerum. Vrinæ quas faciunt, quasi sanguineæ apparẽt, fastidio tenentur, color pallidus, febris leuis, & aßiduum frigus non deest, ita ut tremor nõ desinat, typũ patiuntur, escã non cõtinent.

Cura.

Mox à principio phlebotomẽtur ex parte sinistra, &

& expletis dicbus phlebotomij, ruta, et ancthum, & ſemen apij. et cuiuslibet papaueris coquenda ſunt in oleo, & lanis mollibus in eodem infuſis, latus ipſum uaporabis, laniſq; ſuprapoſitis faſciabis, & poſt triduum cataplaſmabis ex hordei farina, polenta, et dactilis in uino coctis, & malis macianis, et caricis, & capparis radicibus tritis melle, & aceto unà coctis cum plagella calida imponis, & ſubinde uentoſæ & malagma diaſpermaton, imponenda ſunt. Et ſi uentrem ſtrictum habent, cum clyſtere prouocabis. Item ex hoc antidoto ieiunis coclear I. ut electuarium dabis: & Recip. abſinthiũ ponticum, centaureã, rutam agreſtem, ſeminis petroſilini macedonici, cum melle deſpumato quod ſufficiat.

De Iecore tumente, Cap. LV.

SCio te non ignorare, qa cũ iecur intumeſcit, uel in phlegmonis feruorẽ uenit, mox in dextro iugulo uſq; ad ſcapulã dextrã dolor ſentitur. Si uero ſplen in ſiniſtro iugulo, uel ſiniſtra ſcapula idem dolor ſentitur, ſed leuior.

Cura.

In principio cauſæ de eiuſdem partibus detractio ſanguinis fiat, & potio fœnugræci diligenter cocti uſq; ad primam, ſecundam, uel tertiam partem, in ſe=

cunda aqua, uel tertia aqua, & epithemate, atq; antidotis, & alijs quibuslibet transacto feruore in his talibus causis uti conuenit, & si quando iecur, & stomachus embrocatur nō oleo puro, nec ualde chalastico utendum est, sed addendum & coquendū aliquid in cōstipticæ uirtutis, & extensiuæ, ut est aloë, absinthium, masthichæ, & spicanardi. Quod si emphraxis erit iecoris, uel constrictio, uel cōclusio totius, uel partis alicuius, dabis emphractica, id est, quæ aperire, et laxare poßint, id est, amygdalarum amarum. unc. 5. cymini unc. 1. apij seminis unc. 1. in uino, si non febrierint, & alia quæq; adhibebis.

De Sclirosi hepatis, Cap. LVI.

Sclirosis, id est, duritia fit in iecore grandis sine dolore, & sine sensu. Intelligitur autē sic: Escam acceptam reijciunt, uentrē, et urinam difficulter habent. Manus super iecur imposita quasi lapidē sentit, & non dolet: Si ista causa in longū tēpus protracta fuerit, insanabilē hydropem facit.

Cura.

Mox à principio huius causæ succurrendū est sic: Fomenta ex uino, & oleo calido in quo centaurea, et asphodeli radix unà cocta sit, ex lana succida duritiam ipsam foues, & uaporas, & lanis succidis superimpo-

impositis fascias, & post quinq; dies loco tumenti imponis epithema, & Recip. caricarum infusarum in lixiuio, & aceto, & centaureæ cribratæ, & absinthij, nitri & sinapis, salis, & ceræ, & adipis anserini, & gallinacei solubilium singulas libras, binas terendorum unc. tantum, & sic loco dolenti appone. Ieiunos quoque iubebis exercere, & ceroma facere, ut se malaxent, decursum faciendo, id est, frequenter surgendo & geniculando poplite, & inde uenientes aquam calidam decoctionis absinthij bibant. In escis uero obseruandum est, ne panem azymum manducent, & recentem aquam bibant, quia contraria sunt hepati.

De eodem, Cap. LVII.

Sclirosis est tumor, & duritia hepatis quæ emphraxis dicitur, id est, præclusio, ut conclusis intra se pennis, omnium uiscerum extensionem, & stomachi inflationē faciat. Collectionū adiutoria, uel potiones, uel epithemata hydropicorū adhibēda sunt.

De tumore iecoris, Cap. LVIII.

IEcur intumescēs, potest quoquo modo curari, sed non sine ingenti cura, & congrua diligentia. Iā uero sclirosis facta, & in lapidis duritiam iecur cōuersum, insensibileq; factū nulla medicamina possunt sanare.

sanare, quia nec ego potui, nec uidi aliquos potuisse, quia res tenera & mollis, & cito sensibilis uehemētiora non suffert medicamina. Sed alij horum diutius uiuendo, miseram in peius protrahunt uitam. Alij citius ex hoc ipso finem uitæ optabiliorem consecuti sunt. Quippe quibus cœperit esse infesta solutio, cito si male curētur, naturalē amittūt uirtutē: Præsertim cū epar in sclirosin cōuersum, nō sanguinis boni nutritor, sed humoris peßimi, & aquosi genitor existit, ideoq; insanabilem hydropē facit, quod & splen facit, sed nō semper insanabilem, quia uehementia sibi undique adhibita suffert medicaminum auxilia.

Cura.

Curabis sclirosin incipientem phlegmonum medicaminibus, his additis: malacticis & absinthij flore, myrobalano, spermate apij, spica indica, & gallica, croco, squinãto, mastiche, oleo mastichino, melino, cymino, scinantino: his addimus guttam ammoniaci pingue, bdellium, & medullam, uel adipes ueteres conuenientes. Hæc omnia possunt incipientem sclirosin iecoris sine dubio sanare, cum potionibus illis quæ ad hæc talia plurimæ in pharmacenticis scriptæ sunt, quæ possunt mollire, aperire, & purgate iecur, atq; addere uirtutē. Quarū una, ℞ ecip. gētianæ, petroselini, anethi seminis ternas unc. fœnugræci unc. 1. hæc tenuissime

ſime cribellata, iuxta uirtutem eius qui acciperit, uel cauſæ ipſius magnitudinem, ſi febrit, in aqua calida, ſiue in mulſa, ſiue oxymelle dabis. Hæc talia optime nephreticis proſunt, & lapides, & arenam in renibut, uel in ueſica comminuunt atq; purgant. Sane ſciendum eſt omnia dulcia, & omnia frigida his eſſe contraria, & conuenire ſubtilem dietam.

De ſcleria hepatis, Cap. LIX.

Scleria eſt hepatis duritia ſicut ſclirosſis, ſed differunt, quia ſcleria à ſe incipit nulla cauſa hepatis præcedēte. Sclirosſin uero phlegmōnis dolor, uel cauſæ aliæ ipſius antecedūt: Sclirosſis enim eſſe non poteſt, niſi phlegmon ante fuerit iecoris, aut dolor, & quia ſcleria eſt cum ſenſu & dolore, ſine quibus eſt ſclirosſis.

Cura.

Spongijs maioribus ex aqua calida decoctionis abſinthij, & radicis maluæ agreſtis, uel hortenſis, & fœnugræci, & rutæ agreſtis, & centaureæ loca diutiſsime uaporabis, & poſt hæc cataplaſma adhibendū eſt per triduum, recipies pollines tritici, ſiſami, & abſinthij pontici, baccas lauri, cyminum, & abrotonum, et dactilos, & caricas, quod conficis ſic: Dactilos & caricas per unam diem infundis in uino, & teris, deinde puluerem terendorum admiſces, & mellis quantū

ſufficit

ſufficit, & ita uteris. Et alio diatrito uentoſas imponis, ut melius curetur: ex oleo calido foue, in quo ruta, & abſinthium ponticum uiride, uel aridũ, et radix cappa ris, & maſtiche cocta ſunt, & lanas ſupra imponis, quibus malagma diaſpermaton utiliter imponis, ut non auferatur per totum diem. Hæc pluribus diebus adhibeantur. Quibus potiones diureticæ ex aqua in qua petroſilinum, & anethum, ſemẽ apij, aut ipſorum radices coctæ ſunt, cum melle quotidie dandæ ſunt. Si febris non fuerit, addes etiam his & uinum: Poſt hæc dabis antidotum diacolocynthidos, quod ſic cõficis: A peris gelelam, id eſt, colocyntham in breui foramine & omnia quæ intus ſunt proijce, & tum implebis eã paſſo, uel quod melius eſt Cretico uino. Et manente in ea die ac nocte, refundes paſſum in calice in quo cro ci drach. 3. & galbani unc. 1. mollies. Quibus per ſe diligenter tritis, admiſce pulueris cribrati, iris illi ricæ, hyſſopi ana unc. 4. piperis unc. 1. meliloti & nucleorum purgatorum ana. unc. 2. mellis deſpumati libras 2. dabis coclear 1. mane & ſero.

De apoſtemate iecoris, Cap. LX.

APoſtema iecoris intelligitur ex tumore ipſius, quia manu tangi non ſuffert, dolor crudelis eſt, ſomnus deeſt. Quod dum eruperit quaſi ſaniem meiunt

meiunt, uel per uentrem eadem egerunt. Dolor quiescit, remanente uulnerato iecore. Quod si mox non curantur, empicum facit, & post uiginti quinq; dies, si apostema nō erupit, sclirosin facit. Aliter helcosis erit.

Cura.

In initio pollines hordei, caricas in lixiuio coctas, stercus columbinum, mellis quod sufficit, cum calida plagella imponis ut continuo malaxet, & intus rumpat. Et si eruperit, signis suprascriptis intelligitur, cui dabis mulsam quotidie bibendam, & lac caprinũ coctum utiliter datur, & asininum, mox ut mulgetur, & aquam e: bibere dabis, in qua caricæ decoctæ sunt.

De collectione hepatis, Cap. LXI.

Collectio hepatis si in superficie cutis nascitur habens humorem quem cum stercore egerit, aut per urinam post cibos, cum pulsatione quadam, & grauedine ipsius lateris: duritia longo tempore sentitur cum grauedine, & extensione membrani diaphragmatis. Subglutiunt, malus color, & fastidium sequitur, & duritia totius hepatis, signa hæc sunt: Quod si celerius erumpat, per uentrem aquosum, aut nigrũ, aut sanguinẽ purum, aut in frusta coagulatũ, uel nigrũ, aut liquores quasi dyssenterici egerunt,

egerunt, ex ipsa paßione moriuntur.

Cura.

Cataplasmentur ex lini semine, & fœnugræci farina, quæ eruptiones faciant apostematis, & ut per urinam egerant, potiones diureticas accipiant, id est, ex caßiæ, cinnamomi, nardostachij, phu, meu, asari, adianti drach. 2. & similium decoctionem. Vt uero per uentrem fiat egestio, lac asininum, aut caprinum accipiant. Quod si in peritoneo, membrano, uel intestino ruptio fuerit, cum intestinorum dolore, & tentione inguinum, lac inijciatur per clysterem, uel potetur. Si uero febris nō fuerit, nec tußis, nec dolor, balneis utantur, aut in in mari natent, cibos fortes accipiant. De oleribus, caules & radices, pisces teneros, quos Græci apalos uocant. Carnes teneras & oliuas, cappares ex aceto conditas, & salsamenta primū accipiant. In dimßione dinufragia adhibenda sunt, uinum austerum bibant, & cataplasmentur ex caricis pinguibus, & absinthio, & cētaurea & nitro & potiones aromatum odoriferorum decoctionū & diuretica antidota accipiant.

De syrexi hepatis, Cap. LXII.

Syrexis est ruptio apostematis quæ sic cognoscitur, quia ut aqua sanguinea est uentris egestio et dolor quiescit, sed cum supra iecur manum imposueris gra-

ris, grauis dolor sentitur. Color in facie rubicundus, sed subtumentes macrescunt, & cum syrexis apostematis descendit per uentrem, & urinam album egerunt. Vrina enim inficitur ex ipso, & credunt se iam esse sanos, & fastidio quod ante fuerat, carent. Hos Hippocrates syntheticos appellat, nō quoslibet macilentos sicut imperiti: nēpe synthetici sine suprascriptis signis ex iecoris causa esse non possunt, unde hydropisis insanabilis nasci solet.

Cura.

Quibus diuretica maxime danda sunt, ut per uentrem & urinam omnis illa calamitas egeratur: Mulsam etiam quotidie & lac caprinum coctum, & asininum mox mulctum, & aquam decoctionis centaureæ, & castorei, & caricarum, absinthij, & petroselini macedonici dabis. Item cataplasma ex semine iuniperi in uino cocti, & triti in modum ceroti cū oleo sicyonio nudo super imponis per noctem, statimq; rūpet. Facit enim ad uulnus et emphraxin hepatis rumpendum. Epithema etiam diaspermaton, per totum diem habendum, quotidie supra imponatur. Si per os non per uētrem plus proiecerint, empici erunt. Quibus dabis ex hoc electuario coclear 1. mane & sero: quod Recip. pollinis, orobi rufi. unc. 1. nuclei purgati noui & aßi unc. 2. & croci drach. 3. anisi unc. 2. dra

gaganti infusi in dulcore.unc.1. mellis quod sufficit. Hoc electuarium etiam si inferius aut superius sese fuderit apostema,benefacit. Item fœnugræci succum, in quo hyssopus & iris illirica decocta sint, quotidie dabis ieiunis bibere. Si enim eruptio sordida fuerit, spuunt sordidum,nigrum,putridum, & super carbones si ponatur,plus putrescit.Quibus dabis medicamentum purgatorium,id est,orobi cum melle despumato coclear 1.mane & sero, & lac caprinum mox mulctum.Si uero ruptio mūda fuerit, sputa alba sunt & munda.Quando sanguinem iactant, & morsum in eodem loco sentiunt, & in glutiendo tanquā esse uolunt rasuram.Quibus ad uulnus purgandum, mane & sero electuarij more huius antidoti coclear 1. dabis.Quod Recip.myrrhæ,trocliten unc.1.cymini, gummi, ana. unc.2. thuris masculi,croci ana drach. 2.mellis despumati quod sufficit, foris epithema diaspermaton,aut cirra, quod est emplastrū, curat,aut barbara:Cibaria calida diuretica, & cum melle succum ptisanæ accipiant. Similam hordeaceam maxime manducent, & oxyporia quæ possunt bene cicatricem inducere,& uentrem mollire. Electuarij more mane & sero coclear 1.huius antidoti dabis. Qd Recip.cymini aßi,zingiberis ana.drach.1. piperis, lini seminis aßi,ana.drach.8.rutæ agrestis seminis.

drach.

dræ.3.mellis qđ sufficit. A balneis abstinẽdi sunt, et ab omnibus pomis, et recentis. Quod si apostema sursum ad cutem ascenderit, ut intelligas ferro esse scindendum, fouebis locum primũ calidißimis spongijs, & aqua decoctionis centaureæ, et chameleõtis, et cucumeris agrestis radicis, & sic cataplasma calidũ ex caricis elixis in dulcore, & pollıne hordei, & nitro. & stercore colũbino impones, hoc septies in die faciũt. Inde cũ bene uideris molle apostema, ferro eius inferiorem partem tange, & non semel totum euacuari pmittes, ne nimia effusiõe laxetur patiẽs, et uitæ periculũ sustineat, sed ex lychnio sic sustineas, ut per eũ fiat purgatio uulneris, & epiro, id est, petia claudatur. Vulnere igitur bene, & diligenter purgato, aperies illud, non angusto foramine, ut quotidie ex mulsa lauetur cũ sisario superimpones medicamina mollia, ut est lemniscosin, basilicon, tetrapharmacum resolutum in oleo roseo, donec mundetur. Si uulnus sordidum fuerit, mel medicamini addis. Quo bene purgato, retrahis mel curante solo suprascripto medicamine. Incipienti uero se implere, uulneri barbara et cirra emplastra imponis, iuxta disciplinam dinamidiorum.

De Eruptione apostematis in hepate, Cap. LXIII.

SI eruptio facta fuerit cum uulneratione, humor redditur multus cum stercore, ut lotura carnium. Quo circa uicina loca, & in ipso dolor sentitur. Graciliantur corpore, diuersitate ciborum delectantur, & aut eos uomunt, aut non digerunt. Hi quia toto corpore tabescunt, synthetici uocantur. Contingit hæc paßio uiris frequenter, & mulieribus raro. Contingit autem ex multis cibis, et aßiduis corruptionibus, & ex potu frigidæ recẽtis, plurimo & multo uino, & multis cibis dulcibus. Fit etiã in ægritudine longa hyemis, aut autumni tempore.

Cura.

Oportet in his contemplari egestionis liquores, seu boni, maliúe fuerint, sicut in disentericis. In dimißione uero accipiant antidotum diacidnem admirabile & maximum, aut mithridaticũ, & cataplasmatibus utãtur ex semine lini, & fœnugræci farina, fimo colũbino, sale, nitro, coctis plurimum in aqua althææ radicis, centaureæ & absinthij. Post malagmate ex pice, & resina, cera, et libano, mannis utantur, & alia thermãtica malagmata adhibeantur, quæ humorem calefaciẽdo prouocent, & uaporationes ex oleo calido

calido in uesica, aut sale in saccello. Sed si multũ manauerit sanguis, abstinendũ est à uaporationibus. Et si in alto fuerit collectio uelut in superficie, potiones dãdæ sunt thermãticæ, & eligmata ex myrrha, pipere, & similibus, cum melle confecta, quæ eruptionẽ emundent, & quãdo purgatio sit uulneris huius, nõ potest fieri quin uicina loca tumescant, uel præcordiorũ, uel intestinorũ, seu graciliũ, uel renum, cũ squibalarũ duritia, et urinam reddant cum multo sedimine, & crassam, & fœculentam, cum graui odore, & nausea stomachi, uel fellea emißione per uentrẽ, & per urinam, ideo primo ore abluto ex mulsa, cibẽtur cibis, qui stomachũ non grauent, & uinum leue, odoriferumq; accipiãt, & eligmata ieiunis ex pini nucleis confecta, & elixaturã origani, aut hyssopi, aut absinthij succum, aut elixaturã dabis non sæpius, propter fastidiũ stomachi. Epithema quoq; stomachũ confortans, & cicatricem purgans, cõfectum palmulis, & acacia, & anetho, & stiptерea appone. Ante omnia prouidẽdum ne ex cibis corruptela fiat, uel corruptio corporis, id est, solutio iteretur.

De Helcosi hepatis, Cap. LXIIII.

Helcosis est uulneratio iecoris postquam se apostema ruperit, quam per suprascripta signa intelliges.

Cura.

Curatio eorum talis est: Lac asininum bibant, et ipsa asina maxime myrto pascatur. Caprinum etiam mox mulctum, et antidotum diacithnem, aut mithridatum ad magnitudinem fabæ maioris solutum cum uino, et calida aqua dabis, & bibant quando uoluerint, solũ aquam decoctionis absinthij, & centaureæ, & poly gonij. Inde spongijs calidißimis ex aqua calida elixa turæ absinthij, baccarum lauri, & centaureæ, et poly gonij loca doloris diutißime uaporabis, & sic epi= thema istud impones, qđ Recip. picis, ceræ ana libr. 4. mãnæ, thuris, styracis. ana. unc. 2. olei cyprini, aut nardini. unc. 6. Antidotũ ad quod supra. Recip. iris illyricæ, myrrhæ, piperis albi, storacis, calamite, apij seminis ana. unc. 1. mellis quantum sufficiat, ad auellanæ magnitudinẽ dabis in aqua calida. Si uero uulneratio ipsa plus sordens, per os saniem miserit, cum mulsa antidotum suprascriptum dabis.

De Pleureticis, Cap. LXV.

Pleuretici communia signa habent cum he= paticis, & peripneumonicis. Sed pleureti= ci febribus exagitantur acerrimis, & in tol lerabili dolore lateris dextri, uel sinistri, qui nascitur in costis mollibus, uel super costas nouißimas. Ali= quoties

quoties lateris dolor perueniēs ad iugulum, percutit post scapulas & humeros. Ilia etiā dolore tentātur. Tußiunt aßidue leuiter, & minutatim. Sanguinē excreant, uel humorē rufum. Vigilias patiuntur, in latere dextro iacere non possunt, & hoc diutius si tenuerint, incurabile periculū incurrunt. Sed eos qui curari possunt, aut non, deprehendes his notis. Primum quære ab eis qui patiuntur, si aliquando percußi fuerint in ipso latere, uel ante plurimos dies ceciderint, & contuderint. Quod si sic, facilius curantur. Si fuerit quidem ex frigore hæc paßio, aut ex rheumatismo aliquo difficilius curantur. Præcedēte uero hepatis dolore, uel pulmonis, si pleuresis uenerit, magnū periculū portendit. Quibus autem cum dolore splenis latus sinistrū doluerit, ipsi quoq; graue periculū habent. Quod si synanchem ante paßi fuerint, scias dolorem lateris ex rheumatismo contigisse & non minimum periculum habere. Item si à uentris constrictiōe fuerit et urina nulla, aut si in ipso latere solo sentitur dolor, aut mutatio fiat excreationum in diuersos colores, signa mortalia sunt. His indicijs cognoscuntur morituri, & cum periculo, & sine periculo sanandi.

Cura.

Ieiunis, uel quoties bibere uoluerint, mulsa detur,

& idem latus diligẽtius uaporabis ex lanis mollibus cum oleo & uino ubi myrtus, & anethũ bullierũt, & saccellos cum sale calido, uel cum furfuribus in aqua salsa, aut marina decoctis utiliter appones. Sed quãdo uehemẽtius dolet, saccelli de sale non accipiãtur. Quod si hæc adiutoria minime profuerint, de matrice contrarij brachij phlebotomentur, et uenter clysmate molli prouocetur. Item mulsam decoctiõis hyssopi, & origani, ieiunis propinabis. Cataplasma quoq; ex sansuco, & rutæ agrestis folijs, & baccæ lauri singulariter tunsis, & cum melle mistis & coctis cũ plagella imponis, & toto latere, et locis dolentibus uaporatis teges latus & fasciabis. Cerotũ quoq; ex ipsis speciebus fac, & ungis & fascias. Postea quidẽ non cessante dolore, cũ scarificatione sanguinis cufas scapulis, & ubi dolet, ponis, & post triduũ in scarificatione cerotũ ex oleo cyprino, uel irino impones. Antidotũ enim quod scieris pleureticis prodesse maxime dare te cõuenit: ut acharistũ, aut antidotũ diapiganon: Quod Recip. carpobalsami, gentianæ, iris illyricæ, hyssopi, pigani, iperici, petroselini macedonici. ana. unc. I. mellis despumati quod sufficiat dabis ieiuno coclear I. Quod si hoc lene non ꝓfuerit, fortiora quæ in dinamidijs scripta sunt utiliter antidota adhibebis. Escas leues, maxime succos dabis.

De

De Eodem morbo, Cap. LXVI.

PLeureſis habet nomē à lateris paßione. Euenit autem communibus annis ex multis cauſis, aut frigiditate, aut ex crudilate humorum, aut ex ebrietate, aut ex multo coitu, et illi qui ualde tußit, aut ultra uires pondus tulerit, aut uehementer cucurrerit. Contingit autem cum dolore interiorum laterum, cum febre acuta, & tußi tenente mamillam & armum eiuſdem partis: Quibuſdam uſq; ad brachium, & pectus & ilium cum punctionibus, & pulſu plerunq; iugi, quandoq; cum interuallo, nō per ordinē. Aliquoties ſanum tenet locum, plerunq; locum dolentem, dolor iſte mutatur, uix inſpirant. Quidam tußiunt ſicce, nonnunquam cum reiectatione, primum phlegmatica, inde ſanguinea, poſthæc fellea, & liuida, deinceps purulenta aßidue, & facilius ſupra latus doloris iacent. Pondus, & grauedinem interaneorum, & extenſionem membrorū ſentiunt, uigiliæ, ſiccitas, atq; aſperitas linguæ ſequuntur. Hæc paßio cum cœperit grauior fieri, omnia quæ diximus amplius accidunt, ita ut obfrigeſcant illis manus, & plantæ, genæ rubeſcunt, oculi ſanguinei fiūt, uenter conturbatur, arrectando irritantur, aßidue meiunt: ſed paulatim ſubalbido colore pulſus uenæ ſpiſſatur, ac ueluti fluctuat: Cum dolore reſpirant, &

sudant, delirant. Aliquoties in loco ipso sonus quasi stridor cuditur, accepta reijciunt, male dormiũt, deñ sum est quod expuunt, & magis horum quàm aliorũ spuma grandis. Aliquoties sanguinolentum et liuidũ expuunt, & bile tinctum ut æruginis color. Quod si purulentum est, aut fœculentũ, aut fumosum, aut male olens, omnino pernitiosum est. Vertitur autẽ pleuresis in immaturã peripneumoniã, uel in collectionẽ. Sed cum in peripneumoniã, omnia quæ scripta sunt signa adsunt, sed dolor minui, atq; alleuiari uidetur, & supini magis releuantur, & transacto suo termino 14. dierum non conualescunt. Malæ eis rubent, et inter supercilia ualde corrugatur locus, et iterũ languent. Quãdo uero in apostema dolor uertitur, atq; confirmatur, in imo loco qui græce steramin dicitur, tußis crescit sicca, et fit illis rigor inordinatus, atque inconditus, dolor uero minuitur, eruptio uero apostemate sputum frequens fit.

Cura.

Iacere debent in loco lucido, et triduo à cibis abstineant, & loca dolentia calefiant cum lana ex oleo rutaceo. Post hæc lana sulphurata apponatur, et hoc cataplasma fac sic. Caricas tritas pridie in uino cum oleo modico infusas mittes in calidam, ubi coxeris rutam, pollinesq; hordei, et seminis lini, et puluerem picis

picis duræ adde. Quibus ad ignẽ coctis atq; solutis, do lẽtem locum cataplasmabis. Potum uero non satis fer uentem accipiant, ne plus punctio augeatur. Quod si ex ebrietate concepta est, recentẽ bibant. Si uero fluxus uentris est, dormiat, aut ubi declinauerit paßio, à cataplasmatibus abstineant. Quod si maior dolor erit, uena laxãda est ante triduũ, si uentris fluxus non est. Si uero fluxus uẽtris inest, molestũ est in ipso diatri to fieri. Si in declinationẽ fluxus uentris uenerit, minui oportet, aut si phlebothomẽtur ante triduum, prouidendum est, ut ex brachio lateris ubi dolor non est san guinem mittant. Post phlebotomiam, cibum leuem accipiant: ita ut omni hora dulcorem accipiant. Si fluxus uentris non est, quia maxime sputum, & uentrem pur gat, id est, alicas, pultes, non ualde oleatas, uel panem ex aqua calida. Quod si uenter nimium profluat pulti bus erit occurrendum, uel omnibus constrictiuis. Aut per clysterem inijcias, succum plantaginis, uel intiba rum admisce: dein maturis prunellis acacia & omphaco, & ptisanæ succo, ubi corium maligranati, uel lentisci, aut myrtus, aut rubus seu rosæ, siue his similia cocta sunt: ita ut fluxus contrarijs restringatur.

Finis libri secundi.

Gario-

GARIOPONTI MEDICI VETUSTISSIMI LIBER TERTIUS.

De splene, Cap. I.

POst caput & pulmonem, & stomachũ atq; hepar, sequitur splen, qui totidem causis, ut hepar subiacet, in sinistro latere positus, sed nõnunquam intus uulnus cadit, & facilius sclirosin tolerat, aliquoties febrem grauem, aliquoties non grauem, aliquoties fastidiũ. Nam hi asperam linguam sentiunt, & ut typici frigore commouentur, & post cibum in ipso loco tentiones sustinent, laborem non sufferũt, uulneratio corporis nascitur & maxime curari nõ possunt, eo quod putridus & melãcholicus humor, id est, niger & spissus quem exhalat relaxat, & redundat ipse splen: in uulnerosa maxime loca decurrit, & inde uulnera eorum prope incurabilia sunt. Nam paulatim chronici fiunt. Sunt etiam mœsti uultu omnes splenetici, & macilenti. Nam procedente tempore etiamsi naturaliter sint pingues, extenuantur, & frigidi incipiunt esse, ac pigri, & uenter ipsorum difficilior fit. Vrinæ non sanæ neq; naturali uidentur colore, sed aut nigræ, aut uiridi

tate

tate quadam suppallidæ: stomachi etiam indigestio, in ipsis pulsus segnior inuenitur, & colore nigro efficiuntur, & si ambulauerint, uel cucurrerint, anhelitum non sufferunt, sed quasi contrahuntur dolore splenis, & si causa fuerit in longum tempus protracta, hydorpem facit uix curabilem.

Cura.

Recip. aceti scillitici coclearia 3. aut merum ferro calenti extincto in eo, & decoctionem rubi radicis luna descrescente bibant. Et epithema eis tale facis. qd' Recip. radicis capparis, sandaricæ, & uisci putridi quercini quo aues capiuntur, & sinapi, & camepiteos, singulas unc. ceræ lib. 1. resinæ frixæ, guttæ āmoniaci ana. libram. 1. terenda cum aceto trita, & soluenda oleo soluta simul, diligenter temperabis, & maluta in ductum spleni suprapone, donec persanet. Per omnes dies ieiunis dabis manducare radices cum sinapi, & oxymelle, ubi ipsæ infusæ sint, & continuo calidam aquam bibant, & digitis aut pennis uomitum prouocent, & in mari natent. Dropaces impositi prosunt, et sinapissmi. Sanguisugæ ad splenem ponēdæ sunt, ut sanguinem deducant, atq; uena tangenda est, quæ ad minorem manus sinistræ digitū descendit. Si uero hæc adiutoria minime senserint, cauterio tria puncta imponenda sunt, & non dimittes ea curari, ut diutius

rheuma-

rheumatizando, humor splenis per ea uulnera currat, & ieiunis post cauterium huius antidoti coclear 1. dabis: Recip. scillæ coctæ in aqua, & seminis lappacij agrestis, chamedrei, camepiteos, capparis radicis, tamarici seminis singulas drach. mellis despumati & aceti quod sufficiat. De quo dabis coclear unum post cauteria. Lapidem etiam pyritem iuxta splenis magnitudinem, feruentem igne, aceto perfusum, si uaporationis causa spleni sæpius supraponatur, uehementer scimus profuisse. Idem potest & lapis militis.

De splene patiente et signis eius iterum, Cap. II.

Splen in causa positus sub costis mollibus, replet pectoris partes cũ dolore, et indurescit sicut hepar, sed raro uulneratur. Nã sepius indurescit, cum dolore sinistrorum præcordiorum, et tensura, & põdere, & post cibum, magis durescit, cũ tumore magno. Fit ex typicis paßionibus, & sic sentiunt tumorem, ac si mamilla pendeat. Tabiditas corporis cũ subliuido dolore, uel nigro sequitur et si inueterauerit, hydropicũ facit, quàm maxime si & hepar intumuerit, uel doluerit. Aliquoties in splene, si fuerit collectio, & eruptio uenerit, liquorẽ reddunt per uentrem nigrum, cum occupationibus ex hepate, & cum delectatio-

delectatione uentris, & nausea. Est quando stercora reddūt cū inflatione uiscerū, et quādo plus intumuerit pars splenis usque ad sinistrum inguen, & præcordia ipsa usq; ad iugulū dolentur, ex uicinitate aliud latus dolet, & exinde tumescit totum corpus, cum odore fœtido: Incipit enimuero ante omnia difficultas pedum, squibalas semper reddunt, & inde tabidi fiunt, uel hydropici ex lōga infirmitate, sicut & quartanarij. Fit ex multo cibo, uel ex multo frigido potu, quā maxime mulieribus fit in autūmo & ex coruptela ciborum tabescunt. Ex frigore uentositatem patiuntur cū immobilitate. Aliquibus frequēter sanguis de naribus fluit: & hæc paßio maxime fit omnibus ætatibus, maxime uero infantibus, & ex ipsa paßione cōsumūtur.

Cura.

In initio si ætas, uel uires permiserint phlebothomētur, & cucurbitis utantur, & infusione ex aceto, & oleo roseo, & lana succida, & spongia ex pusca cum cinere præclusa apponatur spleni. Lapidemq; cādentem pusca aspergis, & in panno obuolutum imponito & cataplasma ex hordei farina, & capparis radice, & hammoniaco, & mirobolano cum aceto tritis. Abstinendum est ab omni dulcore cibi, & potus quia uentonsitatem faciunt. Item puscam

frigidam

frigidam ferro cādēte in ea extincto in uase æreo potui dato ieiuno. Conuenit autem potus elixaturæ tamaricis radicis in uino coctæ, et emplastrum ex sinapi, et nitro, & uomitum ieiuni prouocent ex raphano. Cibis diureticis, & malagmate acerrimo, & acopo, & sinapismo utantur. Si uero post hæc omnia tumor remanserit, saccellato splene ex saccellis feruidis, & cuccurbitæ scarificationibus niger sanguis ab eo tollatur. Et post tertium diem incisionis emplastra diaphoretica, uel malagmata apponēda sunt. Tum uero si ætas, uel uires permiserint, post aures uicinæ partis sinistræ incide uenam, cum multa sanguinis detractione. Maioribus autem cauterium ad dextram, & sinistram, & in medio ipsius splenis apponendum est, & dandæ sunt potiones anagallici succi. drach. I. cū pusca. Scillæ, lappacij agrestis, camedrei, cyperi, capparis radicis ana. drach. I. similiter ex pusca. Item āmoniacum, olibanum, myrrham, aloén, ex æquo pridie in aceto infusa, et deinde cum succo caulium, et in charta inducta supra splenem durum imponito, et fascia, et tam diu ibi sit, donec sponte cadat. Aliud epithema quod omnem duritiam, & extensionem splenis soluit. Recip. aluminis rotundi asiani unc. I. picis duræ colatæ, drach. 4. ceræ unc. 2. olei comunis drach I. Antidotum quod conficitur sic: Alumen cum aceto te

ris

ris acri, & ceram, & picem, & simul oleum lento igne solvis, aut ubi tepuerit in mortario, ubi alumen tritum est, infundis, et manibus diu malaxa, donec durescat, & ita in linteo grosso inductum spleni apponis. Aliquoties ambæ partes intumescunt hepatis, & splenis, cum uentris et præcordiorum dolore, atque feruore eius partis, ex tanta duritia, & exinde sclirosis fit, id est, durum nimium sicut saxum, et si curati non fuerint, immutantur in malum habitudinem corporis quam Græci cacexiam appellant.

De Splene in sclirosin conuerso, Cap. III.

Splenem uero in sclirosin conuersum, non solum extrinsecus uehementibus ualde, et acerbis medicaminibus debes curare, sed etiam intrinsecus potionibus talibus adhibitis: suffe-runt enim talia libenter, & delectantur talibus, atq; mutantur.

Cura.

Optime ergo dabis his in potione capparis radicem, uel corticem eius in aceto, addito melle modico, & scolopendriam, & tamaricis radicem, uel tenererimas summitates eius ramorum, & alia quæq; talia, et embroca, et cataplasmata, & epithemata, et em-

plastra, & unctiones, & potiones. Sed tu debes cõ
siderare uirtutes medicaminum, & causarũ originẽ.
Nam splen aliquoties uidetur esse in sclirosi, sed non
est, quia non semper ex humoris uitio, sed interdum
uẽtositate tumescit, & tenditur, et uidetur durus ut la
pis. Tunc maxime fomẽtabis oleo, in quo samsucum,
& absinthium fuit coctum, cum modico uino, & ace
to, & foris acre accipiant medicamen, quod Recip.
sulphur uiuũ, & alumen, & alia talia: Et ualde atten
dendum est ad uirtutẽ, & qualitatẽ specierum, quæ
medicaminibus admiscentur, et ad quantitatẽ cõmi-
stionis, ut scias quot medicamina, & quale, & quan
tum detur, subtrahas, uel addas, uel ipsa qualis et quã
ta sit quantitas causæ, aut quid ei cõueniat. Sed si hæc
omnia iuxta rationẽ medicinæ consideras recte, &
sine labore curare poteris. Nam si in illis medicami-
nibus uolueris plus aluminis, & alias stipticas speci
es addere, si addas utiliter facis, & melius proderit.
Qd' si splenẽ uentositate tumentẽ uel tẽsum, uel cura
re, et resoluere duritiã eius uolueris, suprascripta ad
hibebis medicamina. Illi uero spleni q sclirosin habet
ueram, magis diaphoreticũ adhibebis medicamentũ,
& minus stipticum, atq; per modicam habens stipti-
cæ uirtutis speciem. De his uero medicaminibus, uel
speciebus, quæ singulari sua uirtute proprie spleni
prosunt

profunt, optimum est flore salis plena uesica, si spleni tumenti & duro superposita ligetur, mirifice enim prodest. Splenidiō herbæ, id est, linguæ ceruinæ, radix in puluerem redacta, cum uino leui per triduum luna decrescente in potu sumpta dabis cum frigida prodest.

De uulnere in uentre nato, Cap. IIII.

VLnera si nascantur in uentre, sic intelligũtur, dolor cum morsu sentitur. Quando autem incipiunt mãducare, & bibere, nauseãt, & os putet eis, & febriũt, et quodcunq; egerũt, sanguinolentũ apparet, & ultra cõsuetudinẽ putet.

Cura.

Quibus oua sorbilia, et succus hordei simpliciter pro cibo dentur, & electuariũ tale accipiant. Nuclei purgati, & butyrũ recens, & polenta hordei simul coquãtur, & dentur ieiunis ad comedendũ, & lenticulã cum succo plantaginis comedant, & ipsius farinã cum melle despumato: ut electuariũ ieiuni accipiant, & imponis durum cerotum ex oleo rosco, et cyprino, resina frixa, castoreo, bitumine iudaico. Item malagma diastyracos, aut diaspermatõ, cibos leues, & digestibiles, & uinum album, & leue dabis.

De Cœliaca, Cap. V.

Cœliaca paßio est aßidua uētris solutio. Cuius hæc sunt signa: cum siti infinita, & fastidio ciborum, et defectione sunt.

Cura.

Quibus hæc adiutoria adhibenda sunt: Cataplasma diafinicon per triduum supra umbilicum usq; ad pectinē pones, ita ut totum uentrem tegat, quod conficitur sic: Dactili 5. in uino infusi, & citonium purgatum unum, & mala maciana duo bulliant in se, & panem siccum, & mel quod sufficiat coques, & simul miscebis. Eo die etiam potionem hanc dabis, scilicet aquam ebullitionis siliquæ græcæ, et seminis plantaginis, & nucleorū acinorum. Dabis quoq; per aliud triduum trochiscos diaspermaton, uel croçodes, & philonium, uel adrianum, secundum disciplinā, quæ in Dinamidijs legitur. Item seminis apij, atq; plantaginis in aqua calida; lenticulæ seu alicuius constrictiui, infunde singulas unc. floris tribuli, qui cardus lucidus uocatur unc. 1. apij drach. 2. trita cum succo plantaginis colligis, & trochiscos cōficis, admiscēs etiam psilij seminis drach. 1. et cū uino aut cum succo orizæ tepido potui das, orizas māducent, eiusq; succum bibant. Si uires adsunt laxatiuū accipiat hieralogodiō, uel hieram fortē Galeni. Mulieres uero theodoricon

& ele-

& electuariũ adstringẽs. Lactis etiam caprini cũ lapidibus fluminis ad tertiã cocti coclear I. dabis, si tamẽ non febrierit, quia lac febricitãtibus uenenũ est, caseus uiridis similiter officit, & malagranata uetusta manducent, & mespilorum, atq; sorborum, lenticulæ, myrtæ, et cytoniorum, & roris syriaci, decoctionis omnium bibatur succus, & cætera quæ his prosunt, quæ in Dinamidijs scripta sunt, adhibeantur.

De signis cœliacæ, Cap. VI.

Cœliacorum multæ sunt paßiones. Græci enim ciliã uentrẽ dicũt. Fit ergo in uẽtre dolor, tumor, collectio, uulnus, extẽsio, solutio.

De dolore uentris, Cap. VII.

Dolor uentris frequenter fit cum tumore, & malfactione, & frigore articulorũ, & frigido sudore, cum defectione multa, sequitur insomnietas, & pulsus erectus. Fit autem ex corruptela ciborum acerrimorum, & frigore. Si ex corruptione ciborum, uel potus fuerit, aquam puram, non satis frigidam, nec tepidam, sed mediocriter temperatã dari iubeo. Quod si ex frigore fuerit, uaporatione uti debent & fricatione, & iterum aquã calidã bibant. Cataplasmatibus utantur, quæ non soluant, et cucurbita sine scarificatione apponatur, balneis utan

tur & cibis leuibus. Potiones ad mansionem sunt dandæ, quæ cœliacis scriptæ sunt, id est, cyminum, piper, ruta, cum calida dentur.

De tumore uentris, Cap. VIII.

Tumor autem fit cum dolore atq; feruore uẽtris, & accepti cibi grauatione, deinde corruptionem & duritiam in tumore inuenimus præcordiorum, & uiscerum, præter inspectionẽ magis tactu nostro probatur, ut iecoris & splenis cũ dolore in rotunditate, uel longitudine, nullam uicinarum partiũ cõmotionem ferentes. Fit tumor præcordiorũ in extantia partiũ, quæ in cõfinia pectoris, uel costarum, uel umbilici terminantur, cum tensione, et dolore, & feruore dextræ aut sinistræ partis. Itẽ inflationes uentris apprehendimus quã græci pneumatosin, uel prismacilõ uocãt, ex eius partis instãtia quæ facile tactui nostro cedit attestãte feruore, & sonum reddũt si palma percussi fuerint, et linguæ asperitatẽ patiuntur, atq; articulorum infrigidationem,

Cura.

Si tumor & duritia, uel extensio uentris, & præcordiorum nimium sint, fomentis & cataplasmatibus, & cerotarijs, uel epithematibus, quæ ad tumorẽ stomachi scripsimus, ad supradictorũ curam uteris, et

dialoẽn

dialoën, et poliarchion, atq; malagma diaspermatō. Cibus leuis adhibeatur, & recentem non bibant.

De collectione uentris, Cap. IX.

Collectionem uentris agnoscimus ex simili dolore & duritia, & tumor nascitur circa praecordia.

Cura.

Cataplasmari oportet ut ad eruptionis maturitatem ueniat, & epithematibus de adipibus, & resina confectis, & epithemate diaspermaton, atq; poliarchion: tamen prius cataplasmentur cum uaporationibus.

De Eruptione, Cap. X.

Si uero uentris eruptio facta fuerit interius, sic cognoscitur, aut humores reddunt per os, aut inferius per intestina emittunt.

Cura.

Incisio fiat sub praecordijs pro discußione saniearum, uel humorum sordidorum, & adiutorijs resumptiuis utantur ad deductionem eruptiōis, & per diligentiā curetur ipsa incisio iuxta chirurgiae doctrinā.

De Vnlnere uentris, Cap. XI.

Vlnere in uentre nato, fit morsus circa discursus cibi, & potus. Sequuntur nausea, et fœtor oris, & febres, & cum uentris egestione sanies egreditur, sicut ex uulneribus manare solet.

Cura.

Conuenit his accipere sorbitiones ex careno, & melle despumato, & ex medio ouorum atq; ex nucleis confectas. Eligmata *quoq; ex melle & butyro, & polentam cum melle, & lenticulam similiter confectam, & foris utantur cerotario ex oleo cyprino, aut rutaceo confecto. Quod si humor digeritur aquosus cholericus, cibis utantur pane de simila, & uino dulci, aut careno. Quibus utendo sine periculo curātur, neq; in ipsa paßione tardantur.*

De extensione, Cap. XII.

Extensio autem uentris quando fuerit, fricari oportet: & encatismate, diasansucco utantur, & quæ dicimus nileon, & similibus cibis sorbilibus, qui uentositatem non faciāt, neq; extensionem moueant cibentur.

De

De Solutione, Cap. XIII.

Cœliaca, id est, nimia uẽtris solutio, fit frequẽter per corruptelam ciborum, uel crapulam, aut frequenti solutione, et potus plenitudine, atq; medicaminum frequenti purgatione. Contingit maxime tempore frigido, & in uentre uentositas extra naturam concluditur & non digeritur. Consumuntur in hac paßione maxime crescẽtes ætate infantes, et quibus est naturliter solutio uẽtris, cœliaci fiũt, et ibi moriuntur, in iuuenibus raro fit, cum his maxime cõtingit æstiuo tẽpore, raro autẽ alijs tẽporibus. Ventris solutio est uiridis frequẽs, eruptionẽ habẽs gracilẽ, et solutã. Vrinæ sunt rubeæ, spumosæ, uirides, nigræ. Est quando sanguinolentũ, et putridũ cum muscillagine intestinorũ, est quando die ac nocte, est quãdo semel inter noctẽ & diem, est quando cum inflatiõe, & torsione intestinorũ, & dolore uentris assellant, subglutiunt, uigilias patiuntur, sitiunt, exardescit illis uenter, & fastidiantur. Indigestionem patiuntur, et morsus uentris cum dolore. Aliquoties multo cibo delectantur. Pallent colore, cum uirium defectione, est quando febricitãt: in nouißimis fœtet illis corpus per uentositatẽ. Aliquoties tumescunt illis facies, & pedes. Dysenteriã patiuntur, & difficilẽ cõtinent solutionẽ. Aliquoties exit per fundamentũ intestinũ dolo-

re, & frequenti solutione. Aliquoties sponte soluuntur, & constringuntur. Aliquoties in medio uētris fit dolor, aliquoties in parte uicina uētris, & in ipso loco sentiunt grauedinem.

Cura.

Curētur autē ut rheuma cōstringatur, ne ad febres ueniāt, multū soluendo. Quod si cum tumore & duritia fuerit, sicut superius diximus, loca durißima, uel tumida, uel olēta infundātur ex oleo roseo, misto uino austero, et apposita lana succida superligetur fortißime. Si uero plus fiunt ex rheumate, infundi debēt ex oleo lentiscino, anethino, et myrtino, aut camomillino adiuncto melle, & citoniorum succo, & acacia, & omphace, et mante. Et post infusionē cataplasmata stiptica, & cōstrictiua imponātur. Quod si fluxus multus non est, & dolor nimius non sine rheumate thermātica adhibēda sunt cataplasmata, ex fœnugræco, & semine lini, & farina hordei, & pro constringendo rheumate, dactili, & citonia in uino cocta terātur, et in ipso soluantur. Quibus puluere prædicto suprasparso & uaporizatis, leniter cataplasma imponatur, & epithema dysentericorū, & potiones simplices, et ex semine arnoglossæ trito, cum uua passa enucleata factis trochiscis ad magnitudinē nucis, & ad umbrā siccatis unum cum opus fuerit, cum

calida

calida accipiant. Inueterata uero paſsione, antidotum diacithoniten, aut trochiſcos andronij, aut crocodes, aut achantes ægyptias accipiant, & uomitum poſt cœnam prouocent. Cibus uero dandus eſt conſtrictiuus, & bene digeſtibilis, coctus cum ozymo, & thymo, aut origano, & ſerpillo, & his ſimilibus. Obſeruent autē à uectatione, ab iracūdia, à frigida ſpecula et poſt ſomnum modice deambulantes ſedeant. In dimiſsione balneis utantur ſiccis, non deſcenſuri in ſoliū, & omphacū mel cum calida ubi coxeris citonia, & uinum ex citonijs uel granatæ, aut ſuccū orizæ, ſeu lēticulæ ex aceto accipiant, & ouorum aſſorum media in aceto intincta comedant. Lac caprinū ubi excocti fuerint lapides candentes bibant. Poma ſtiptica, & granata, meſpila, & cibos ubi myrta, aut citonia, uel pruna coquuntur, comedant. Quod ſi anus doluerit, uel intumuerit, enema accipiant lene.

De diarria et ſignis eius, Cap. XIIII.

Diarriæ autem, id eſt, ſimplicis uentris fluxus, ſigna hæc ſunt. Sine ullo dolore ſtercora in humore ſolo reddunt, atq; relaxātur. Quod ſi plurimis diebus atq; aſſidue eijciunt, etiam inteſtinorum uulnera habuētur, ut dyſentrici fiant, ideoq; negligenda paſsio non eſt.

Cura.

Cura.

Oportet ergo eos requiescere, & immotos manere, & constringi medicaminibus, & cibo abstinere, & à potu solubili. Imponere quidem debes eis cataplasma stiptcum supra lumbos, & umbilicum, & si non cessauerit fluxus his diebus cibum stipicũ, uinũq; similiter dabis, balneis non utantur.

De dysenteria, Cap. XV.

Dysenteria nascitur his qui primo solutionẽ passi fuerint, & qui per multum tempus neglig ẽter habiti sunt, quos diutißime solutio uentris obtinuit, ut exusta intestina uulnera facerent, & sanguinem emitterent. Nam dysenteriæ sunt duæ. Vna fit in intestinis minoribus, quæ desuper sunt. Alia est quæ de maiori intestino uenit, quod inferius positum est, quo potiones peruenire non possunt, nam clystere magis curatur.

De signis dysenteriæ superioris, Cap. XVI.

Superioris loci dysenteriæ signa hæc sunt: Super umbilico & scapulis ambabus graui dolore tenentur. Sonum supra umbilicum et in intestinis patiuntur, & sitim, atq; fastidium, & per anum minutas guttas & sanguineas emittunt.

Cura.

Cura.

Hi potionibus aptis, & cibis constrictiuis curandi sunt. Aquam quoq; decoctionis citoniorum, aut myrtæ, aut sansucci, aut orizæ, aut siliquæ græce, aut hypoquistidos, seu aquam lenticulæ, aut succum eius, aut aquam roseam, uel aquam mali maciani, uel uinũ mali granati bibere dabis, aut acaciam, aut gummi, aut dragagantum, seu gesaniam, siue amilum, uel flores de cardone unde coagulum fit, aut grossos, id est, cortices mali granati, cum aliquo apoximate conuenienti accipiant: escas autem accipiant, quæ stomachum nõ lædant, id est, succum orizæ, aut asparagum, uel cauliculum, aut lenticulam cum plantigine, & modico aceto decocta, aut porrum leuiter coctum, & cerasa, & damascena, & sorba, et caseus uetus mãducanda sunt, & panis apher, id est, sine furfure siccus, atq; citonia assa cum pipere, & siliqua græca similiter cũ corio suo. Vinum quoq; Siculum, & lac ubi coctum fuerit seuũ caprinũ bibãt. Et epithemia eis tale facis: Ex gũmi in aqua infuso, & soluto, uentrẽ eorũ ab umbilico sursum unges, & supraſparso puluere acaciæ, & grossi mali granati imponis plagellas, & fascia. Quæ adiutoria si minime profuerint, dabis primum trochiscum diaspermaton, quæ si non suffecerint, dabis theriacam, aut adrianum, uel cætera quæ in dinamidijs

huic causæ

huic causæ necessaria inueneris.

De signis dysenteriæ inferioris, Cap. XVII.

SI de inferiori intestino, id est, longaone, quod ano iungitur, dysenteria fuerit, dolor est supra pectinem, usq; ad renes, & egerunt sanguinem cum phlegmate mistum, & deinde pausant. Est quãdo squibala cum sanguine assellant, atq; ponderibus urgentur, nec tamẽ uentrẽ uacuitur, & in ipsa egestione grauißimus putor est, & grauationem satis sordidam mittunt, mucillagines sine sanguine assellant, interdum phlegma sanguini putrido mistum cum doloribus, aßidue magis pallescunt, & macies additur corpori.

De uulnere intestini, Cap. XVIII.

SI uulnus sordidum in intestino maiori fuerit, putet sanguis ipse qui egeritur, & diuersi colores in eo inueniuntur, id est, niger, subalbidus, spumosus, & cætera diuersa sine dolore assellant. Si uero uulnus mundum fuerit, quod proijcitur, sanguis purus est sine stercore, sed non cum tanto fœtore. Dolor in eodem intestino grauior est quando assellãt, & post quam

quam pausauerint, alleuiantur dolore, & putant se re leuari plurimum. Putrido autem uulnere, & sordido facto, sanguinem spissum, & nigrum cum fœtore intollerabili interdum, & gelatum, ut carnes putridas egerunt, doloróque supra pectinem ingens est.

Cura.

Omnibus dysenterijs cura talis est: Oleum roseum cum lana succida tepidum super pectinem imponendum est, & in ipsis locis ubi sentiunt dolores, cataplasmabis ex fœnugræco, & tritici polline, in oxymelle cocto, & postea oleum simplex tepidum accipiens, cũ duobus ouorum uitellis elixis, & duris, inijce per clysterem. Item lacte cocto cum succo ptisanæ clysterizabis. Item fœnugræci, aquæ psidiæ, gallarum decoctionem, per clysterem inijcies. Item lini semen coques in aqua & cola, deinde addito amilo, & dragaganto, & gummi decoctionẽ, sic clisterizabis. Item ex succo myrtæ, & rosæ, lac caprinum, ubi dragaganti fuerint cocti clysterizabis. Item clysterizabis lacte caprino, ubi coques gallas, & senticis cauliculos, aut rorem syriacum, & hoc cataplasma appones super pectinem et renes, quod conficitur sic. In pusca coques dactilos quinque & mala citonia, & mala maciana, & alumẽ scissum, balaustia, semẽplãtaginis

atque

atque semen poligonij, his tusis, & tritis, admiscebis mellis calicem. 1. & coques. Item aliud, tundes gallas, corium maligranati, & myrtam siccam, & rorem syriacum, & rosam siccam, & omphacũ, & capreolos de comunis uitis, & dactilos æquis põderibus. Hæc unà in uino Siculo, aut alio stiptico, aut quolibet austero cocta impone cum plagella super pectinẽ, & renes. Quod si ista minime senserint adiutoria, ex trochiscis Faustiniani solutis in succo orizæ, ubi de cocta fuerit siliqua græca, clysterizabis, antidotum datis tricus buccellis in uino Siculo, aut quolibet in uino ueteri, quod facis sic: Auripigmenti. drach. 17. chartæ cõbustæ. unc. 20. tere, & cum succo plantaginis collige. Item cum supradicto succo clysterizabis. 1. de trochiscis, quos hoc modo conficis: Psidiæ, gummi succi, hypoquistidos, roris Syriaci, ana. unc. 1. litij indici. drach. 4. amili. ana. drach. 4. acaciæ unc. 1. tere, & cũ aqua decoctiõis myrtæ collige: à carnibus omnibus exceptis agrestibus, & à recẽte, & iussellis coctis, & ab oleribus, id est, bleta, malua, catone et à pomis, et à balneis abstinebis eos. Hi etiã mirabiliter uaporãdi sunt, ex aqua & oleo, ubi teneri cauliculi decocti sunt, secundũ disciplinam quæ in Dinamidijs est, Quoniam ex inspectis Dinamidijs, quæ minus propter uerbositatem scripsimus, cuncta utiliter adhibenda inuenies. Cibos autem

autem ſtipticos dabis, qui dantur dyſentericis minorum inteſtinorum.

De ſignis dyſenteriæ, Cap. XIX.

Dyſenteria dicta eſt à paßione inteſtinorũ, quæ græce uulnus inteſtinorum dicitur. Hæc paßio naſcitur ex alto, ex hepate, & proximis, & großis inteſtinis, & gracilioribus, et ex langaone. Ex alto intelligimus dyſenteriã, id eſt, ex ſtomacho, & uentre, per inteſtinorum egeſtionem. Quæ enim egerunt ſine ullo uulnere, neq; ſordibus liquor, neq; impedimentum egeſtionis eſt uentris. Dyſenteria hepatis fit ex frigido potu, quæ ex ſciſſura ipſius intelligitur & ſtercorum qualitate mucilenta, uel liuidis humoribus cum raſura inteſtinorum purulenta, & ſanguinolenta eſt, quando ſanguis coagulatus, quẽ græci trombum uocant: aliquoties ſanguis purus emanat: Sequitur debilitas, & euerſio ſtomachi, uomitus, ſitis, ardor, uigilia, aliquãdo febris, mœror, grauitudo, iactatio corporis huc et illuc, aliquando & ſomnus turbidus, quem græci borboriſmũ uocant, diſtenſio & ingens uentoſitas, mingendi difficultas, linguæ aſperitas, & cinericius color, præcordiorum extenſio, articulorum frigus, frequens corruptio ciborum, aßidue reijciendi uolũtas: dehinc ani

ſubductio, & morſus inteſtinorum, & omnium uiciẽ narum partium. Et ſi ex alto uulnerationes inteſtinõ rum uenerint, primũ ſtercora reddunt, & ſic uarios liquores ſupraſcriptos. Quando uero ex proximis lõ gaonibus locis, uel ex longaone uulnerationes fiunt, primum uarij liquores exeunt, poſtea eiectiones ſter corũ. Ex craßis inteſtinis uulnerationes ita cognoſci mus, ex dolore ſupra umbilicum cum ſtercorum quã litate mucilenta, craſſa, cum phlegmate, & raſura in teſtinorum. Aliquando uero naturale illud pinguẽ quod ſolet eſſe in inteſtinis, cũ ſtercore reddunt. Poſt hæc uero uarias ſanguinolentas, et carnoſas egeſti= ones, quas Græci poliſarcham dicũt, et egerunt quæ= dam membranula inteſtinorum, quæ emigdonia græ ci dicunt. Interius enim inteſtina ſoluuntur, quia ſunt inteſtina noſtra triplicibus contexta membranulis: quæ maxime egerũtur ex craßioribus inteſtinis, quæ ſunt fere circa uentrem duorum palmorum: Horum uulnerationes fœtidiores redduntur omnium inteſti norum uulnerationibus, cum liquore ſupraſcripto, et pondus ſupra umbilicum ſentiunt, & craſſa, & car= noſa reddunt. Aliquando ut fruſtum in ſtercore in ſe cõpactum proijcitur. Ex gracilioribus inteſtinis uul= neratio ſi fuerit, quæ leptacintera uocantur, hæc ſunt tenuia inteſtina, quæ ſunt cubitorũ duorum ſic cogno ſcimus.

ſcimus. Dolor ſub umbiculo circa pectinem ſequitur, ſtercorum tenuitate ſpumoſa phlegmatica atteſtante, exinde fluxum ſanguinis ſentiunt deſcendere cum parua urina, & obtorſiones ueſicæ cum dolore et põdere. Ex longaone inteſtino uulnerationem factam intelligimus, quia ad reddendas egeſtiones ſtercorũ pondus, uel dolor ſentitur in orificio ani, uel interius longaonis, in collo. Guttæ ſanguinis ſequũtur, uel mucilenta parua ex ano egeruntur, cum quadam uoluntate, & pondere, & dolore, dehinc ſpinæ & clunium tenſionẽ, & in pectine quidem fit ſenſus quaſi aliquid urgeat. Quæ autẽ redduntur parua ſunt, & mucilenta, & phlegmoſa, & cum quadam pinguedine primum, poſtea quaſi ſanguinolẽtum ſtercus ipſum, & coagulatum in modum fruſti alicuius mucilentũ, quod Græci tenaſmon dicunt, nos autem portionem dyſenteriæ eſſe dicimus. In hac paſſiõe qui tardauerit morietur. Oportet autẽ nos differẽtiã uulnerũ dare. Si fuerit uulnus in impetu, id eſt, in tumore, & feruore, græce phlegmõ dicitur. Si uero fluxũ ac ſiccũ fuerit, ſeu cõmiſtũ, id eſt, in ſtrictura et fluxu, græce epiplocẽ, ſeu ſcron, uel ſymictõ uocatur. Si aũt ꝓcedens, & depaſcẽs uicina loca, eſt homenos, helcos græce dicitur, aut immundũ: uel ſi mundũ fuerit ymomenõ, aut moton græce dicitur. In impetu eſſe uulnus ſic in-

 telligitur

telligitur. Si cum dolore uenerit, feruidus, & bilosus humor spumosus, & quasi phlegmaticus color est, uel sanguinolentus. Fluxum uulnus sic intelligitur: Fluorem reddunt incessanter. Si autem sine ullo uulneris liquore cõmistum ut subito soluatur, uel constringatur cum pondere ani. Vulnerum uniuersorum cõmistionẽ intelligimus ex sensu doloris cum stercore uario, fœtulento, & nigro, & arenoso, cum mẽbranulis, & cum fœtore quodam grandi. Mundum uulnus intelligitur, quia egestio limpida est, sine ullo dolore, & cum facili transitu. Vulnus immundum hoc est sordidũ, fœtulẽta reddit & nigra, & lutosa, quæ nullam ægro leuationẽ afferunt. Sanabilia uulnera sunt mũda, egestio sine malo odore, stercora sanguinea, cibi appetitio, & bona digestio sine pondere, et sine dolore. Insanabilia autem intelliguntur callosa, ex eo quod nihil sæpe cum steroribus reddant. Aliquoties simul fundũtur: aliquoties cessant. His qui hoc genus uulneris habent, per aliquos dies quasi cicatrix in uulnere ducta sit. Ex his rursus sanguinolenta redduntur, & purulenta, hoc est saniosa. Eodem nanq; modo ut exteriora uulnera, quæ cicatricem quandã deducere uidentur, rursumq; post aliquos dies soluuntur, incurabilia sunt. Similiter interiorum uiscerum uulnera facta, incurabilia approbamus. Dysentericorum

eorũ genera sunt quinq;. Ab alto, ex hepate, & proximis, craßis intestinis, & gracilioribus, & intestino colo.

Cura.

Sub umbilico & sursum usq; ad stomachum si dolores fiant, per potiones curentur, illa uero quæ sub umbilico fiunt, per iniectiones, & encatismata. Potiones quidem accipiant, & cõpositiones trochiscorum diuersorũ, quæ dysentericis scriptæ sunt, id est, anodinos trochiscos, & diacrocodem, aut diacoralle, aut diaomphacion, si febrierint, ex calida, si nõ, ex uino myrtino. Et epithema ex citonijs, & palmulis, & hypoquistide, & acacia, & galla, & strigno, adiante, arnoglossa cõfectum, cũ cerotario, & rosaceo, & omphacũ mel accipiãt cum uino austero tẽperatum, & ipsum liquorem bibãt, & aquam tepidã bibant, ubi coxeris myrtam uiridem, uel turionem pampini, uel oßa dactilorum, aut citoniorum maturorum carnes, & lac caprinũ ubi extinxeris lapides albos fluuiales, aut aquam salsæ, aut marinæ, in modum nucum II. feruentes temperatæ calidum ieiunio quotidie dabis bibere per triduum, si febris non fuerit ualida. Nam ualde febrientibus omphacũ mel, uel uinum stipticum quod eos constringat accipiant. Ciborum uero pultes ex hordeo, aut lenticulæ succum co-

ctum cum pulegio, & cymino, & rore syriaco. Oleorum quoq; caules, uel lactucas, uel intybas agrestes, uel coriandrum per se cocta in aqua cœlesti, & aceto, et oleo, et uino condita. Quorũ in aceto elixatorũ, assorum in carbonibus media ieiuni comedant, fœnugræci elixaturam in pusca bibãt. Item ex acacia, & inanti, id est, floris lauriole trita, cum aqua cœlesti, catapotia in modum fabæ forma, & ad umbram sicca, deinde ʒ. in ouo sorbili post cœnam ad mansionem bibant, aut cum cœlesti aqua unam & dimidiã tritam. Si non febriunt, ex uino, & rorem syriacum infusum in uino austero, aut succo arnoglossæ, aut succo orizæ, aut lenticulæ, ieiuni bibant, uel urticæ, aut arnoglossæ semen tritum ex calida. Item pumicis usti, specularis tosti, coriorum granatæ siccæ tritorũ, & cribratorum, ex æquo coclear I. ex calida si febriunt, si non, cum uino. Quod si non curantur, ad lyenteriam ueniunt, & ibi moriuntur. Quod si in graciliori intestino, uel longaone uulneratio fuerit, curentur ex istis, uel ex diuersis trochiscis ex sandaracha, calce, charta combusta, et cæteris, uel trochiscos faustiniani inijcito cum elixatura myrtæ uiridis, sed primum iniectiones accipiant leues, id est, lac caprinum tepidum, aut elixaturam cantabri, aut ptisanæ succum, aut litium tritum cum uino, aut rosarum elixaturam

turam cum acacia trita inijcito, & ouorum albuginem. Pro longaonis uulnere encatiſma adhibendum eſt ex myrta uiridi, abſinthio, lauro, corio granatorum, ſenticis, & turione pampini, & alijs adiutorijs quæ tenaſmoni congruunt, & amilum cum lacte bibant. Si fluxus mollierit, & dolorem creuerit, cataplaſma bis. Quod ſi dolor minuerit, & fluxus creuerit, magis iniectionibus moderari debes, parcere autem cataplaſmatibus laxatorijs, aut in dimiſsione febrium ſcarificatio fiat. Utantur palmulis in cataplaſmatibus, non multum bibant. Quod ſi per tuſsim ſanguinis aliquid expuant, dandus erit ſuccus plantaginis ex puſca, & aliarum ſimilium herbarum ſucci, aut decoctio malorum citoniorum, aut palmularum thebaicarum. Quod ſi auſterre non poteſt, puſca frigida detur. Si autem fluxus ceſſauerit, & puluerulentum excreauerit maturum, bonum eſt. Ideo aſsidue accipiant mulſam, quæ purget uſque ad duos diatritos, & alicam ex melle, uel ſiliginem ex amilo, & pane ex mulſa, aut fœnugræco in mulſa cocto utantur, ita ut in prima aqua coquantur ad tertiam, coque ſimiliter in ſecunda. In tertia uero aqua mel habeatur, & dabis bibere, quia fere omnes medici hoc in uſu habẽt. Poſt ſeptẽ dies mulſa data huius electuarij da mane coclear I. ſi tamen

fluxus interim non est. Quod recip. iris illyricæ, hysſopi, æquali pondere tuſa, cum melle mixta. Hoc & nos utimur ſemper, & de eius effectu gratulamur. Mirabiliter quoq; uulnus purgat, collectionem maturat, ſputum deducit, & omnem tußim cōpeſcit. In remißione ſi aliquis dolor pulſauerit, epithema erit imponendum diaſpermaton, & locum dolentem ſcarificari oportet. Et poſt dimißionem electuarij iſtius da mane coclear I. quod Rec. lini ſeminis, nitri, ouorum aßorum mediorū, nucleorū toſtorum, & amygdalarum amararum æqualia pondera, mellis deſpumati quantum ſufficit. Et antidotum diatrion pipereon, & cerotū ex althea, & ex oleo cyprino apponatur: item in remißione accipiant cibos uarios, carnem agninam, uel hœdinam cum paruo ſale et oleo, balneo tardius utantur.

De ſignis lyentericorum, Cap. XX.

LYentericorū ſigna nos apprehendimus ex cibo mox accepto, qui egeritur cum multa humectatione ſpumoſa, uel alba, aut urinæ ſimili, aut paulatim coagulata, cum dolore & rugitu inteſtinorū, aliquādo cū pōdere, et ſine dolore & rugitu, unde lyenteria dicta eſt, ab inteſtinorum lenitate,

tate, eo quod facilius elabēdo cibus pertrāseat. Lyc- non enim lyenteria græcè uocanr intestinorum. Ali- quoties cibus qualemcunq; acceperint incoctus per anum egeritur, sicut semina pomorum, quæ difficile digeruntur. Fit aliquoties ex dysenteria lyenteria, ut post dysenteria uulnera ad cicatricem uenientia le- uia fiant intus intestina. Sicut enim in superficiei fit uulneribus, sic interius in intestinis, & cibos crudos, & oua, et pulpam panis crudam proijciūt: quoniam eos continere non possunt. Fit etiā lyenteria post lon gam dysenteriam, sic: Transiens humor frequens, la nuginem facit in stomacho, uel intestinis. Sicut supra lapidem aquæ discursus lanuginem facit, similiter fit in lyenteria.

Cura.

Cura uel diligentia paßionis hæc est: Primum le- ue catharticum ex polipodio est adhibendum, quod ipsam lanuginem abluat uel extergat. Cibos fortio- res ex oleribus, caules, radices, cepas, allium, & sal- samenta, sinapi, et ptisanæ succo coctas colocynthi- das sorbendum dabis, & deambulatio, & exercita- tio, & fricatio uentris fiat. Adhibendū est cerotū ex oleo cyprino, irino, habens rutam, & cyminum, & his similia. Vngentis acopis totum corpus ungatur, et malagma diaspermaton, aut poliarchion, aut dia-

 sinapion,

sinapion, et omnes potiones dysentericorũ his conueniunt.

De Tenasmone, Cap. XXI.

TEnasmon est paßio intestini recti, quod longaonem, uel extalem dicimus, & desiderium uentris cum magno pondere & frequẽti assellatione, & præ magno pondere deficiunt, & mucilenta aut sanguinolenta stercora reddunt, cũ magno labore, & pondere intestini catamodicũ, aliquoties ex uulneratione longaonis, cum dolore, et uoluntate, & delectatione assellationis, cum phlegmatibus, uel rasura, & spumosis egestionibus. Cõtingit autem maxime ex frigore nimio & ex indigestione, uel frigidis potibus, unde fit & extensio clunium, et lumborum, & pondus ani.

Cura.

Curentur autem ex uaporatione encatismatũ, ex fœnugræci elixatura, et altheæ, & rosarũ, ut super eorum elixaturam sedeant, et pro ipsius intestini uulneratione, uel ruptura, butyro sine sale, & adipe anserino, & rosaceo, cũ modica cera alba soluta in pruna leniter perungatur, & pro pondere intestini pice græca subfumigato sedentem, ut fumus ipse uel calor ab intestino recipiatur, & quoties delectauerit sedere

ſedere apponatur, & in iectionem accipiāt ex oleo ro ſeo, aut irino, aut myrtino, & à foris ungatur ex oleo laurino pectines, umbilicum, ilia. Renes & loca uncta cooperiantur ex lana molli, & faſcia, & lēnis cū ungento tetrapharmacon, aut lipara, & inijcito, aut fimo columbino cum roſaceo, & modica cera alba, & cataplaſmate utendum calido circa pectinem, & uaporatione, & ſi ſine febribus fuerint balneo utantur, et in ingreſſu mox anū, ex oleo perungant, et ſic in pauimento calido ex calida infuſo ſedeant, ut diutius ſedendo ſudent, inde in ſolio diu foueantur, et poſt balneum ungantur oleo calido, aut ex oleo anethino, aut rutaceo, aut laurino, aut ex acopis thermāticis iſta loca ungantur, et deſuper lana calida operiantur. Cibus digeſtibilis, et leuis ſit, et potus calidus. Quod ſi potus fuerit ſine aliquo liquore encataſma facis ex caricis coctis in puſca, in qua fœnugræcum infundis, & de ipſa calida calefaciāt ſe, et deſup ſedeāt, et ſuper ſaccellū ex cātabro in uino cocto, et clyſterē accipiāt ex decoctione roſarū, myrtæ, et corij granatorum, adiecto butyro, aut oleo roſeo et potum accipiant elixaturam myrtæ uiridis. Si febriunt in aqua coquātur, ſi non in uino, et ieiunis potui dato, et collyrium inijciatur in anum ex myrta, olibano, acacia, galla, & ſucco orizæ, factum.

De lum

De lumbricis, Cap. XXIII.

Lumbricorũ sunt genera tria. Lõgi lati, rotũdi, & breues. Breues et lati nascuntur aliquoties in modum seminis cucurbitæ, quos græci ascarides uocant. Longi & lati, longi & rotũdi propriè lumbrici dicuntur. Longorũ quatuor cubitorum longitudo reperiri potest. Latis & longis lumbricis uexatos cognoscimus ex egestione per uentris officiũ corpusculum mouentibus, seminis cucurbitarum similibus, aut paulo maioribus, cum appetitu cibi uehemẽti, & pallore corporis, aut uirium debilitate nutrimẽto cessante, quod græci atrophiam uocant, attestante mordicatione partis quæ umbilico subiacet, magis ante cibum. Longos & rotundos lumbricos adesse scimus ex mordicatione cum dolore nimio pungenti, ac tormento uentris, & intestinorum, & nauseant. & ueluti currẽtia animalia supra stomachi summitatem sentiunt, attestante aliquando uentris fluore cum fastidio, & debilitate uirium cũ pallore & macie, & tussicula sicca parua, cũ animi defectione, quã græci lypothomiam uocant, cum stomacho turbato. Qui peßime preßi ingemiscunt, aut dentibus strident, aut proni iacent, extra consuetudinem dormiunt, & repente clamãt, & nares sibi aßidue scalpunt, & per os odores acres emittũt, & repẽtino casu dimersi conquiescunt,

aut uario

dutũario motu conducti torquentur cum pulsu paruo crebro, inæquali, deficienti. Ex ascaridibus uexatos apprehendimus, ex pruritu longaonis, et per uentrẽ solutio morborum decurrit, et donec egerantur, grauedinem clunium sentiunt, cum pallore corporis, et morsu attestante. Oportet scire medicos et intelligere diuersitates signorum lumbricorum, quia aliquoties insaniunt qui grauiter à lumbricis uexãtur. Aliquãdo phreneticorum signa faciunt, sed tamen isti querelam intestinorum, uel uentris sentiũt. Patiuntur et cœliacorum signa, quoniam ex lumbricis torquẽtur, proni iacent, et ingemiscunt, uanam exclamationem habent. Aliquando stomachi dolorem sentiunt, sed sine inflatione cum intestinorum tormento. Est quãdo dysentericorum signa patiuntur, et quando lethargiam patiuntur, et obtumescunt. Aliquoties patiuntur ut epileptici, sed spumam non emitũt: patiuntur aliquando catalepticorum signa, uel apoplecticorum. Est quãdo suffocantur ex lumbricis quasi ex matrice. Sunt alij qui naturaliter per somnum et per plurimum cibum strident, et exclamant tanquam à uexatione lumbricorum. Et hæc consyderare oportet de supradictis signis quomodo discernimus insanos ab eis qui ex lũbricis alienantur, ex proprietate signorum quæ specialiter passioni tribuitur. Nam insanis querela capitis pri

mo oc-

mo occurrit, quæ paßionem futuram denunciat, sequẽtibus cæteris quæ eam confirment. Ex lumbricis autẽ uexatis debilitationes intestinorum ac uẽtris occurrunt, sequentibus signis quæ ab insanis aliena sunt, et pulsu deficiẽti, aut prona iactatione. Quomodo phreneticum ab eo qui ex lumbricis uexantur discernis. Ex capitis antecedente querela, & cum sequenti perseuerantia febrium, quarum ex acceßione mentis alienatio augetur, ex dimißione mitigatur. Ex lumbricis aũt oppressos debilitationes consequũtur, neq; necessariæ febres sunt, aut si fuerint, nõ cũ earũ acceßione mentis alienatione asperantur, aut in dimißone releuantur, sed iugiter pleruntq; perseuerant. Lethargicos ab eis qui lumbricos habent diuidimus, quia obtumescunt: Sed & febres acutæ, pulsus maior, rarus, inanis, & supini iacent, uultus attestante pallore, colore plũbeo. Ex lumbricis autẽ apprehensos non necessariæ febres sequũt ur. Pulsus etiam creber atq; paruus, & inordinatus occurrit, rubro attestante colore, atq; proni iacendi positione. Epilepticus ab ijs qui ex lumbricis obtumescunt, discernitur, quia diuerso modo torquetur, spumas egerit. Ex lumbricis autem comprehensus, nõ agit spumas, cætera signa patitur. Catalepticus à lumbricosis diuiditur, quia cum febre est pulsu attestante magno, ac ueluti percutiẽte, lumbricosus uero sine febre

bre similiter obtumescit. Pulsus etiam paruus atq; creber assistens est. Apoplecticum à lumbricoso discernimus ex antecedenti querela capitis. Lumbricosum autem oppreßio intestinorum, uel uentris consequitur. Præfocationem matricis à lumbricorum oppreßione diuidimus ex antecedente querela intestinorum, uel uentris, de hinc ex consequentibus signis. Nam matricis raptu ad superiora effecto obtumescunt, & ex ipsa parte uexantur. Lumbricosi uero sine matricis querela supradicta patiuntur. Hoc modo discernis eos, naturaliter aut per plurimum cibum strident, atque repente & inaniter exclamant, ab his qui lumbricorum uexationem patiuntur. Nam qui grauationem patiuntur, cibi detractione releuantur. At si lumbricorum fuerit uexatio, detractione cibi magis grauantur. Qui autem hæc patiuntur, naturaliter, neq; tormentum uentris, uel intestinorum sentiunt, neq; decolorantur. Fiunt autem lumbrici sæpißime in infantibus, & quibus crescit ætas semper occupari solent usq; ad iuuentutem, & carent deinde. Apparent autem morsus in locis in quibus nascuntur, & fit pruritus naribus cum fricatione aßidua, pro subita mordicatione exclamant cũ corruptela, sine cibo, et cũ fastidio sunt. Aliquibus in stomachũ scandũt, tũc eos ꝓijciũt per os, & ꝑ nares. Quam

maxime

maxime sepius nascuntur ex indigestione ciborum, et corruptela ex malis cibis, & malis humoribus. Infātibus autem sæpißime nutriuntur ex dulci cibo, & pane calido, & non fermentato, & parum cocto.

Cura.

Cataplasmentur ex lupinorum farina, admista absinthio, & melantio, & gith, abrotono, cardamo, simul coctis. Comedant lupinos amaros cum melle, & croco modico, & sandonicum, & amygdalas amaras, et caricas, et elixaturā melantij in mulsa cocti, potui dato: fortiores aūt nasturtium cum melle comedāt & sinapi tritum modicum, in oleo mistum, & ptisanæ succos bibant, ubi coxeris radices tusas polipodij, & cornu ceruino combusto & trito, coclear plenum in mulsa potatū, lumbricos mire excludit. Similiter & ex medulla ceruina tota spina dorsi ungatur, & umbilico ex planta cum modico croco conuenit adhiberi, & absinthium uiride tritum in umbilico positum prodest, & elixaturam absinthij pontici, et cētaureæ bibant, et folia persicorum tusa umbilico imponātur et uentri, et nucleos persicorum ieiuni comedant, aut tritos cum careno bibant, similiter et amygdalas amaras, et fricationes, et cibi digestibiles in dimißione conueniūt. Cōtra latos lumbricos aquā salsam bibāt et omnia acrimonia comedant, maxime allium, et sic uomāt

& postea

& postea catharticum istud accipiant: quod Recip. scāmoneæ, lacteride, cocognidij, nitri, piperis, æqua lia pondera, mellis quod sufficiat, & his similia ex mulsa bibant. Contra eos qui stimulātur uermiculis, aquam salsam bibant, uel elixaturam centaureæ cum modico melle. Quod si per os eicerint eos, et euerso stomacho fiunt, salem oportet eos in ore tenere, et cō quassati liquorē glutire, sic enim amoti discutiuntur.

De eodem, Cap. XXIII.

Lumbrici ex corrupti stomachi humore, et incompetentibus sæpe cibis resumptis na scuntur. Aduertendum est lumbricorum tres esse differentias, rotundi, et rubri, sunt & noxij. Sunt latiores, longiores, & albidiores, sunt minuti, et tenues, & illis omnibus sollicitiores nascuntur, tamē infantibus familiares sunt.

Cura.

Infantibus conuenit dare centaureæ, uel abroto ni, uel sandonici, uel epomphilion decoctionem, et lu pinorum farinam, & absinthium ponticū, & melan tion trita, et in mellicrato tēperata impones. Quibus decoctio ficuum adhibenda erit. Dabo nuxiarū deco ctionē, & ipsas nuxias, & passum, et si multi fuerint, etiam per clysterē cura. Iuuenibus uero nasturtiū ex

melle coctum dabo. Raphanum expedit accipere, & succum dabo cum diamoron. Et eodem more conueniunt, & sinapi cum oleo tritum bene datur, & hydroleon tepidum ex ueteri oleo temperatum, & succum ptisanæ in quo polipodium coqui debet, & mentæ uiridis decoctio potata lumbricos mire excludit. Sic erucæ, & caulium, & roris syriaci, & malorum granatorũ immaturorũ decoctio. Cataplasma quoq; ex lupinis, absinthio, & pane cõbusto, abrotono, & melãcio imponendũ est, & puluis lupinorũ cum aqua calida datus, satis iuuat, et põphiliõ subijciatur cum felle taurino, & melãtio, & abrotono tritis cum lacte mulieris, & cum pinguibus ficubus, aut dactilis tritis cũ melle despumato, & cerotariũ cum cymini, & absinthij puluere imponatur. Exercitia etiã pro modo uirium adhibeãtur. Cibãdi sunt ex digestibilibus cibis, & per interualla clysteribus acrioribus adhibitis satis iuuabũtur. Si uero latiores infestauerint, hos myrrha pinguis accepta cõtinuo excludit, et allium si frequentius comedatur. Vomere cogendi sunt, & cõtinuo escam amoue, ad purgãdum quoq; theriacã, pro cathartico dabis piper, nitrum, cocondio, euphorbiũ admiscens. Ego uero & magistrorũ experimento, et nostro lõgo probato iam tẽpore, hoc cathartico semper utor. Quod Recip. scãmoneæ drach. 4. colocinthidarum

thidarũ pulueris drach. 1. euphorbij drach. 3. nitri. drach. 4. quæ omnia tusa, et cribellata cum mellicrato, & uino dulci semp dedi. Salubrius autẽ cõtingit si alliũ, uel cætera acrimonia ædãt, et oleũ bibãt calidũ, & roris syriaci succũ cum aqua calida, et siseleos cũ melle, et anus felle taurino, et cedria pungendus est.

De signis cholicorum, Cap. XXIIII.

Cholicos agnoscis ex dolore partis dextræ, uel sinistræ supra pectinẽ. Ventrẽ cõstrictũ habẽt, uentositatẽ patiũtur, saguinem mixtum cum stercore egerunt, dolor ab umbilico accidit, usq; ad inguinem sinistrum, perueniẽs usq; ad anũ, ilia usq; ad renes infestis doloribus cingũtur, et in ipso intestino cholo dolor est, ut appareat quasi intus scissum sit. Vox enim aliquoties intercluditur, et interdũ reparatur, nec uentũ per anũ uel squibalã egerunt, sed delectat eos secessus uẽtris, & uentris desiderio urgẽtur, & tamẽ non faciunt uentrẽ. Interdũ & frigus patiuntur: aliquoties & tremorẽ, fastidiunt, sonãt intestina, eructare uolunt, & non possunt. Tensionẽ uentris, et stomachi intollerabilẽ patiuntur. Vnde si medicus hæc signa nescierit errat, ut credat eos nephreticos esse, similitudine causæ habentis differẽtias. Nã nephreticus aut sanguinẽ mingit, aut arenã, aut urina ipsa est ueluti sanguinea, cũ cholicus

talia non facit. Aliqui dolore sinistram partem tan-
gente spleneticum putant, sed spleneticus tumorem
et sclirosim habet in sinistro latere. Cholicus uero in
ano uel longaone intollerabilem dolorē patitur, qui
à splenetico alienus est.

Cura.

Cataplasmandi sunt supra pectinē usq; ad umbi-
licum, & renes omnes usq; ad anum, uel omnibus lo-
cis ubicunq; dolor pulsauerit ex sulphure uiuo, cymi-
no æthiopico, aut alexādrino, castoreo, staphisagria,
nitro, melle quod sufficiat, ex æquo simul tritis, & te
pefactis. Qui etiam cucurbitandi sunt ita ut oleum
quod sub cucurbita mittitur laurinum, aut anacardi-
nū sit, ex quo post cucurbita loca fricabis, encatisma
eis tale facis: Laurū & cypreßū coques cū aqua et o-
leo abundāti admisto myconio, inijcito. Et dū feruēt
patientes sic deponantur ut aqua cooperiantur usq;
ad umbilicum, ut manibus pectinem eis, & renes fo-
mentes. Et mox surgentes inuoluantur pannis rudi-
bus, non à fullone candidatis, & cooperiantur in le-
cto calido, & iaceant non tangendi frigore, quia fri
gus contrarium illis est. Quos clysterizabis ex oleo
decoctiōis maluæ agrestis admisti fœnugræci, et ca
storei drach. singulis. Item aliud clysterū ex oleo lau
rino, ubi decocta sunt malua agrestis, et cyminū ale-
xandrinum

xandrinum, & cyperum tepidum inijce. His uero minus proficientibus, ex oleo ubi decocta sunt ruta agrestis, & castoreũ, et pyrethrum, & euphorbium clysterizabis. Vnges quoq; loca dolẽtia usq; ad anũ, ex sulphure uiuo, pipere, nitro, & euphorbio, tritis æquo pondere, cum oleo sicyonio, addito modico ceræ puniceæ, ne nimium durũ, uel liquidum sit. Fac etiam hæc in omnibus doloribus. Ex hoc cõdito dabis ieiunis calicem 1. cum calida aqua: quod Recip. piperis albi, picis indicæ, pyrethri, petroselini macedonici ana. unc. 1. nitri, gũmi. ana. unc. 2. euphorbij unc. 4. mellis despumati & uini qđ sufficiat. Quibus imponendi sunt dropaces ad omnia loca dolentia ad solem in calidißimis locis, aut ad ignẽ. Quibus pro nimietate causæ minime proficientibus maiora adhibeantur. Nanq; si iuuenis est & fortis, phlebotometur de matrice uena brachij: diebus quoq; quinq; phlebotomij expletis, dabis hieram antid. aut theriacã, aut adrianum, aut philonium, aut trochiscum diaspermaton, & aquam decoctionis radicum apij, & feniculi bibendam dabis, & cætera his similia, & loca dolentia unguentis thermãticis unge, maxime anum. Quippe eis uaporatio neceßario prodest, & colon, id est, grossum intestinũ colligens in se frigidum phlegma ex hoc unguento contra ignẽ unge aßidue. Fit autem

ſic:In oleo coques rutam agreſtem,& ſiſonum ſi po
teris,& radices cucumeris agreſtis,uel petroſelini,
& radices iunci,& papaueris uiridis. Quibus deco
ctis & proiectis cum oleo miſtis,modicum ceræ pu=
niceæ,ut magis unguentum quã cerotum uideatur,et
protinus mollibus inuoluis lanis & in anum ſubijci=
enda collyria ad longitudinem 3.digitorum. Quod
Recip.opij,diagridij,ana.drach.3. ellebori nigri,cy
mini,gummi.ana.unc.1.conficis ſic: Terenda teres,
ſoluenda in lacte humano ſufficienti ſine foco ſolues,
& ſimul omnia mixta tandiu malaxa donec paſtile=
ſcant,& inde collyria in forma & ſubijce,ſed inter
dum faciendum eſt non ſemper,et pro nimietate cau
ſæ adhibendum,quia forte adiutorium eſt,quæ ſolum
uentrem,& ſquibalas deponit,dolorem amputat,et
ſomnum facit,longaonem calefacit,& omnia quæ in
cauſa ſunt paragorizat. Balneis utantur ſalſis, & ſi
ſalſa non fuertnt,ſalem addes, aut nitrum alexandri
nũ.Similiter prodeſt aqua aſphaltida,uel ſulphurea.
Cibi eorum ſint ſucci calidi,& iuſſella.Conditum cho
licis expertũ Priſciani Theodori:qd' Recip.petroſe=
lini macedonici,pulegij,ſagapini,iuniperi,baccarũ,
urticæ ſeminis,myrtæ, caſsiæ fiſtulæ,naſturtij,ſpicæ
nardi,marrubij,roris marini,enulæ,cymini ana.unc.
1.zingiberis ſanſucci,betonicæ,coſti ana unc.1.pipe
ris

ris unc.4. istorũ puluerẽ in doliolo uitreo repones, et cũ opus fuerit cond tũ sic facies. Mellis despumati phialam 1. uini optimi duobus coclear. pulueris supra scripti admiscebis, & sic in balnei solio dabis ieiuno coclear unum.

De eodem, Cap. XXV.

CHolicos apprehẽdimus ex dolore sub umbilico, uagante à dextro ilio, ad sinistrum, & nunc splenis, nunc hepatis, nunc clunium, nunc uentris partibus perseuerat dolor fortißimus, & per multa tempora. Paßio autem hæc uocatur cholica diatesis. Contingit hæc paßio ex corruptela humorum, uel escarum, & ex multis alijs causis, id est, ex frigore, uel luxuria, aut meraca potione, maxime à frigido potu, aut ex defatigatiõe laboris, & totius corporis, et ex frigore sudoris post laborẽ, et potionẽ purgationis frequẽti usu: aliquoties ex clystere fortißimo, & frequẽti, & his similibus. Cõmouetur maxime hæc paßio ex frigore, et uiscerũ uẽtositate inclusa in ætate iuuenili, multoties uiris, et raro mulieribus. Hæc paßio est grauis, & tarda cum febre: quoniam in acceßione obtorquetur, & extenditur nõ solum intestinum, sed & renes, & uesica cõpatiuntur, deducentes eos usq; ad nouißimum finem: aliquibus

fit in parte sinistra, ut aliquã partem membrani attrahat & renum, & mẽbranum epitocotacum doleat, quo longaon producitur. Aliquoties intercluduntur, ut nec squibalas, nec urinam, uel uentositatẽ faciant. Aliquoties modicum, & graue olens egeritur. Grauiter cibum digerunt. Quando transit accessio & extensio præcordiorum uel uentositas transit, & eructatio digeritur, & dolor minuitur paulatim, et uẽtositas ani cũ tormẽto digeritur, & uesicæ, & uentris egestio fit, id est, urina, & uenter solutus redditur.

Cura.

Omnes dolores cholicorum curãtur ex uaporatione cum saccellis farinarum in uino coctarum, et hoc cataplasmate quod fit ex sulphure uiuo, cymino, uua enucleata, in uinum tritis, & in linteolo inductis, apposito in sumine, uel in stomacho, uel in umbilico, & in clune, & cusæ, in his locis apponendæ sunt. Quod si pondus fuerit ani cum dolore, encatisma adhibeatur ex calida & oleo, aut in aqua decoctiõis cypressi comarum, aut lauri, aut absinthij, aut pulegij, sedeãt calida. Si uero uentrẽ, uel urinã non fecerint, anethi si febriũt, siue rutæ fasciculum 1. cymini coclearia 2. in linteolo ligato coques lento igne in olei dulcis partibus duabus, aquæ una, donec solum oleum remaneat, & ipso per linteolũ colato, admiscebis butyri sine sale

ſale coclear. 2. aut adipis anſerini, aut porcini recen tis, & hoc tepidum tunc inijcies ad mãſiones per triduum. Quod ſi ex frigore cõmota paßio fuerit, aut hyeme ſine febribus, in ipſo oleo an ethino, aut rutaceo addis terebinthinam, aut caſtoreum tritum: ſi aũt impetus maior fuerit, cum euerſione ſtomachi & antidoti philonij ſemiunciã ſolutam in uino ueteri coclear 1. cum oleo roſaceo inijce, & cerotaria thermantica adhibenda ſunt circa uentrem & acopo, & pyrethro, et euphorbio, nitro, pipere, cum ceroto, et oleo rutaceo ſup pectinẽ inungito, et potũ dato trochiſcos anodinos, aut trochiſcos diacaſtoreos ad manſionẽ febriẽtibus cũ calida. Si nõ febrierint, cũ uino. Cibos leues et digeſtibiles offerimus. Quibus dolor choli inſtat ſæuißimus cũ indigeſtiõe ciborũ tẽpore certo, quã do acceßio doloris nõ eſt, cathartico purgẽtur. Pro indigeſtiõe ciborũ oxymellis cocti dabis coclear. 2. in acceßione ungantur loca dolentia, & præcordia, et ſpina dorſi ex oleo rutaceo, aut ſanſuccino, aut laurino. Si uero in hepate unius lateris cum tußi inſtiterit accerrimus dolor, ex alia parte ubi dolor non eſt, de brachio ſanguinem dimittere debemus cum apophoreſi: ſed tamen ante omnia clyſterizentur, ſi ætas et uires permiſerint, & ſi inquietantur ex ſquibalarũ retentione, prouocentur ex calida, & oleo, & mo-

dico sale. Quod si in uno loco fixus manserit dolor, cataplasmentur ex puluere fœnugræci, lini seminis, & hordei polline, in mulsa coctis. Si autem infrigida uerint loca dolentia, saccellemus ex sale tosto, et post uaporationem ex oleo rutaceo loca ungantur, & desuper lana carpinata posita ligetur. In declinatione balneis utantur, & post potum accipiāt mel cum puluere betonicæ, piperis, baccarum lauri, & ungantur loca ex oleo cum nitro, myrrha, cymino, & aniso, ex pice liquida cum oleo. Quod si tumor ani sit, ungi debet ex butyro, aut adipe anserino, aut per clysterem inijciantur. Inueterata uero causa, stomachum curēt, & accipiant antidotum theriacum, & antidotum colicorum recipiens papaueris semen, & madragorā, & malagmate utantur diaspermaton, aut poliarchion. Quod si pruritum in uētre patiuntur sine febre, encatisma fiat ex fœnugræco, & semine lini, altheæ radice in aqua, et oleo coctis. In accessiōis tēpore hoc acopo ungantur, omnibus meliori, quod fit ex pipere, nitro, calce pyrethro, cacreo, sinapi, pumice, fece uini cōbusta, adarce, euphorbio, ex æquo tritis cū oleo ueteri. Vomitū etiam prouocabis post cœnā ex raphano, & purgentur ex elleboro, pulueris qui fit ex mastiche, cymino, apij semine, ex æquo tritis coclear unum accipiant, si febriunt, ex calida, si non ex uino.

Veteres

Veteres etiam probauerunt.7.crudas cocleas cum testis suis tritas,cum piperis granis .11. luna plena in balneo dare.Cibos accipiant leues,uel uinum digestibile,& poma modica,ut delectentur,nec multum dulcißima,nec immatura,& palmulas thebaicas,& nuces,amygdalas, dulces nucleos.Sunt enim hæc digestibilia.Nam cholicis lac uenenum est. Quod si delectauerit,coctum in cibo,semel & modicum accipiant.

•Physicum remedium probatum, ouis quam lupus in sylua occidit,lana sine ferro sublata à duobus sororibus uel germanis,fascia textatur quam qui interius ad uentrem ligauerit non ad eum cholicus color accedet.

De uentositate præcordiorum, Cap. XXVI.

INflatur frequenter tenui uentositate tam ipse dominus corporis stomachus,quam uenter atq; intestina: aliquando tenue,aliquando grossum id patitur intestinũ,quod dicitur cholon. Grauißimiq; et intolerabiles ex hoc fiũt dolores,aliquoties cum febre.Scito ipsam uentositatem uariam naturam atq; diuersam,& intemperatam habere.Nã sæpe calida,sæpe frigida,sæpe tenuis est & lympida:sæpe spissa,et turbulẽta,ut sunt uẽti aëris huius quo utimur. Cõsdera qualis eorũ natura sit, qualis zephirus,& notus, uel boreas,quis eorum calidus quis frigidus,quis

siccus

ſiccus, quis humidus, quis tenuis, quis ſpiſſus. Nam hi de terra procedẽtes faciunt mũdo aut nimium calorẽ, aut frigus, & cætera ſecundũ quæ accipiunt naturam ſi intemporati ſunt. Cum autem temperati certam tranquillitatem. Sic & in corporibus humanis quoties uitio materiæ ſuæ uentoſitas ſpiritus naturalis ſpiſsior facta, uel liquidior, ſupra naturalem modum amiſſa ſui temperie, uel calidior uel frigidior fuerit, ubi ſederit, graui eum locum dolore configit, & acriorem ex ſe uaporem emittit. Et certe noto flante, corpora noſtra conſtrictiora fiunt, & naturalis ſpiritus uentoſitas ipſa denſior facta, tardius exhalat, cõſtrictis meatibus ſuis, cui utiq; uno caloris congruo beneficio adhibito, utrunq; curabis, relaxando corporis conſtrictionem, & attenuando denſitatem uentoſitatis calidamẽtis ſubtilibus, & blãdis, uirtute id faciens, aut embrocis, alias embotis, aut cataplaſmatibus, aut fomẽtationibus, aut potione medicaminis congrui, aut clyſtere, aut blãda manu ꝑ fricationẽ membrorum ipſorum quæ patiuntur. Natura etiam competenter poterit oſtendere rationem tam medicaminum, quàm cauſæ qualitatis, & quantitatis. Sæpe enim uentòſitas ipſa circa ymenab naſcitur uiſcerũ, id eſt, mencranulis, id eſt, mapæ tenui infigitur, & denſitate ſua conſtricta, inde exhalare non poteſt. Tunc etiam crudeles facit dolores,

res ; aliquoties in laterum tympanis, renumq́; muſculis, uentris inteſtinorum deſidet, & aliquoties in ipſo peritoneo, uel in ipſis ſpiritalibus poris, id eſt, meatibus p quos ſpiritus ſuos flatus emittit, uel colligit, ſpiſſitudine ſua conſtringitur & configitur. Ideoq́; multi falluntur non ualentes certam huius inuenire rationem. Nã alij putant eos eſſe nephreticos, alij cholicos, alij ueſicæ, alij matricis ſi fœmina eſt, alij lateris, alij hepatis paßionem pati. Et ſi ſatis frigida erit, & ſpiſſa, hæc talis uentoſitas accutißimos & immaniſſimos dolores facit.

Cura.

Tunc debes tenui oleo coquere quæ ſunt calidæ uirtutis & calaſticæ, & inijcere per clyſterium, ut eſt cyminum maxime æthiopicum, & petroſelini, uel apij, uel fœniculi ſemen, uel aniſi, uel ſinoni, uel leuiſtici, uel ſiſelei, uel dauci, uel ſpondilij. Et ſi nihil ex his ꝓficere ſenſeris, nimiumq́; uentoſitatis frigus in peius ire ceperit, adde his & rutam, & baccas lauri admiſce oleo, in quo hæc decoxeris, aſpaltum, & oleum laurinum, & quæq; talia quæ calidæ putaueris eſſe uirtutis, & ita decocta atq; colo inijcies, & à foris lanis calidis loca peruncta eodem oleo fouebis. Et ſi ſenſeris phlegmonem, id eſt, indignationem, atq; feruorem in inteſtinis, auferes nimium calidæ uirtutis ſpecies, & a-

cres,

cres, uel amaras, & addis pro his illas quæ sunt calastica magnæ, & mediocri uirtute calidæ, id est, oleum in quo coques rutam & anethum, addens anserinum adipem, uel pullinum, ita inijcis adiecto modico succo fœnugræci, & hæc talia maxime facienda sunt, cũ dolor intolerabilis, & acutißimus est. Nam mediocres dolores sæpe adhibita extrinsecus calefactio, uel uaporatio, sola per se tantum curat, & minuit causam, id est, panicium torrefactum, & cum saccello dolori suprapositum, utilißime & melius quã cætera quæq; pro utilitate sui, & uirtute prodest. Et si panicium non aderit, sal eodem modo proderit & aqua feruẽs in lenticula medicinali, & sabana calefacta, & quæq; talia adhibenda sunt, & antequam refrigerent mutãda sunt. Sæpe & cucurbita cum flamma largiori umbilico suprapposita, dolorem efficaciter mitigat, & olei calidi similiter fomentatio. His uero adhibitis omnibus, & nihil proficientibus, dabis anodinas potiones, id est, ad præsens mitigatiuas tantum, non sanantes. Cum enim uidentur iuuare, grauius in posterum lædunt, namq; sensibilem uirtutem sopiũt. Sed melius est ex hoc tali medicamine læsa postea iuuare: quã in periculo ad presens non subuenire. Vtendum est philonio, & omnibus quæ opium recipiunt paragoricis potionibus non statim confectis, sed post annum confectionis tempo

nis tempore, uel post .11. menses, uel .7. & maxime hæ tales potiones tunc proderūt, cū supiora et tenuia intestina patiuntur dolorē, sicut & illa quæ supponūtur in pessario, & collyrio, medicamina in inferioribus et craßis intestinis patientibus, quia tardius & imò difficilius per os acceptum medicamen ad inferiora, & inferius suppositum non facile ad superiora peruenit. Multa enim interualla, atq; spacia sunt intrinsecus mēbrorum, multæq; compaginationes, unde ante excoquitur uirtus medicaminū, quā perueniat ad locū qui patitur, & ideo minus prodest. Illas uero uentositates quæ in carnosioribus locis, & musculosis, & densioribus consistunt, & dolorem faciunt, maxime illis curabis medicaminibus: quæ Recip. picem, resinam, terebinthinam, adipem taurium, uel alia his admista, quæ sunt malactica. Congruit etiam medicamine uti ad hæc talia, quod dicitur dialoé & diadiptanum, & diasicomorum, si eis adijcias adipes malacticos.

De ileo, Cap. XXVII.

ILeō obuoluere græci dicūt, qđ dolor per intestinorū obtorsionē occurat. Quem cū multa signa cæterarū paßionū præcedūt, precipue tamē ex infrigidatione, et cruditate humorum fit, & si

& si aliquid acceperint, inflationem patiuntur cum graui dolore, tanquam si nocuos cibos, aut agrestes, aut contraria medicamina, siue malos fungos accepissent. Ideo patientibus hunc dolorem, inflatio uentris ualida, atq; intestinorum fit & dolor grandis. Clunes quoq; inflantur, atq; supra umbilicum, & uesicam, & quomodò debent stercora non reddũt. In stomacho euersio est & compũctio, nauseant, sitis est ualida, grossum & graue inspirant, summæ manus & plantæ rigescunt. Pulsus uenæ eorũ densior fit, subglutiunt, uentum reddunt, neq; tamen releuantur, & siquid per clysterem missum fuerit, non reddunt. Hanc mulieres nõ habentes menstrua, ex uulua passionem patiuntur, uomunt phlegma. Qui autem uehementer afflicti sunt, etiam stercora uomunt. Quandò sic patiuntur, pulsus est inacutus. Lingua autem eis nigrescit, atq; aspera fit. Hæc autem passio de instrictiuis est & acutis.

Cura.

Erunt adhibenda laxatiua adiutoria, & clystere, & omnis cura quam in cholicis superius anotauimus.

De eodem, Cap. XXVIII.

CHolicorum, iliacorum, strophicorum, similis est omnibus doloribus molestia, diuersis tamen modis separantur. Strophus enim est leuis tãtummodo dolor, & leui adiutorio uaporum, aut uentris

uentris expositione, aut lauacrorũ fomento cõpesci-tur. Cholica uero unius intestini querela grauißima est, frequenter chronicis statutis, uel diffinitis temporibus cõmouetur. Iliacorum autẽ paßio de qua nunc sermo est, acuta est sub angusto tempore. Primo qui uentris totius, & stomachi uentositate tendũtur: Vesica, inguen, coxæ, et omnes uicinæ partes, doloribus opprimuntur, squibalarum nimia interclusione concluduntur: ita ut etiam clystere adhibito nõ fimum, sed uentositatem inutilem egerere uidentur. Saliuarum frequenti profluuio perseuerãte, coguntur in nauseam, ita ut non solum phlegmata, uel humores, sed etiã horribili uisu stercora emittant.

Cura.

Ad hæc igitur accidentia quantis possumus adiutorijs, id est, uaporationibus frequẽtibus, et cataplasmatibus de cymini puluere, & sinoni semine, temperatis cum melle iuuamus. Iniectionibus quoq; suprascriptarum specierum decoctione confectis admisto fœnugræci succo cum quibus ruta uiridis decocta sit, utimur. Itẽ ex oleo roseo, mixtis anserinis adipibus, & castorei puluere, cum oleo uetustißimo, utilius si ex laurino, uel cyprino, uel glaucino temperetur. Vtimur uentosis ignitioribus uiolenter uentositatẽ euellentibus, et si adhuc doloris molestia perseuerauerit,

phlebotomum adhibemus. Perseuerãtibus tamen fricationibus manuum sanamus. Squibalarum uero egerendarum causas, primo chalastico clystere cõmouemus. Quæ si contendant, in secundo acrioribus inijcimus, id est, cocynthidas integras coquimus in succo bletarum, & similium aspere prouocantium, et inijcimus. Si ex uenenosa potione eueniße nouerimus, theriacam cum uino dabimus. Ventrem etiam prouocamus cum lacte decocto, quod siston aliqui appellauere, aloë cum scãmonea in ea dissoluta.

De signis fictericis, Cap. XXIX.

Ficterisis, id est, ani multæ causæ fiunt. Cõdilomata, aut acocordina, uel pustulæ, diuersorũ generum magnitudine granorum, pisi, fabæ, aliquando nucis, & rhagadiæ fiunt: aliquoties tumor immensus, ut ipsum orificium claudere uideatur.

Cura.

Tunc uaporamus orificium ex aqua calida decoctionis lini seminis, aut fœnugræci, aut altheæ, cũ spõgia, & loco exterso, tuberosa, uel crassa loca, uel condilomata ad mansionẽ ex hoc medicamine perũges, quód conficitur sic: In mortario molipdino cũ eiusdẽ metalli pistello, nuclei persicorũ 7. olei rosei partes duæ

duæ, uini boni 1. simul terātur in modum ceroti spißi. Quod si magnus sit tumor in orificio ut cū claudat, cū feruore, oui aßi uitellum teris cum rosaceo, & uino modico, ut spissum fiat, & unges ad mansionem. Si uero rhagadie, uel scabies fuerit, ex oleo roseo, cum oui albore contrito ungis loca. Quod si collectio ibi eruperit, mox emplastrum diapsimicium appone. Si aūt fistulauerit, infilandum erit, aut incidendum, sicut in chirurgijs scripsimus.

De eodem, Cap. XXX.

Causa ani fit indecora & turpißima à dolore uel pondere longi temporis, uel à frigore, ut non solum ipse anus tumescat, uerū etiam uicina loca cōpatiuntur. Et ueretri uulnera exinde fiunt maligna, & immunda, et fœtida: tales sordes, & immundicias non extergētibus, et non curantibus medicis, et si negligenter inspicere, palpare, et tractare turpia, quæ conueniunt cōtempserimus, non imitatores qui præcesserunt autorum medicinæ erimus, sed diffamationis locum incurremus, ut læsus infirmus, & uulneratus pereat.

Cura.

Ergo diligētia utendū est ad causam ani, & ad tumorē eius, ex uaporatiōe cū spōgijs, uel lana molli ex calida decoctiōis maluæ, aut fœnugræci, et lini semi-

nis, patiente in lecto supino iacente, et supra ligetur. Qđ si sæpius ꝓcedat, ciclaminis elixatura, aut ellebori fomẽtandus erit, & granatæ succo, aut senticis perungẽdus. Item aliud quod etiam cholicis facit. Testas ouorum unde pulli excluduntur, comburis, & sic puluerem, & grana piperis 5. hæc teris æquis ponderibus pensans, tãtundem fimi columbini sicci, & misce bis in uinum & in oua sorbilia calentia pro salibus dabis edenda, & coclearum cum testis suis combustarum cinis cadenti ano aspergatur. Item senticis turionibus, granatæ corio, arnoglossæ folijs, pampini turionibus, lẽticulis, modico simul in uino austero coctis, anum fouebis, & balausticæ, & centum foliorum corij granati puluis supra aspergatur.

De Paralysi ficteris, Cap. XXXI.

Paralysin ficteris duobus modis patitur. Vno, ut anus spõtanea stercora reddat abundantißime, & nesciat. Alio ut ipsum orificium nullum morsum uel sensum sentiat, & si fricentur, aut scalpantur non sentiunt. Frequenter stercora reddunt nescientes, & non possunt retinere.

Cura.

Curentur autẽ encatismatibus, & epithematibus constrictiuis substantia. Cibis stipticis utantur, et potionibus

tionibus constrictiuis, & fricatione lumborum, et coaquarum fortißima, cum quadam lenitate unguentorũ. Exercitari debent secundum uires, & lauationes faciãt aquarum naturalium aluminosarum, quæ prohibeant humorem, & simili modo cibum accipiant, qui uentrem constringat, & iniectiones, & potiones aequalem habentes uirtutem.

De Renum paßionibus, Cap. XXXII.

Assidue fiunt in renibus uariæ paßiones. Aliquoties longæ, id est, tumores, collectiones, uulnera, sanguinis eruptio, & calculus. Contingit autem ex corruptela ciborum, et coitu multo, & uiarum frequenti ambulatione, ex pondere, & ex multo cursu, & uentositate, & frigore, & frigido potu aquæ, uel limosæ, uel turbidæ.

De tumore, Cap. XXXIII.

Tumor efficitur in renibus aliquoties in uno aliquoties in ambobus. Quando multũ extenduntur, tunc fortiter periclitantur. Quando procluditur anus & uesica, ut nec urinam, nec uentrem reddant, subito moriuntur à dolore magno. Quam maxime à lapide clauduntur cum dolore magno utrorumq; ilium, attestante urina aquata, uel

mucilenta, uiridi, aut saniosa. Aliquoties sanguinolenta, cum corpusculis carnosis, uel arenæ similibus, & post mictum consequitur uehemens dolor, & membrorum interaneorum tormentum cum inflatione, et fastidio cibi, ac potus: articulorũ frigidorum, est cum grauedine corporis, & febris lenis cũ rigoribus modicis, & difficilis respiratio, uertigines, & cholerũ, & phlegmatum uomitus. Quã maxime fit iuuenibus crescentibus, & in periodicis paßionibus.

De Collectione, Cap. XXXIIII.

Collectio fit in renibus, quã apostema uel hypostasin græci dicũt. Primo tumescunt, & omnia signa in eis apparent, quæ in tumoribus superius diximus. Quando ex tumore ad collectionem ueniunt, tunc stomachus euertitur cum febre acuta, & nauseant ex choleribus, & phhegmate, & sunt cum sudoribus. Multoties tarda fit paßio, quando ex collectione & lapide clauduntur, et tarde urinam digerunt, præ tumore collecto & immutato, ut saniem erumpant, tunc dolores fiunt, aliquoties semel, aliquoties per uices. Cognoscimus iã maturũ apostema crepuisse: quando supradicti dolores paulatim mitescũt, & cum urina humor digeritur crassus ut mel. Si uulneratio renum fit post eruptionem collectionis, cum

uiolentia

uiolentia magna fit quaſi medicamine aliquo comedantur, & urinam digerunt catamodicum cum ſanierum ueluti fece, & urina eſt liuida, & in ipſis renibus morſum ſentiunt cum frequenti delectatione urinæ, quam non digerũt, niſi prius morſus, & dolores patiantur, & fit aliquis reumatiſmus, & frequenter triſtantur, et circa periodicas paßiones fiũt ſine aliquo ſenſu. Pruritu & dolore acutißimo occupantur, & periclitantur ualde ex contractione neruorum & muſculorum duritia. Sunt autem cõmunia ſigna cholicis & nephreticis, ut tarde urinam emittant cũ dolore. Tamẽ cholici cum digeſtionem urinarum, & uẽtris, uel uomitum habent, ſine doloribus ſunt. Nam nephretici egeſtiones omnes cum dolore habẽt, quoniam coniunctiões oßium dorſi uicinæ ſunt. ideo eſt paßio grauis & tarda, quoniam renes natura muſculoſi ſunt, & nerui eorum inhærent cauernis, quæ genitale ſemen continent. Nam cholica paßio acceßionem habet, & dimißionem, & non periculoſam paſſionem, niſi ſolam torſionem inteſtinorum cum extenſione, & dolore, & ſupini iacent, attrahunt mẽbrana uiſcerum & inteſtini. Nephreticis uero nerui attrahuntur, quam maxime in opere uenereo. Sanguinis eruptio ſimili modo fit ut apoſtematum eruptiones, quia fit eruptio uenarũ, ſicuti in ſanguinis

anagoga emoptoicorum scripsimus. Eruptio uero sola in uno loco est emanatio sanguinis, & uenarum, & renum crepitudo, & ex loco dolenti deducitur, ut sanguinem per uesicam digerant abundanter.

De calculis, Cap. XXXV.

Calculi in renibus formantur. Sed primũ in eisdem arenæ creantur, qui dum purgati non fuerint, lapides faciunt magnos. Si uero incommoti fuerint à potionibus thermãticis, uel conditis obdurantur, non soluendo asperi efficiuntur, id est, trianguli, asperi, siue leues. Aliquoties per tußim magnã quando fuerit cum nimio dolore, crepant. Aliqui dixerunt etiam in ueretro nasci lapidem, in quo non creari manifestum est, sed in renibus nascitur, & crescit, & digeritur per urinam, & nisi præcesserit urina ut latũ efficiat meatum, non potest de renibus in uesicam cadere. Aliqui ex uapore renum, & stomacho calido, uel coitu, sine labore eos procijciunt per multa tempora. Significantur autem in renibus facti calculi, ex dolore lumborum, uel costarum minorum, & ilium. Infrigidantur loca lumborum uel uerendorum, & curuatio fit spinæ, & iuncturæ lumborum usq; ad clunes. Et digerunt urinam tenuem, & aquosam cum multo

multo desiderio, sedimina non habentem. Aliquoties crassam et spissam urinam deducunt ex renibus. Concluduntur similiter ex uentositate, non egerentes, aliquoties cadit ipse lapis in uesicam, & eam frequenter obtorquet, & renes compatiuntur, habet autem hæc causa aliarum causarum similitudinem, propter uicinitatem choli, & uesicæ.

Cura.

Tumorem autem renum diligenter curari sic oportet. Si ætas uel uires permiserint, in primis sanguinem ex contrario cubito auferant, & maxime in consequenti apophoresi plus tollant, & cooperiant loca dolentia ex oleo calido. Quod si febres non fuerint acutæ purgari debent ex hiera. Post phebotomij euacuationem, infusione ex cataplasmate ex rore marino, sansucco, & his similibus utantur. Quod si ista omnia non adiuuerint, cucurbitentur cum scarificatione, & infundantur iterum, & cataplasmentur, & uaporentur, & post hæc cerotarijs, et emplastris malacticis, id est, mollitiuis utantur, & in nouissimo, malagma appone, ne ad collectiões ueniat, sed ut tumor spargatur cataplasmandum erit ex lini semine, & fœnugræco, & hordei polline, adiuncto pulegio, ita ut primo maluæ radices in aqua coquantur. Epithema ex abrotono, & columbino fimo, pice, resina, mā

ni, libano, galbano, oleo rutaceo sufficienti imponis. Quod si magnus fuerit impetus doloris, oleum calidum in uesica infundes, & uaporiza loca dolentia. Si uero febris non fuerit, ex oleo calido infundantur, & trochiscos anodinos accipiant, & in accessionis tẽpore, antidoto mithridatis, aut theriaca, aut diapìpereos, & antidoto Iustini solo frequentius utẽdum. Cibos utiles accipiant mediocriter, & à recente se abstineant, & calidis, & diaphoreticis potionibus utantur, quæ omnes tumores soluant. Et apozyma ex sparagi, & feniculi, & graminis radicibus, & cucumeris semine ad tertias in aqua coctum bibant.

De Collectione & cura, Cap. XXXVI.

Collectio autem fit ex tumoribus, ut diximus, qui si eruptiones fecerint, etiam si in uulnus uenerit, ipsis partibus quæ dolent, uaporationes adhibendæ sunt, & infusiones, & cataplasmata leuia, & diureticæ potiones, quæ tumorem renum compescant, uel extẽsiones neruorum quæ acerbant uulnus, & calefaciant rheuma, & desiccent. Cibẽtur ex sorbilibus cibis, & lac in dimißione accipiant. Si autẽ ad melius uenerit, fricationes totius corporis adhibẽdæ sunt, & locis dolẽtibus lenes raptus cucurbitæ. Car-

nes

nes minores accipiāt, & recentes, & imponant mala gma diaspermaton aut poliarchion, aut diafinicon, & malagma diastorace, galbanum, uua passa enucleata, tusa, simul apponenda sunt: & diureticis potionibus utendū est, quæ uulnus siccent, et arenā cōminuāt, id est, dauci sperma, petrosilinum, crocus, myrrha, amygdalæ dandæ sunt, et trochiscos crocodes, cum elixatura myrtæ uiridis in aqua coctæ, & betonicam ex mulsa dato, & lac caprinum.

De sanguinis eruptione, Cap. XXXVII.

Sanguinis eruptio ex renibus fit quando aliqua uena renum eruperit, & sanguis in uesicam diffunditur, & uelut urina mingitur sanguis purus cum dolore renum. Quorum renibus apponatur ammoniacum, libanum, myrrha cum aceto trita, & charta inducta, & tam diu ibi sint, donec sponte cadant. Et potum accipiant trochiscum dia corallum, aut diaëlectrum, aut diarodon, aut succum arnoglossæ ex pusca, & alias potiones quæ sanguinē stringant.

De calculis in renibus, natis. Cap. XXXVIII.

Calculus uero quando in renibus nascitur, totam uesicam subtorquet, & procludit cum magno dolore.

Cura.

Cura.

Vtendum est embroca, & uaporatione, & infusione enematum, cucurbitarũ raptus cum scarificatione, & præparandum antidotum, quod græci linthon tripon dicunt, hoc est pertundens lapidem, quod recip. fu, meu, saxifragæ, asari, petroselini, betonicæ ana.unc.4. piperis unc.2. mellis, quod sufficiat, de quo accipiant coclear.1. cum apoximate, id est, decoctione alicuius diureticæ radicis, ut sparagi, & apij.

De signis nephreticorum, Cap. XXXIX.

Nephretici sunt qui renũ dolorem ferre non possunt uel qui lapides habent in renibus, aut phlegmonem, inde renũ fit apostema, & uulneratio, & effusio sanguinis per naturam, & arenæ egestio. Cognoscitur autem phlegmon renum ex dolore utriusq; renis, & illorum dolore. Pondus in renibus sentiunt graue, & feruorem in ipsis locis intolerabilem, & quando urinam faciunt, lipothomiã patiuntur, & non possunt urinam facere, & frigus patiuntur & uomunt choleram cum phlegmate. His uero signis demonstrantibus, scias tumorem esse in renibus, aliquibus foris, quibusdam intrinsecus.

Cura.

Si iuuenis fuerit fortis, phlebotometur ex ea parte qua dolet

qua dolet & diebus phlebotomij expletis, embrocabis loca dolentia, cum lanis succidis, ex oleo & uino decoctionis fœnugræci, & radicis maluæ agrestis, & papaueris, & lanis calidis superimpositis fascia, & si febris nō est, ut purgari possit, hiera dāda est, dia colocynthida, & cataplasma eis tale facies: Herbam libanotidā, & sansucum, & cyperum cribellabis, & cocta cum ceroto sufficienti impones locis dolentibus. Item abrotonum stercus columbinum, picem, resinam, thus, galbanum, æquali pondere in se cocta cum plagella impones, & olei, & castorei, & rutæ unc. singulis simul coctis clysterizabis, & dabis eis bibere trochiscum diaspermaton, aut philonium.

De arenis uel lapidibus, Cap. XL.

Quibus arenæ nascuntur, uel lapides in renibus, dolor ambo latera tenet, & retro renes frigidos sentiunt. Pondus cum dolore graui patiuntur, urinam facere uolunt, & nō possunt. Venter eis non est facilis. Cum autem ad postema ueniunt nimio dolore tenentur, & constrictionem uentris, & urinæ patiuntur. Cumq; se eruperit apostema, refrigerium, & requiem eiusdem doloris sentiūt. Et si non citius curētur per anū, & per urinā, idest, si uitiū superātis quod eruperit humoris nō egeritur, ulcerat illis uesicam, & nimio calore illic coagulattur.

De uulneri

De uulneribus, Cap. XLI.

Vlnera autem sic intelligis. Vrinam facilem habent, subsanguineã, in qua apparent uelu ti furfures quidam natantes. Pruriginem in ano patiuntur, & cum urina transierit, natura eorum dolet, & quasi sub comeditur morsibus quibusdã. Patiuntur etiam tensiones laterum, & stomachi, qui hæc signa nesciunt, cholicos putant. Quibus etiam cũ ruperit apostema, dolor minuitur.

Cura.

Dabis eis bibere semẽ apij, & maluæ agrestis, & anethum, & cyminum, & absinthium in mulsa, & descendant in solium habens abundantiã olei. Dabisq; eis omnia diuretica, uel antidotũ: qd' Recip. saxifragiæ, cymini alexandrini, seminis cucumeris dulcis, & seminis melonis, seminis pastinacæ, croci, asari infusi in passo, ana. drach. I. passi quod sufficit: quod sumatur in aphro optimo, uel uino dulci. Cura uulnerũ talis est: Dabis eis bibere mane mulsam, ubi infusum est asarum, et & iris illyrica, & crocus, & ieiuni aquam calidam cum uino, & in mane, & quandocunq; uoluerit, bibãt mulsam, in qua decocta sint semen apij, & cyminum alexandrinum. Oleum quoq; decoctionis anethi, & castorei, & rutæ per clysterẽ inijcies. Cibi eorũ tales sint:

ſint: Sparagi agreſtes, porri, & paſtinaces agreſtes cocti. Vinum album bibant, et balneis utantur interdũ, & abſtineant ab omni frigido.

De renum doloribus, Cap. XLII.

RENibus longo tempore dolentibus ſemper uaporis fomenta, & cataplaſmata paragorica conueniunt, diuretica tunc præmittenda ſunt. Indignantibus autem, & rheumatizantibus potionum tranſitus aduerſatur. Declinantibus ſane doloribus, beneficijs prius catholicis adiuuandi ſunt, id eſt, fricationibus, & unguentis paragoricis, & ſiccatiuis, et emplaſtris poliarchion, et diaſpermaton. Calamentis cum axungia tuſa, ſæpe multum profuit appoſita. Dabis etiam potiones ex ſtorace, galbano, ſtaſide pingui purgata, mixtis diureticis aliquibus, ut ſunt petroſelinũ, meu, aſarus, cypus, daucus, amygdalæ amaræ cũ mellicrato, et potiones quæ omnibus ueſicæ cauſis uel renũ expediãt, & trochiſcos qui Recip. ſeminis papaueris, cucumeris dulcis, & dragaganti. drach. ſingulas: amyli unc. 2. formatos cum aqua diuretica. Dedi ergo frequenter hieram iuſt. Interea oportet uti aquis dulcibus, et naturalibus et cibis nutritis digeſtibilibus.

De eiſdẽ

De eiſdem, et cura, Cap. XLIII.

Monitum te interea uolo: quoniam generaliter in interioribus omnibus, ubicunq; dolor innatus, uel ex humoribus, ſiue uentoſitate collecta officiat, difficile aliquando deprimi potuit, aut depurgari. Ergo quando uariæ emergunt ſpecies commotionum, quæ quibus expediunt medicorum cōiecturis, uel iudicio indulgenda ſunt. Sæpe etiam ex conſuetudine adhibita, melius quam adiutoria famulantis medici effecerunt. Igitur quamuis omnia rationabiliter adiutoria quæ ueluti calidis commotionibus adhibentur, uirtute calaſtica, & paragorica eſſe debent, quæ neruorum, & articulorum dolentia nutrire & fouere ualeant loca, concedo tamen ut & tactu frigida adhibeantur, ſed magis in tempore quo mitigationem præſtare poſſint. Quæ quidem, & ſi primo releuare uideantur, poſtea grauius & uehemētius affligunt. Hoc enim noſtri Hippocratis docuit nos autoritas, quia neruorum cauſis omnia ſemper frigida nocuerunt. Ergo quoniam cauſas, & origines compendioſe digeſſi, curæ nunc adiutoria rationabiliter ordinabo. Eſt namq; profecto quod omnes ægritudines partis alicuius totius corporis ſub capitis præiudicio commouentur. Nam huic ſe ſingula membra inferiora nexu quodam familiari nectūtur miniſterio naturali.

Et ſicut

Et ſicut ex ſingulis totius corporis ſubſtantia conſtat, ita etiam alterum alterius auxilio gubernatur. Vnde n ſi præceptis, & adiutorijs catholicis primo iuuentur, aliter particulares cauſæ curari non poßũt. Qua de re erunt nobis nunc cauſarũ præceptores, qui exordium diſponant: in ſequentibus particularibus famulabor. Cõuenit in principio arteticis, podagricis, uel ſciaticis, quibus rheuma ſolutum de capite deſcendit, ut prius ipſum caput oleo roſeo frigido, uel cæteris ſimilibus ſtipticis fomentando conſtringatur, & ſolidetur: dehinc ad inferiora tranſeuntibus rheumatibus eiſdem debilitate uexata, eodem calido depurgentur, poſt cucumeracei olei fricationis peruntione, & phlebotomo ſubueniendum eſt. Vinum uetandum eſt pleno anno, & bonis carnibus ualetudo cuſtodienda eſt. Vomere per interualla multum iuuat, aliquãdo poſt cibũ, aliquãdo ante cibũ acceptis radicibus cũ oxymelle. Hoc etiã bulbi ex aqua cocti operãtur, et alliũ poſt cœnã acceptũ, quo paruo interuallo aquã calida accepta uomatur. Mutationes aérum, uel prouinciarũ ſæpe conueniunt, & aquæ naturales calidæ, uel uapores earum diuretica ſimiliter, exercitia ſane & fricatura totius corporis procuranda ſunt.

De Eadem.

EXpert enim ſumus, quod plerunq; prouocatur urina ex aqua decoctionis radicis feniculi, uel apij ſeminis, et ciceris addito aſaro, & de ſuperioribus ſpeciebus, quas ad tẽpus locus habuerit. Itẽ medicamẽtum quod uulnera curat, & urinæ difficultatẽ aperit: Recip. agreſtis maluæ ſeminis, petroſelini ana. unc. 2. amygdalarum, auellanarũ unc. ſingulas, mellis quod ſufficit: & cæteræ potiones ad renum, et ueſicæ occaſiones dandæ ſunt, etiam ſplenis, & hepatis moleſtias procurantes, quarũ omnium huius experti ſumus efficaciã: quod Recip. ſu. celticæ, dauci, ana. unc. 1. cinamomi unc. 2. piperis drach. 6. uuæ paſſæ unc. 1. dragaganti unc. 4. uini et mellis quod ſufficiat, ex ſupraſcriptis omnibus diureticis ſpeciebus, ueſicæ, & renum cauſas poſſe curari ſignificatum eſt. Ad concluſionem urinæ habeto paritariã in aqua coctã, temperatã cum paruo oleo, & inguinibus applicato hoc, & gramine, & ſanſucco ſimiliter fac. Nam ex his omnibus ſupra ſedẽdo uaporem pati conueniet. Cotilidon herba in uino cocta & potui data, continuo diſſuriam patefacit. Nam et mulieribus butyrum uetuſtiſsimũ pro peſſario adhibitum diſſuriã curat. Et mellicratum, in quo immaturi cedri, & feniculi radices, et cardus coquũtur, po-

tatum

tum idem prouocat. Canapis rediuiuæ, aut sectiuæ cima 9. piperis 27. grana teres, & addito uino, uirginis, id est, incipientis bullire porcellæ uesica cōmiscebis, & dabis bibere. Datur et ad urinæ difficultate, et ad impedimētum, et ad calculi dolorē, uel si etiā in uesica lapides habeantur, hos frāgit, et iactat.

De uarijs causis uesicæ, Cap. XLIIII.

OMnes causæ uesicæ ex renum indignatiōe fiunt, quæ multæ sunt et uariæ. Quarū nos oportet singulariter uocabula, et signa, et curationes dicere. Fiūt ergo in uesica tumor, duritia, collectio, hemorrhosaida, trōbosis, uulneratio, sporiasis, phthiriasis, trichiasis, athoma, sansudis, lithiasis, dissuria, stranguria, suria, rheumatismus, diapne.

De tumore uesicæ, Cap. XLV.

TVmorem uesicæ intelligis sic. Dolor est supra pectinem, et si manus super pectinē posueris, non baiulat, urinam faciunt cum dolore. Inflationem uero patiuntur, uentrem non facilem habent, febricitant, et fastidium patiuntur, et uomitum, et uigilias, et somnia uana.

Cura.

Curabis autem tumorem qui dicitur phegmon sic: Cataplasma ex polline fœnugræci cum oleo ex melle coctum, supra pectinem ponendũ est, & sanguis per scarificationem detrahendus, & fomentatio ex oleo cyprino, siue nardino adhibenda, & in ipso etiã oleo castoreum, & euphorbium terendum, & dabis conditũ calculũ frangẽs: quod Recip. terebinthine unc. 4. petroselini radicis unc. 3. graminis radicis unc. 4. gariophili, et antophili ana unc. 1. uini phialas nouẽ. Ex qbus coctis usq; ad tertiã dabis patienti phialã 1. per dies aliquos etiam aliud antidotum quod ad calculum uel frangẽdos lapides facit.

De signis tumoris uesicæ, Cap. XLVI.

VEsicæ tumorem intelligimus ex dolore renum & genitalium, & magis in fine uel in initio mictus, attestãte etiam earundẽ partium feruore cum strictura, atq; inflatione, cũ frequenti libidine mictus, & ipsius urinæ mutata qualitate, ut nunc tenuis cum sedimine, nunc mucilẽta excludatur. Peiorante uero paßione, supradictis argumẽtis, etiam sitis, & uigiliæ accedunt. Aliquoties cũ stridore isti mingunt: plerunq; cruda modicũ instillãt. Aliquando

quãdo & collũ ipsius uesicæ tumescit cum urinalibus uijs, quas uriticos poros uocamus. Cognoscimus hæc omnia ex omnibus supradictis signis nephreticorum cum dolore nimio uirgæ, & conclusione intestin, ut nulla uentositas excludatur, neq; squibala reddãtur. Vicina loca tumescunt, concurrẽtibus ualidissimis febribus, & stomachi uersione, & uentositate uentris, & uomitu, cum perfricatione, & uigilia.

De signis duritiæ uesicæ, Cap. XLVII.

Duritiã in uesica agnoscimus ex feruore, & dolore non cessãte, & perseuerãte impedimẽto mictus cũ inflatiõe tactui nostro resistente.

Cura.

Pro tumore uesicæ, & duritia colli, uel fundi, cum difficultate mictus, & dolnre ualidissimo, ex cubito sanguis emittendus erit, secundũ uires, uel ætates, & clysteri utendũ est, quod uentrẽ deducat, & ne forte squibala procludant exitum urinæ, mulsam calidam cum oleo inijcere debes, ut squibalas prouoces, et uẽtrem deponas, & pro dolore cõpescendo in oleo ubi coxeris rutam calida lana intincta cooperiãtur uentrũ & coxæ, aut infusione olei amaricini, aut sansucci ui, aut crocini, cum lana limpida infundenda sunt lo-

ca et caplasma cõmune adhibendũ ex mellilotiflore, admisto semine papaueris tuso cum palmulis. Primo uaporẽtur pectines, & sic cataplasmentur. Quod si maximus creuerit dolor, ex oleo calido in uesica uaporabis pectines, & renes, & encatisma adhibendũ ex calida, & oleo ubi coxeris conizam, & lilisfacũ, & fauum mellis, et si adhuc permãserit dolor, aut tumor, cucurbita utendum est, cum scarificationibus in renibus, ut sanguis tollatur mediocriter, & cusæ in pectine, & ilijs, & coxis, & in uicinis locis apponẽdæ sunt. Si uero uesica simul & anus intumuerint ex toto, ut urinã non emittant, uaporationes assidue adhibẽdæ sunt, & cataplasma circa pectinẽ, & spõgijs uaporabis ex calida, ubi miscueris nitrũ, & in encatismate hydrolei calidi diu sedeant donec urina prouocetur. Quando in sanitatẽ uenerint cauterismũ ad hibendũ erit tribus digitis super uirgam, sicut in chirurgia scriptũ est, ut dimissio urinæ fiat. Et cataplasmata, & cerotoria, & emplastra, & malagmata de siccatiua, ut est diaspermaton, aut diamellilotũ et alia similia adhibeatur. Aliquoties non resistente tumore, si igne acri occupantur pectines, atq; ilia, tunc adhibenda sunt adiutoria calida, & uaria instanter, quæ & maturent, & eruptiones faciant, ut dissolutiones sanierum fiãt, & sic curari possunt. Et potiones diure

ticæ

ficæ dandæ sunt, quas in nephreticis scripsimus.

De collectione, Cap. XLVIII.

Collectio autẽ uesicæ fit post tumorẽ, & noscitur ex urinarum differẽtia, secundũ urinæ colorẽ qualitatis per uesicã manantis, aut per calculi dolores, ut diximus, digerũtur urinæ, cum asperitate lapidum minorum, uel arenarum. Aliquoties subsanguinolentas urinas, & saniosas proijciunt. Cuius uulnerationẽ cognoscimus ex urinarum liquore, ut mellis lotura, Humorem cum urina digerunt, sicut in chirurgia liquores egerere solent, cum frigore corporis, & febre leni.

De hemorrhosaida, Cap. XLIX.

Hemorrhosaida uesicæ fit ex ruptione uenarũ, uel ex collectione, aut ex coitu nimio, ut pro urina sanguinẽ mingant, aliquoties purum, aliquoties ut lotura carnium cum grauedine lumborum & uicinorum locorum uesicæ, & urinæ difficultate, quæ aut catamodicum redditur, aut ex toto negatur, aut cum urina gleba sanguinis cadit, ut supra natet. Ex fricatione corporali, aliquoties cãceratur, & sanguis plus prouocatur. Quando præ dolore, aut ex iracundia clamat, tunc fit urina acerrima, & calida, et tunc trombus proijcitur, id est, gleba sanguinis.

De fluxu sanguinis, Cap. L.

PRo sanguinis fluxu diligentia erit adhibenda, ne plus sanguis irritetur, sed reprimi debet. Cooperiantur pectines, & renes ex spongia in pusca & ibi fasciētur, & non multū remaneat, ne extensio fiat uenarum, uel neruorū, & post spōgiam adhibenda erit lana succida tincta in uino, & oleo roseo, & supra fascietur utilißime, et si ætas permiserit, sanguis è brachio tollendus erit, & collectica sunt adhibenda, quæ sanguinē constringant in renibus, sicut in nephreticis iam diximus. Et cucurbitarum raptus circa uicina loca ponendi sunt. Notāda erunt simpliciter composita, quæ in sanguinis sputo, uel uomitu adiutoria scripsimus.

De signis morborum uesicæ, Cap. LI.

SVnt quidā horum qui uesicæ patiuntur molestias, qui sanguinē meiunt, aliqui purum, hi dolores in coxis sentiunt, & supra pectinem, & sanguineos lapides meiunt, et cum uoluerint meire, non possunt: si tubus, id est, meatus naturæ ex ipsis lapidibus clausus fuerit, naturā ipsam sibi manibus ipsis calculis confricent, & lapides reddit intus, & tunc urinam faciunt, & paragoriam patiuntur. Et si hæc fuerint signa, intelligis calculos esse.

De

De Trombosi, Cap. LII.

TRombosis uesicæ fit post sanguinis eruptionem, ut sanguinis nodosi frusta proijciantur, cum impedimento mictus.

Cura.

Iacere debent immobiles, & silentium habeant, ut corpore non moueantur. Et si ætas uel uires permiserint, phlebotomentur, & cusas circa uicina loca, id est, circa peritoneon, & renes, & pectinem accipiant. Lana succida cum pusca ponenda est. Quod si trombus aliquis humorum in uesica remãserit, puscã bibendam dabis, & radices coctas comedant, & salsamenta cum oxymelle. Et cataplasma, à foris adhibendum erit, quod rheuma, id est, humorem abundãter ex uesica prouocet, & uaporationes pectini, & peritoneon apponis, & ad alia loca quæ dolent usq; ad renes, quam maxime quando urina eos delectauerit, in ipso impetu adhibendum est diligenter lana succida intincta in embroca ex oleo roseo, & uino calido, & alia infusione ex spongia intincta in uino calido uaporandus est, & oxyrhodino spina inungenda est frequentius.

De uulneratione, Cap. LIII.

VVlneratio uesicæ fit post sanguinis emißionem uel trombosim. Vrinæ reddūtur sanguinolentæ, uel saniosæ, uarij fœtores, & liquores, cum scara uulnerum, uel lotura carnium ex uulnere, & sic eius signa apparent, id est, morsum in ipso meatu urinæ sentiunt, & significatur uulnus esse cum dolore uicinarum partium.

Cura.

Quibus à foris epithemata ponantur, & encatismata ad uulnus purgandū, Cibus utilißimus dulcis, cōstrictiuus dādus est, & potiones similes, & inijciendū per ueretri collū lac, aut omphacū, aut diaquilō solutū in roseo, aut tetrapharmacū in eodē loco solutū, ut celerius pertranseat ueretrū, & fomēta, & uaporationes adhibēdæ sunt ex maluarū, & foliorum oliuarū decoctione cū spōgia. Tunc mel ex uino inijciendū est tepidū per ueretrū, propter cicatricē inducendā, & à foris in pectine, & loco dolēti cataplasmate utendū est desiccatiuo ex caricis coctis in mulsa & tusis, & similis uirtutis medicamen inijciendū est. Quod si uulneratio iterū sanguinē emiserit, cataplasmabis pectines, & renes ex corio granatorū, & tamaricis turionibus mollibus, & lentisci turiōibus, uel myrtæ coctis in aqua, quibus proiectis, addes co-

rum elixaturæ dactilos tusos, cum polenta, aut in pusca coctā similam, & iniĳciantur ano constrictiuæ iniectiones, id est, rubi succi, aut gallarū decoctio, aut balaustiarum & hypoquistide, & potiones ex eorū uirtutibus adhibeantur, & dactylorum, & cytoniorum apozima potandum est. Et hæc potio danda est ad omnia uulnera, quæ Recip. nucleos 30. amygdalas. 20. dactilos. 15. dragagāti. unc. 4. omnia tusa simul cū melle colligis, & exinde dabis drach. 2. cū calida, ubi coxeris myrtam uiridem & trochiscos diasixalidos, aut crocodes, & alios ad uesicam, & renes pertinentes dabis potandos.

De eodem, Cap. LIIII.

Vlnerationi quæ facta est in uesica cataplasma tale facis, id est, baccas lauri, cyminum alexandrinū, oppopanace, simul omnia hæc resoluta coque cū melle, & impones calida supra pectinem, & ad testes, & ex lana succida fomētabis pectinem & testes, cum oleo decoctionis anethi, et albutĳ radicis, & mastiche trita, & lana supra imposita fasciabis loca fomentata.

Cura.

Cura eorum qui sanguinem meiunt. Si fuerint fortes, phlebotoma eos matrice brachĳ. Si minus fortes, impositis cucurbitis supra renes, detrahe sanguinem & cū pusca frigida spongiā, impones supra

corum

eorum pectinē & testes. Quibus cataplasma conficis sic: Dactilos p biduum in pusca, & caricas infusas coques, & postea teres, & grossi maligranati, & myrtæ cauliculi, & senticis, ex æquo puluerem factū præmittes, & simul omnia cum eadem pusca ad spissitudinem decoques, & frigidum pectini & renibus impones, & desuper fascias, & succum senticis, & thus & aquam gallæ coctæ, & baulaustias, & succum hypocisthide teres in sc, & cū pusca clysterizabis. Dabis autem bibere puscā, ubi infusi sunt dactili, & mala maciana, & cytonia, raphanos coctos in pusca mãducent, & salsum cum oximelle. Et si supra pectinem calorem sentiunt, acetum & oleum roseum cum lanis succidis imponendum est.

De sporiasi, Cap; LV.

SPoriasin, id est, scabiem in uesica effectam cognoscimus ex furfuribus admixtis, ex urinæ densitate cum sedimine mucilento, attestante dolore, cū quadam suauitate pruritus in pube, aut folliculo, aut colo, uel proximis locis. Mulieribus autem in pudendis, quæ grecæ perigomata dicuntur, fiunt ex scabie, & uesicæ uulneratione, cū dolore modico, & pruritu, & tensione uerendorum.

Cura.

Cura.

Vaporationes pectinum adhibendæ sunt, & potiones catharticæ, quæ eos extergant, & cibi & potus similes, lacte cibentur, quod & bibant, & antidotum diureticum, et cucumeris semen, & amygdalas amaras coctas in mulsa, elixaturam diureticarum herbarum radicum potui dabis. Cantabrum assum comedant, aut in uino coctum propinetur, et per uirgã inijciatur. In initio etiam elixaturã apij, aut melantij, aut siselei, aut lac cum melle, & oleo inijce. De oleribus autem comedant maluas, bletas, pastinacas, sparagos. De piscibus aspratiles, ut sunt soleæ, & batilæ. Quadrupecũ uero carnes molles, et uolatilia, & exercitationes, et deambulationes secundum tempus et fricationes fiant, et ab iracundia et clamore abstineant, et præfatis instructionibus ciborum omnibus in uesicæ causis utantur.

De phithiriasi, Cap. LVI.

Phithiriasis est paßio, in cuius urina furfures supra natãt. Quod est signum lapidis in uesica ualde maioris. Nã furfures isti náscuntur sic: Dum lapis urinales meatus clauserit, et sibi patiens naturam confricauerit, intus redit lapis, tunc de se ex ipsa confricatione scabiem suam dimittit uesicæ, unde fiunt furfures supra natantes.

Cura.

Cura.

Dulcia eos manducare facis, et cancros, maluas, bletas, pastinacas, sparagos, perdices, oua sorbilia, et succum hordei cum dulcore, et pipere. Lac asininum mox mulctum bibāt, et passum, et mel atticum, et elixaturam silphij, et aristolochiæ et petroselini, cum passo, ut ieiunis des bibere, moneo. Ex hoc etiā ātidoto mane ieiunis dabis coclearia singula, quod Recip. cymini æthiopici, seminis apij, siselei. ana unc. I. attici mellis & lactis singulos calices. Hi quotidie balneo utātur.

De trichiasi, Cap. LVII.

TRichiasin cognoscimus ex dolore & pūctione pectinis ex alto uenientibus, cum capillorum mictu, & tensione inguinum, uel genitalium cum grauedine, & morsu in uesica.

Cura.

Fiāt eis uaporationes plurimæ, et encatisimata, epithematibus, et exercitationibus et fricationibus multis utantur, et natent in aqua naturali. Potiōes accipiāt ex bitumine, & myrra uel similibus, & omnis cura sporiasis uel phthiriasis adhibeatur.

De eodem Cap, LVIII.

AD illos qui capillos mingunt, & sentiūt grauedinem & pondus pectinis, facies calidam cum oleo coctam, ut ibi sedeant, & dabis bibere

bere passum cũ semine apij, et piperis albi grana 20. Alioquin de nigro duplum mittis. Et epithema eis dia spermaton imponis supra pectinem, & testes, & dabis eis ieiunis catamane coclear 1. potionis huius: quæ Recip. myrrhæ unc. 1. uuæ passæ purgatæ unc. 2. mellis despumati quod sufficiat.

De athoma, Cap. LIX.

Athomam uesicæ, id est, debilitatẽ, sic cognoscimus. Ex mictu difficili, atq; conatu ægrotantis, & sine dolore urinã faciunt, aut præter uoluntatem dormiendo.

Cura.

His uero renes, & pectines ungantur ex acopis thermanticis & oxymel, et omphacum mel bibant, cũ apozimate myrtæ uiridis.

De sansudi, Cap. LX.

Ansudis uesicæ, uel arenositas agnoscitur ex mictus difficultate, & sedimen rubicundũ, & arenosum in fundo calicis apparet, aut lapides minuti, cum dolore, & grauedine renum, cum conatione, & pruritu ueretri, ut cũ manibus attrahãt. Nascitur ex indigestione ciborum, quã maxime ex aquæ turbidæ sediminoso potu. Quod si non purgata fuerit uesica ut per urinam ipse arenæ digerantur, calculos faciunt, id est, lapides magnos, & diuersos.

De lithiasi

De lithiasi, Cap, LXI.

Lithiasis, id est, calculus in uesica cognoscitur ex grauedine eiusdem uesicæ, cum pruritibus pubis, & folliculi, genitalium frequenti attestante tentigene, atq; per interuallum mictus difficultate, aut in totum abstinentia, cum uehementi dolore testium sine interpolatione, aut ex nimia tensione uesicæ. Plerisq; uero longaon clauditur, id est, impudicus circulus, cum frequenti uentositate. Quando supini iacuerint ægrotantes, facilius mictus celebrant, cũ ipsa quoq; urina uaria sedimina excluduntur, nunc carnosa, nunc frustris solidioribus, aut sanguinolentis cõfusa egerũtur. Quando testes dolent, uel infrigidantur, et uirga lapidis generatione dolet, quam græci lithogoniam uocant: Difficultas autem mictus sibi impedimentum facit. Quia diuersa sunt genera lapidũ, ideo nõ unius generis egerũtur. Alij sunt rotundi, alij longi, rufi, albi, liuidi, trianguli, quadranguli, quinq; anguli: Sunt asperi, & lenes. Quot diuersitates habẽt, tot diuersæ egestiones per uesicam mictus fiunt.

Cura.

Ordo curationis medebitur sic: In ipsa accessione doloris uaporatione utendũ est, et ex furfuribus in pusca coctis saccellamus pectinem, et renes, et unctione utendũ est ex acopis thermanticis, et uinum dulce me

diocriter

diocriter propinandum est, & nucleos in condito comedant, & cucumeris, aut papaueris semen, aut melonis tritum in mulsa potui dato, ut per urinam lapides digerantur. Et uaporatione utẽdum est ex saccello cum sale, encatismate ex hydroleon, & cerotarijs thermanticis, & malagmatibus, & uaporationibus circa pectinem, & peritoneum, & renes, & post uaporationes oleum anethinum, uel oleum dulce, ubi coxeris anethũ, fœnugræcum, lini semẽ, & altheã, per longaonem inijcito, & cibis diureticis utãtur. Quando uenerint lapides in uesicæ collum, aut in uirgam, tunc primum ab urina suffocantur, quoniã hic includitur collum foraminis uesicæ, & urinam non dimittunt, quibus chirurgia adhibenda erit, ut per incisionẽ urina, & lapides exeant. His primum mulsa dãda est & clysteria per singulos dies inijciãtur propter squibalas. Et quia per eorum duritias collum uesicæ suffocatur, & urinam non dimittunt, & lapides uel arenas continent, has potiones accipiant diureticas, id est, melantij elixaturam, aut phlosmos, aut sylphij, uel aristolochiæ, uel petroselini seminis, uel meu ipse in aqua coctum, potui dabis, & omnia tusa in uinũ cum melle miscebis, dabisq; si febriũt, ex mulsa cocleãr I. si non, ex condito in balnei solio in quo tãdiu sedeant, quandiu sustinẽt uaporẽ, & omnes diureticæ

potiones dandæ ſunt, quæ & calculos frangãt, et arenas minutas digerãt per urinã. Quã maxime cinamomũ, et quirinacũ, opium, id eſt, laſar, cum cõdito detur, aut cum mulſa ſoluatur. His etiam & nephreticis facit cõfectio, quæ dicitur lithõtripon, id eſt, lapides ptundentes: qđ Recip. betonicæ, petroſelini, fu, meu, nardoſtachij, dauci cretici, aſari, acori unc. 2. ſaxifragiæ drach. 3. piperis drach. 2. lapidẽ 1. in ueſica porci annualis, & alterũ in ueſica porcæ nouellæ inuentũ, mellis quod ſufficiat: dabis ex ea unc. 1. ſi febriunt ex mulſa, ſi non, cũ cõdito. Potiones quoq; diureticas cum elixatura radicum diureticarum habeant, id eſt, ſparagi, apij, feniculi graminis, & aliarum ſimilium dabis.

De Diſſuria, Cap. LXII.

Diſſuria eſt ueſicæ constrictio, id eſt, tarda urinarum digeſtio, ut poſt multas horas ſequatur. Conſtringitur ueſica aut ex frigore, aut ex tumore aliquo, aut ex arenæ collectione. Concluditur quoque orificium ueſicæ, ex calculis minoribus, ut urinam de præſenti non digerant, ſed poſt multas horas.

De ſtran=

De Stranguiria, Cap. LXIII.

STrāguria est proclusio uesicæ, ut catamo dicum distillando urinā dimittant. Fit ex supradictis rebus, aut ex proclusiōe calculorum cum dolore magno, aut cum pruritu, & grauedine ueretri.

De Suria, Cap. LXIIII.

SVria est suffocatio uesicæ, ut omnino urinā deneget, uel uētris officiū, ut ex ipsa uesica obtorqueātur omnes uicinæ partes cum dolore. Et tumores in pectine reperiuntur quibus periculum infertur,

Cura.

Hos iussit Hippocrates de interiori uena tali phlebotomari, & omnia adiutoria adhibeantur, quæ in calculis scribentes docuimus.

De Rheumatismo, Cap. LXV.

RHeumatismus uesicæ fit ex frigore cum frequēti mictu & prurigine, & urina frigida digeritur cum frigore uerendorū et clunīū.

Cura.

Curantur ex thermāticis unctionibus, & potionibus, id est, ex betonica, & pipere, & mulsa datis in balneo, & cæteris his similibus.

De Diapne, Cap. LXVI.

Diapne est uesicæ paßio ex urinarum frequenti dimißione facta, ut mox acceptum potum statim per urinam reddant. Et in quantum in quantitate potus irrationabiter uexantur, in tantum liquores non tenentes siccantur corporis attestante macie, atq; pallore.

Cura.

His quoq; adhibendæ sunt unctiones, & potiões sicut in rheumatismo uesicæ scripsimus, & cyminum coctum in calida bibant, & cancros fluuiales tritos ex uino potui dato ieiunis, & uesicam scrophinam similiter.

De Gonorhea, Cap. LXVII.

Gonorhea paßio est uesicæ, & ueretri, quã qui patiuntur, seminis lapsu uexantur creberrime, sine ulla retentione, attestãte pallore corporis, & macie. Hæc paßio maxime fit uiris, & mulieribus, sæuißima, & turpis ualde, ut nesciãt quomodo genitale semen dimittant. Cõpatiuntur enim seminales meatus, & non possunt continere substantiã seminis præ debilitate. Et diffundunt urinam tenuẽ, rubicundã, & acerrimã, & aquosum, et humorosum semẽ multum frequẽter, & sponte proijcitur, & non tardatur post urinæ diffusionẽ cum morsu factam

ctam, unde debiles fiunt, & purgantur freque͂ter & ex purgatio͂e debiles fiunt, & impoßibiles sunt ad opus uenereum, & omne corpus sequitur laßitudo, et fastidium, & immobilitas. Quod si diligentiam non habuerint, sequitur eos mors, & pereunt. Aliquando deficiunt in ipsa paßione propter silentium turpitudinis, non adhibita cura. Quando exagitati fuerint à dolore, circa coxarum loca, & pectines, ex labore itineris, aut ex coitu, aut ex uiolentia multa, aut ex uesicæ frigore, debilitantur, & ex urinæ conclusione uentositatem non egerentis, seminis foramina excluduntur.

Cura.

Curatio eorum adhibeatur sicut in omnibus rheumaticis. Circa coxas, pectines cooperiantur ex lana succida infusa in oleo roseo, aut lentiscino, aut alijs similibus, & epithemate utantur simili substa͂tia facto, & post horas proiectionis molliter utantur deductione totius corporis, et abstineant ab iracundia, et uoce. Et dropax, & co͂strictiuum epithema, ut est diamantes adhibeatur. Iuuant eos post hæc inductiones paruæ. In nouißimo diaphnidon cloron, id est, ex lauro uiridi epithema, quibus etia͂ refrigea͂rdi sunt, & si uires permiserint, in frigida natent, et potiones accipia͂t simpliciter co͂fectas, id est, castoreu͂ solu͂ potatu͂

probatiſſimum eſt. Aliquando etiam erucam biberũt ad manſionem, & adiuti ſunt. Mulieres primum iaceant ſine uiri præſentia: poſt coëant, ne uereantur & bibant mithridatem, & confectionem ex ſtinco. Si uero febrierint, leuioribus adiutorijs iuuentur, & cibis digeſtibilibus utantur, & encatiſmate ſtiptico, ſicut in rheumatiſmo ueſicæ ſcripſimus. Vngere autem debent teſtes, peritoneũ, & ueretrũ, & lumbos, & pectines ex acacia, & hypoquiſtidos ſucco, & papaueris, & fricatione puriſſima circa lumbos, et cibis conſtrictiuis ex aceto confectis, et lecto duriſſimi ſtratus utantur, & lana lota circa renes, & in lumbis apponatur, ut ex frigore lumbi refrigeſcant, & ut glutinetur digeſtio ſeminis, & duriter ſe exerceant, & ſi coeant, nã lædũtur, quãdo ſe molliter agunt. Et exercitatiõe omni iubeo utendũ eſſe, et obſeruẽt ab omni tenero cibo, unguẽtis thermanticis, et miriſticis unguntur, & mulieres pulchras ualde aſpiciant, ut uenerẽ irritent ſuauiſſime, ſicq́; eis utantur.

De Satyriaſi, Cap. LXVIII.

Satyriaſis eſt cauſa ueretri, quam cognoſcimus ex nimia pudendorũ tenſione, cum dolore, atq; feruore, pruritu, & non modico ueneris appetitu, pulſu crebro, et anhelitu, cũ facilli- marc=

na reſpiratione. Hæc paßio turpißima, et periculoſa eſt, quia res uenereas inceſſanter prouocat, cum erectione ueretri fortißima, et quoties iactat ſemen, fit extenſio, & neruorum tremor, & quando explicant, uix poſſunt ſpermatizare, cum defectu & periculo. Satyriaſis dicta eſt à ſatyris, quos pronos in uenerem fama uulgauit.

Cura.

Inſanæ partes fricentur, et mediocriter exercitẽtur, & adiutoria quæ in gonorhea diximus, adhibeãtur. Silentium habeant & non multum ambulent. Abſtineant à cibis calidis, & odoriferis, & à pinguibus carnibus, et à uino multo, et lacte, et his ſimilibus.

De Priapiſmo. Cap. LXIX.

PRiapiſmus eſt pudendorũ tẽſio nimia, multo tẽpore perſeuerans, et non ſatis cum acuto periculo, ueluti ſatyriaſis perfecta uenere uirgam detendit. In priapiſmo uero, & ante, et poſt erecta uirga permanet, ſed ambæ ſub ſimili diligentia curantur.

De Apoximorion, Cap. LXX.

APoximoriõ, id eſt, inoperatio harũ partiũ, quæ impoßibiles ſunt in rebus uenereis, fit ex debilitate neruorũ. Cognoſcitur ex ſoli

to more corporis pigrescẽtis, atq; ex erigẽdi facilima fatigatione, attestante grauedine omniũ mẽbrorũ, cũ impedimento digestionis, & fastidio cibi, & parua iracundia, sudoris facili laxamento, & potandi inci moditate. Tremorẽ intus sentiunt, & omnium sensuũ obtusione cõfunduntur. In usu etiam uenereo, in quo difficiles sunt, plurimus sudor relaxatur, & seminis iactum non facile celebrant. Aliquoties impetum faciunt, sed debiles facti deficiunt. Quã maxime cõtingit senioribus, qui cupiunt, sed nõ possunt, negãte uirtutis natura, quia sicut infantes tendunt, & detẽdunt.

Cura.

Exercitari ergo debent, & fricentur in sana parte inguinum, et lumborum, ex pipere, nitro, euphorbio, & hoc unguẽto ungantur: quod Recip. lauri baccæ, erucæ seminis, sulphuris uiui, nasturtij semins, fimi columbini sicci, piperis, salis ana drach. 3. euphorbij, nitri, terebinthine ana. drach. 1. ceræ drach. 6. olei ueteris lib. 2. ut morsum præstent supradictis locis. Escas autẽ accipiant calidæ naturæ, & uinum odoriferũ, & mulsam, & alicam, & porros, & bulbos, & erucas, & pastinacas. Et ad bibendum dabis piper, satyrion, stincum, & erucæ semen, ex æquo trita, & cum uino confecta, et similia uirtute, quæ desideriũ ueneris prouocent, et dormiãt molliter, et pri

muin

mum inspectas pulchras mulieres complectantur, et amorum lectiones legant. Vtilißimum est lac bubulinum dare ieiuno bibendum.

De Satyriasi, & gonorhea, Cap. LXXI.

Satyriasis, et gonorhea, et priapismus, similes sunt paßiones, nisi quod gonorhea cum fluentissima effusione seminis in chronicam deducitur. Satyriasis uero licet sine febribus sit, inter acutas ægritudines dinumeratur.

Cura

In initio cum fricatione palestraq; omne eorũ corpus exerceant, et post tempus conquiescant. Vaporationes stipticæ superponantur, uel hypoquistida in cõtheæ, id est, cicutæ herbæ succo contrita, tunc ipsis partibus superadde fricationẽ manuũ, uel sabanarũ asperarum. Cibos stipticos omnes cum aceto ministrabo, uitans calidos, et quæ inflationes possunt præstare corporibus. Hi enim frequenter ad usum uenereum cõsueuerunt erigere. Sic etiam potus ministrandus erit, sed tamen hæc mediocriter, et rarius adhibẽda sunt, sufficiat ex hoc ueluti famem, & sitim procurare. Si uero paßioni huius molestia diutius perseuerauerit, ut tensio, et desiderium patientis protẽdatur, laminam plumbeam renibus appone, et uentosis

cucurbitis aßiduis eadem loca fatiganda sunt. Dro*paces quoq; imponantur, & ab omnibus carnosis cibis, & multum nutrientibus abstinendum est, & ab odoribus bonis & thymiatibus, & penitus à commu nione & ab aspectu pulchrarum figurarum.*

De eodem & cura, Cap. LXXII.

Quibus autem defectus, aut morbus locis residens ueluti partibus frigescentibus, usus officij uenerei pernegauerit, tunc econtrario his adiutorijs famulabor. Conuenit exercitatione uti, & mediocribus fricationibus. Quam maxime in locis inferioribus inguinum, uel femorum, unguẽtis calidioribus, & mordentibus, id est, ex nitro, et pipere, et euphorbio, uel similibus, quæ erigendo desiderium, uel usus uenereos ualeãt ministrare, utãtur: etiã dropaces adhibẽdo renibus, & cibis calidioribus utantur, inflantibus & erigentibus mẽbra frigentia, ut est uinum boni odoris, et oxymel, alica, amilum, lupinus, nucleus, porrus, eruca bulbi, & alia similia. Quibus uirile semper officium reparandum est, & pro parte satyrion, stincum, erucæ semen, & cætera paria beneficia ministrentur, quæ maxime in libro physicorum cõmodius disposuimus. Interea eos quiescere cõuenit, non solum noctis, sed etiam diei spacio.

Vti plu-

Vti plumis, ue melioribus opertorijs uel straminibus conuenit. Interea puellarum speciosarũ seruitium procurandum est. Huic igitur finem demus tertio libro, ut lector fastidio sublato, recreatus, quartum tractatũ longi operis podagræ, auide, studioseq;, percurat.

Explicit liber tertius.

GARIOPONTI MEDICI VETUSTISSIMI LIBER QUARTUS.

De sciatica, Cap. I.

SCIATICOS apprehendimus primũ ex paruo dolore ossis, qui de ilio descendit in uerterbrũ coxæ, siue in compaginem. Hanc græci sclesin uocant, id est, coxam, attestante formidabili torpore, cum grauedine, atque difficultate motus. Deinde uehemens dolor cum compunctione, & feruore quodam, & motus debilitate per femur, & inguinem, & crura, et tibias, usq; ad pedum uestigia descendit, qui etiã eisdem in renibus tenetur, cõsequitur

cōſequitur partē ipſius coxæ, dolor deſcēdens à coxa uſq; ad fœmora, genua, atq; tibias, et plātas. Si uero in ueterauerit hæc paßio per tempora, claudi efficiuntur, & læſi turpes fiunt.

Cura.

Diligentia patientibus adhibenda eſt, ut primum aquæ calidæ infuſionibus, calidisq́; uaporationibus, fricationibus, & dropace, & cataplaſmate et cucurbitis circa coxā utantur, et clyſtere acri, uel acerrimo ut prauū depellat humorē. Solēt multū iuuari ex uaporatione ſpongiarum, aut ex ſaccello cum ſale, & ueſica oleo calido plena; & alijs ſimilibus uirtute, & poſt uaporationem ungantur ex acopis thermāticis, & in ſole diu fricentur, & facis unguentum ex pice liquida cū oleo ſicyonio, aſperſum aloē, et tapſia, oppopanace, adarce, et his ſimilibus. Aliquoties ſecundū tempus curare debemus. Quam maxime quando paßio inueterauerit, utendum eſt dropace, & ſinapiſmo, & mordacibus medicaminibus, & cauterijs ſecundum locū utantur, in eodē loco ubi uertitur latus, id eſt, cautere ū ponito, & ab ipſo loco duo in trianguli modum euntis in anū, & uiſum quod ſequitur, uſq; ad ueſtgiorum loca curari oportet ex acopis, & malagmatibus acerrimis, & emplaſtris deſiccatiuis, quæ in dinamidijs ſcripſimus, & probantes experti ſumus.

De pſialgia

De psialgia, Cap. II.

PSialgia est lumborum dolor ex utraq; coxa descendens usq; ad fœmora, genua, & tibias, quoniam signa doloris per coxam discurrũt, initia utrarũq; tenẽt coxarũ. Alioquoties lũbi & coxæ dolẽt. Quã maxime infixus moratur dolor, ubi uertebrum incidit, uel residet, cum clunium difficultate, ut quando se inclinauerit, uix se præ dolore erigere poßit ægrotans.

Cura.

Curationes istorum ex infusionibus, & uaporationibus, & cataplasmatibus sciaticorum adhibeantur. Quam maxime uestigiorum uena incidenda est, quæ est circa digitum pusillum pedis, & unctiones ex acopis lumbis adhibendæ sunt, ex sale, & nitro, atq; sulphure, & his similibus, & ad solem, uel in balneo circa loca competentia fricentur. Cusæ etiam in utraque coxa apponendæ sunt.

De podagra, Cap. III.

POdagra ex dolore pedum nomẽ sumpsit. Podagricos apprehendimus ex tardo dolore pedum, inchoante à maiori digito, id est, pollice, aut uestigio, aut capite plantæ. Aliquando non mutato naturali colore. Aliquando cum rubore, & inflatione, attestante dolore, aut frigido torpore. Podagræ

græ genera sunt duo, calida, uel frigida, quæ sic agno scimus. Calida podagra est, quæ cũ tumore, & rubore uenerit. Frigida quæ sine tumore, & rubore, atq; uehementi dolore, & quos tenuerit, in ipsa paßione senescunt. Medelam tamẽ, uel adiutorium habere possunt, sanari non possunt, quia omnibus est magna chronica id est, multum longa, & periculosa, et grauis, & frigida, quæ in renibus lapides creat, & maxime dolorẽ irritat, & laßi fiunt, uel exacerbantur patientes. Podagra dicitur à dolore pedum. Chiragra autem dicitur cum manus dolet, & quando cubitus, & genua, & omnium articulorum membra condolescunt, tunc artetica uocatur, & est seuißma & tarda paßio, quia fit ex phlegmate, & melancholia. Calida quippe podagra fit ex sanguine, & felle rufo, & maxime contingit iuuenibus, & cito beneficiũ, atq; adiutoriũ sentitur. Oportet aũt agnoscere dolorũ loca: quia incipit dolor à maiori digito, et plãta, et à calcaneo, et ab uno pede, sine aliquo uulnere, ut non poßit in eo ambulare, ac si percussus fuisset, aut uulneratus. Aliquoties sponte recedit. Aliquando in anno semel: plerũq; bis exacerbantur. Abstinendi sunt à uino omnes podagrici, ab usu uenereo, à carnibus & leguminibus, cibis fastidiosis, ab iracundia, tristitia, & ab indignatione omni.

Cura.

Cura.

Adhibeantur quippe adiutoria ſicut ſæpißime iã dictum eſt, id eſt, contra calida, frigida, ſiccis humida, & conuerſim. Contraria igitur ex contrarijs curantur. Si uero calida podagra fuerit, & unius dolor pedis, dolor magnus cum tumore, & rubore, uiribus, & ætate permittente, phlebotomentur ex brachio ſanæ partis, & poſt 10. dies purgent uentrem, & dropace utantur, & ſinapiſmo, & ungantur ex oleo ſicyonio, & puluere deſiccatiuo in lauacro, aut in ſole utantur, & ad eadem podagrã expertum eſt, ſi illiniatur ex uuæ lupinæ, & coriandri, & hyoſcyami ſuccis comixtis. Et quando impetus fortior uenerit, cibo digeſtibili utantur, & parua comeſtione & aquoſa potatione, & à uenere abſtinere conuenit, & quando poſſunt exercitentur, & fricentur, & nudis pedibus gradiantur. Venter illis ſoluatur, et urina prouocetur. Et ſimiliter uomitus, et ex radicibus ter in menſe poruocãdus eſt, et pro dolore mitigando cataplaſma, et embroce, id eſt, infuſiones, uel uugenta, et emplaſtra diuerſa ſecundum qualitatem ægritudinis, et quam maxime ſenioribus calida adhibeantur adiutoria, quoniã corpora eorũ frigida ſunt. Quando feruor grãdis fuerit cũ tumore, et

rubore

robore, lenticulæ farina in mulsa cocta, & oleo roseo cataplasmentur loca, aut apij folijs coctis in aqua, & tritis adiuncta fece aceti, uel ouorum duum uitellis aßis, addito quoq; oleo roseo, & sic cataplasmentur loca, & adiutoria frigida arteticorum adhibeantur, & post dies .40. utantur cerotario diaquilon, cũ rosacco. Quod si frigida fuerit, sine tumore, & sine rubore, quæ fit cum uehementi dolore, & uulnera facit, uaporationibus utendum est ex saccello salis tosti, & postea cooperiantur loca ex lana carpinata, tincta in oleo dulci calido. Tũc foueantur ex calida decoctionis maluæ agrestis, fœnugræci, lini seminis, et calamẽtis, Quod si magnus increuerit dolor, post adhibitam uaporationem, secundum tempus, & ætates phlebotomari conuenit. Et fomentationibus quæ sint ex aqua marina, aut aqua naturali calida salsa foueantur, & uenter eis moueatur, acopis quoq; calidis ungantur, aut oleo laurino, & post .40. dies ceroto utãtur diafinico, & malagmate roseo scliron, aut diaoppopanace, aut diaspermaton. Et in dimißione balneis utãtur, & locis dolentibus puluis ex nitro, & euphorbio, adarce, pipere aspergatur, aut ex baccis lauri, et post lauacrum unguento simplici utantur. Item unguentũ ad idem, quod conficitur sic: Squillam, rutam, cucumeris agrestis radicem in oleo ueteri duabus partibus a

que

quæ, unà coque tam diu, ut oleum remaneat. Tūc herbis proiectis, addis ceræ modicū aspersurus puluerē de nitro, euphorbio, adarce, pipere, & baccis lauri. Hoc acopo apud balneum utantur, & purgentur ex hiera Archigenis, aut ex elleboro. Quod si tumor fuerit cum scliros, siccum adiutorium adhibebis, id est, panis candidi medulla in uino infusa trita, & in linteolo inducta superponatur, & sæpißime renouetur, & cataplasmabis ex polline fœnugræci, & lini seminis in mulsa cocto. Si uero uulnera fecerit lapidosa, emplastrum phenicæ adhibeatur, & hoc medicamētū quod Recip. ceræ optimæ, terebinthine, aphronitri ana. drach. 6. olei ueteris drach. 21. lixiuij primi à saponarijs drach. 21. & cōficitur sic. Simul igitur oleo, & lixiuio coctis, & aphronitro ad spißitudinem mittis ceram, terebinthinā, & iterū coques, ut pastilli genus fiat, & sic in aluta molli inductum impones. Quod si acopum fieri uolueris, plus olei ueteris addes & unges. Quod si duritia remāserit neruorum, malagma diaquilon durum in aqua tepida mollitum impones locis dolētibus, & contractis. Hi abstinēdi sunt ab omnibus maioribus carnibus, maxime bubulina, & à leguminibus, uel salsamentis, ab acrimonijs. Adiutoria quoq; adhibeantur cætera, quæ arteticis conueniunt, & hoc puluere utantur: quod Recip. ra-

mos betoncæ, & centaureæ, plus ponderis agrimoniæ, & penthaphilon, cannæ, et senticis ueræ, cētum caperis collectis in sole mēsis Augusti. Hæc omnia tere, & in pulverem redige, ex quo pondus 2. unc. per dies 15. bibatur cum aqua apiata, seu leui uino, et diebus quibus bibitur, ieiunent, & si non poterint tota die, quantum possunt ieiunent, potui parcant, utilia comedant, pullū gallinaceū, atq; anserinum, aut maluas. Et ubi compleuerit dies 40. omni mane accipiat ex ipso puluere, sicut superius diximus. Post quos potabis per totum annum eodē modo, & usq; ad cōpletum annum abstineant à carne ceruina, uaccina, leporina, hœdina, et à piscibus qui squamam non habent, & ab oleribus inutilibus. Tamen in mente retinebis, quia mense Septembri usq; ad calen. Aprilis de supradicto puluere bis eis in die potare da, & quando melius habent, tunc primum incipiant bibere. Omnibus uero pomis utantur præter ficus, & balneis utantur.

De eodem. Cap. IIII.

Podagricorū causas scire oportet, quia ex multis & diuersis causis habēt cōsistentiā. Vnde existimo, qd' ꝑpter uarietatē natiuitatis eius, neq; cognoscuntur omnia de ea, neq; curari potest

potest perfectiuis. Relinquuntur enim aliqua in ipsis locis, et ideo nullo modo ab artificibus curari possũt, quia eius natiuitatis ignorantia est. Ego autem existimo, ut quicunq; potuerit eius natiuitatẽ cognoscere, uel diuersitates, aut ipsas species, quomodo fiant, aut qualiter cõtingãt, uere eos possit curare. Credo enim quia quæ scribuntur, si diligẽtius attẽdantur, nõ solũ recẽtẽ curare, sed etiã diuturnã poterint iuuare. Multa igitur substantia in ijs est, qui insanabiles possidẽt podagras. Etenim sanguis calidus supra currẽs in articulorũ concauitatibus extẽdit neruos, quos sindesmon græci uocant, & dolores in pedibus facere solẽt nimios. Similiter autẽ et cholericus humor sæpius currẽs supra neruos, aut inter ipsos residẽs, & maxime in ijs, quos diximus sindesmos uocari, et ossibus uicini sunt, ardores simul & tẽsiones locis quæ dolẽt infert, & magnos dolores. Nã & phlegma eodẽ modo lædẽs, dolores fortissimos facit, simul et frigora, et coangustata loca extendit. Facit etiã hoc et melancholicus humor, & non solũ infrigidat, sed opprimit, & grauitate sua facta sentitur in mediocri effectu cõmotio. Nõ enim solũ per simplicẽ supracurrentẽ materiã rheumatismi solent fieri, sed p simplicẽ qualitatem efficiuntur, et per distemperantiã eorũ quæ sunt calida, & frigida, et humida, et ex duplicata distẽperantia,

aut calida & sicca, aut calida & humida, aut frigida & humida, aut frigida & sicca. Ex quibus distēperantijs fiunt sæpius rheumatismi. Oportet igitur, ut dictum est, diligenter omnia contēplari, & quales sunt singularum causarum qualitates, uel quantitates, & singulis causis competentem curationem adhibere. Prædicendum est nunc quomodo fiat de sanguinis abundātia podagra, et quibus oportet uti adiutorijs.

Cura.

Si sanguis est supracurrens in articulis, & nihil est quod prohibeat, sanguis est auferendus. Ex hoc enim multos scio perfecte fuisse liberatos, uel rarius esse rheumatizatos. Itaq; primo uere per singulos annos sanguinem auferant, non tantum pro euacuatiōe quantum pro corporis custodia. Nam quicunq; sanguinem cibis nutrientibus augmentant, nisi eiusdem detractione, sanitate diu non gaudēt. Sanguinē enim nutriunt omnes carnes, & magis porcina, & dulce uinum, atq; omnes diuersi, & multi cibi, & exercitatio mediocris. Sed qui sanguinem primo uere minuerit, & frequenter corpus exercuerit, & impiger ad omnem uectationem erit absq; ulla humorum læsione, & sine rheumate poterit permanere, nihil habēs quod articulis supracurrat. Vtantur quoq; calida aqua qui ex sanguine sunt podagrici magis quā uino.

Multos

Multos enim scio à uino abstinuisse, & ultra ab ipsa passione non fuisse tentatos. Nam plurima uini potatio sanguine abundantibus inimica est. Quod si ex toto abstinere non possunt, tamen uere & æstate uinũ non sentiant. Sed si ex sanguinis plenitudine rheumatismus pedum fuerit, quia non abstinent à cibis, necessario localia adiutoria adhibeantur.

De Rheumatismo, & eius cura, Cap. V.

Reumatizantia loca, quibus phlegmon accesserit, frigidare, & eis diaphoresin facere conuenit, ut quod inflatione facta continetur, digeratur, & supraucnientes humores repelli poßint. Ad hoc ergo optimũ est cataplasma, quod de semper uiua, & rubo, & cortice maligranati, & alphita in uino coctis efficitur. Sic enim reprimit qđ desuper currit, & diaphoresin facit, & desiccat ea quæ continentur, & confortat simul, & uirtutem præstat imbecilli membro. In æstate frigidum, hyeme calidum, locis dolentibus impositum. Si enim in initio commotionis dolores sunt, hoc oportet adhiberi, & si mediocres sunt dolores. Si uero augmentantur dolores, cerotoria, & embrocæ habentes sapæ partes duas, ceræ pinguioris mediam, & olei rosei

partē unam, imponendæ ſunt cū lana ſuccida, hyeme tepidæ, æſtate frigidæ. Qđ ſi in alto cōtingat ipſam inflationem eſſe, nitrum modicum, & ſapa cum oleo puro adhibeātur. Permanente igitur dolore, ex braſſicæ folijs coctis, & diligenter tritis, ſupra miſſa fece aceti, & ouorum crudorū uitellis 2. et olei roſei modico, factum cataplaſma frequenter apponatur. Hoc etiam adiutorium nimios dolores paragorizat. Bene etiam iuuabis, ſi ſupra cataplaſma ſpongiā in uino ſtiptico mediocriter infuſam ſupponas, uel in puſca. Neq; enim aqua calida pedes eorum ſunt fomentādi, neq; cataplaſma de tritici, aut hordei farina imponēdum eſt. Omnia enim iſta cōtraria ſunt, magis ijs quibus eſt plenitudo ſanguinis, quoniam in eorum articulis generant dolores. Alij uero ſi ſunt dolores, nihil nocet, ſi cum frequēti mutatione adhibeatur cataplaſma coctū ex hordei farina partibus 2. lini ſeminis 1. Humida autem non ſatis calida adhibeātur cataplaſmata: quēadmodum multi faciunt medicorū, non ſolum articulos, ſed & alia loca frequenter de tritici farina cataplaſmantes, neſcientes, quia magis incenditur, & deſiccatur ſuperficies cutis quā digeratur de patiētibus locis, qa cataplaſma deſiccat, ſi neceſſitate plus fuerit coctum, & maxime ſi oleum in ipſa coctione adhibeatur. Et non omne, uel omnes cataplaſma-

ri opor-

ſi oportet, niſi primum totum corpus fuerit euacuatū ab humorum ſuperfluitate, neq; cataplaſma de tritici farina nimium calidum imponendum eſt. Ego etiam exiſtimo ſtipticas ſpecies, uel eas quæ reprimūt, non debere adhiberi, priusquā totum corpus euacuetur. Quia qđ ſupercurrit articulis, ſi reprimatur, timor eſt, ne ad uitalia redundans cauſam ingerat ſuffocationis, & periculum faciat mortis. Siue diaphoreticis, ſiue apocruſticis uolūt aliqui uti medicaminibus, ſimul feſtinare debet prius totum corpus euacuare, & ſic poſtea uti cataplaſmatibus.

De porris qui fiunt in pedibus, & manibus, Cap. VI.

QVoniamquidem multi in pedibus, manibusq́; porri fiunt, id eſt, uelut tubi in aqua generantur rheumatizantibus articulis, ſiue per inordinatos cibos aliquos, ſiue per indigeſtos, & crudos humores collectos in corpore, conſequens eſt uobis ſcire quomodo, aut quibus medicaminibus porri debeant reſolui. Si enim calida diſtemperantia neruorum ſuper excocta materia, ut ſolet, generat porros, non oportet calefacientibus uti medicaminibus. Quod ſi ꝑ hæc iā occurrat generari lapidē, utātur medocriter

quæ calefaciant, uel soluere poßint medicaminibus, prohibito omni desiccatiuo cibo, & antidotis quæ calefaciunt, & desiccant. Sed per totum annum utendum est: quod Recip. centaureæ unc. 5. camedreos iperici. ana unc. 8. aristolochiæ rotundæ, gentianæ, petroselini, agarici, fu, meu, ana unc. 4. nardostachij unc. 1. mellis quod sufficiat. Item quendam scio incipientem porros habere: dum concretos haberet lapides, hoc usus est apoximate, per quod extenuatur crudus & pinguis humor, & sanus factus est, quod conficitur sic: Origanum, camedreos, camepiteos, et pulegiũ coquantur, et eorũ elixatura bibatur. Hoc tantũ conuenit ijs qui calidã et cholericã habent distemperantiam, sicut iam dictum est.

Cura.

Quoniam diuersa sunt genera medicamẽtorum, quæ soluere possunt porros, eorum disponamus differentias, ut ad diuersas causas, et distemperantias ægrotantium, uel ad magnitudinem malitiæ eligamus, quæ soluunt in articulis porros, ita ut nunquam appareãt, et iterũ non possunt amplius generari, quorum unũ. Recip. aphronitri drach. 8. terebinthin. drach. 6. ceræ drach. 15. olei põtici drach. 21. guttæ primæ à saponaria drach. 6. atq; conficitur sic: Quæ sunt sol uẽda lento igne soluãtur, et sic puluis aphronitri ad:

datur

datur, & ita sufficienter decoctis, usui lib. distempe=rantiæ reserua. Item aliud cuius confectio est similis lib. Recip. aphronitri, terebinthinæ, guttæ primæ à saponario, propoleos ana. drach. 4., ceræ drach. 9. co=lophoniæ lib. 1. olei ueteris drach. 17. Faciũt ad por=ros, ad apostemata, & ad podagricas causas. Item aliud quod ad hæc iuuat, & multũ amplius operatiuũ est, quod uocatur diacinnabareos: Recip. alassanti, lithargirij. ana lib. 1. olei ueteris lib. 1. lepidos calcis drach. 1. calcucæ caumeni drach. 1. cinabareos drac, 17. lithifrigij drach. 6. quod conficitur sic: Lithargy riũ oleo coquatur, donec amolẽtũm fiat, & sic miscea tur puluis metallorũ, & post horas paruispacij, cina barij, & lithifrigij, tunc utiliter decoctũ ad expellen das distẽperantias lib. reserua. Item aliud qđ uoca=tur leptocarion, est enim felicißimũ, & facile, & le=ptocarion drach. 4. & aphronitri drach. 6. & olei ueteris lib. 1. saponis gallici drach. 4. mellis drach. 3. albuginis ouorum phialã 1. ceræ drach. 10. terebin thinæ drach. 6. & conficitur sic. Quæ sunt liquẽda li quẽtur, et liquefactis leptocariæ cũ sapone, et albugi nes ouorũ tritæ addãtur, atq; in mortario misceãtur, & sic puluis aphronitri mittatur. Deinde patiẽtibus secundũ distẽperantiam impone, facit enim hoc me=dicamentũ ad omnia. Interdum enim psoluitur uirtus

eius, et expediens est mollioribus corporibus, et delicatis, si ei admisceātur mellis duæ partes. Cura.

Caryocostinum.

¶ Puluis catharticus inuētus à peritis medicis, & nimiū expertus, qui mirabiliter mitigat furiosos podagricorū dolores, & ignitū extinguit calorē, et statim cum uentrē soluit, mox paragorizat, et tēperat patientis mēbra, in tantū ut à sella sine alterius adiutorio ad propriū redeat lectū: qđ Recip. hermodactili, diagridij ana. drach. 2. cymini, costi, gariophili drach. 1. dabis pensum solidi 1. cū uino albo, aut cū mulsa. Et si uis conficere cum melle, dabis cum aqua drach. 5.

Cura.

Itē aliud quod Iacobus tradidit: qđ Recip. hermodactili drach. 3. diagridij drach. 2. da bibere, sed ante accipiat cibū humidū, & aquā calidā. Item aliud à Theodosio philosopho missus: quod Recip. hermodactili unc. 1. cymini æthiopici drach. 3. agarici, amili, zingiberis, ana. drach. 4. mastiches, spicæ nardi ana unc. 2. alipiados, eringi ana. drach. 6. dosis eius sit 4. drach. cum hydromellis, mirabilis est iste puluis, et à nobis ualde experimentatus. Qui hermodactili sunt potionē accepturi, sic nutriēdi sunt. In primis bibant aquā, aut trita uitella ouorū, et panis modicū accipiāt, & gallinæ pectoris modicū, & sic post unā, aut satis duas horas exeūtibus de balneo ad mansionē dabis,

sicut

ſicut dictũ eſt. Sic enim data potio utilius opatur. Neq; enim tigẽdo lædit ſtomachũ, ſed uentrẽ magis facilio rẽ reddit. Hæc de hermodactylo dixiſſe ſufficiat, quẽ admodũ ab antiquis tradita ſunt, et à nobis ꝓbata. Itẽ antidotũ qđ datur ꝑ annũ integrũ podagricis, Sanat enim podagras, et omnes articulorũ dolores, et capi-tis, et ſtomachi, et oculorũ dolores, hepatis, et ſplenis et renũ, et ſclironia, et callos cõuiſcatos in articulis, et ſanatos bene reſoluit. Recip. rheupõtici drach. 1. agari ci drach. 2. ſu drach. 4. petroſelini macedonici drach. 4. meu drach. 5. iperici drach. 6. dẽtianæ drach. 7. a-riſtologiæ drach. 8. cẽtaureæ drach. 9. camedreos dra ch. 10 Doſis eius ſit uiris ſcrupulorũ. 3. mulieribus. 2. Dabis aũt mẽſe Ianuarij diebus 5. cõtinuis. Mẽſe febru arij diebus 8. die poſt diem. Mẽſe aprilis diebus 5. æ-qualiter. Mẽſe maij diebus 3. Mẽſe iunij. diebus 6. Mẽ ſe iulij die 1. Mẽſe ſeptẽbris die 1. Mẽſe octob. diebus 2. de die in diẽ. Nouẽb. dieb. 3. die poſt diẽ. Decẽbris dieb 3. cõtinuis, & ſic per menſes compleant dies 37. Et oportet eum qui biberit per totum annum abſtine re à carni bubulina, porcina, & leporina, & fungis, & braſsica, ſinapi, & aceto, & omnibus oleribus, & obſomogaris, & bene digeſtus ſit. Detur quoq; potio in calida aqua, & lac bibant ordinate per tempora.

De podagra

De podagra si ex cholerico generatur humore, Cap. VII.

Si ex cholerico humore fuerit podagra generata, quippe quam plurimum hoc augmentante humore, rheumatismi in articulis generantur. His signis cognoscimus quibus cholericus humor super cucurrerit, nullus in eorũ articulis manifestus tumor apparet, sed tantum calore molestantur & ignitus sentitur locus ab ægroto, magis quam tensus, uel grauatus. Sed rubeus uidetur esse calore, ipse qui dolet locus, gaudet si aliquid frigidum imponatur & iuuare se magis ex hoc, quam ex rebus calidis patiens cõfitetur. Cæterum autem & quales præcesserint causæ, requirendum est, aut qualis ætas sit infirmantis & qualis est distemperantia patientis paßione, & sic declaratur qualis augmentatur humor, qui ægritudinem generat.

Cura.

Si tumor in pedũ articulos cholericus superuenerit, nõ est opus sanguinis detractione, sed colagogo uteris, uel medicamento cathartico. Etenim prius humectandum est corpus eius qui accepturus est potionem, ut tẽperetur acredo cholerici rubei humoris. Nõ enim oportet semel dare catharticum patienti, sed paulatim, & frequenter. Sic enim & superfluitatem humorum, & quæ

& quæ rheumatiſmum cuſtodire poſſunt articulorũ detrahas: melius enim purgas, ſi per partes furẽs humor qui ſupercreſcit detrahatur. Sit autem catharticum ſimpliciſſimũ, & non ſatis habens de calefactionibus, quale eſt de ſucco roſeo confectum. Suaue igitur eſſe uidetur in guſtu, & in odore, & nõ ſubuertit ſtomachum. Sic enim ſemper debẽt eſſe ſolliciti, qui rheumaticis læduntur paſſionbus, & quorum ſtomachus à medicamentis ſubuertitur, quia ſi ſtomachus imbecillis fuerit, à medicaminibus omnia compatiuntur membra, & nerui, & tunc amplius rheumatizant pedes.

Variatio curæ.

Primum enim catharticum: Recip. roſe ſucci lib. 3. mellis lib. 1. ſcamoneæ coctæ unc. 1. cõfice ſic. Coquis ſuccum cum melle ad ſpiſſitudinem, cui addis ſcã moneam tritam, & dabis ex eo integram doſim coclearia. 5. & ſi nõ audeas quinq;. 2. & ſemis, aut tria ſecundum uirtutem eius qui patitur. Item aliud catharticum diarhodon, quod ad eos facit, quibus non ſatis ſtomachus calidus eſt: Recip. roſæ ſucci lib. 1. ſcãmoneæ drach. 1. agarici unc. 4. piperis ut aliquantulum calefaciat drach. 2. mellis unc. 3. conficis ſic. Mel & ſuccum coques leniter ad prunas, & cum ſe colligauerint, tunc ſupermittis ſcãmoneam, agaricum, & piper, & dabis coclearia. 5. aut tria, ſecundum uirtutem.

tem. Item aliud diarhodon catharticum ad eos qui graviter purgantur: quod Recip. rosæ succi 2. unc. tramalli succi scrup. 3. scāmoneæ unc. 1. mellis attici lib. 1. Conficitur ut supra, dabis ex eo coclear. 1. aut secundum uirtutem. Facit enim ad multas paßiones hoc catharticum, maxime ad tertianum typum, & ad ictericos, & ad oculorum dolores. Deponit iterum sine molestia, acutum non est nimium, unde magis eum sæpius dabis. Item aliud diacytonion milon catharticum, quod facis sic. Mala cytonia 4. purgas intus, & foris ab omni inutili, & scāmoneæ drach. 1. per singula cytonia mittis, quæ in uoluis polenta, ut per ea quibus missa est foramina, cum se remiserit scāmonea non recurrat, aut euentetur. Si igitur cytonia cocta sublata, quæ inuoluta sunt polenta, teres cū scāmonea, addesq; mellis tantum, ut inter durum, & liquidum fiat, & dabis exinde coclearia 2. aut 3. aut 1. secundum uirtutē. Hæc cathartica sunt danda his, quibus stomachus non subuertitur. Quod si hac causa subuersus stomachus non recipit catapotia simplicia ex diagridio, aut certe duplices ex diagridio & absinthio, confecta dabis, quæ conficis sic. Absinthij drach. 2. & diagridij drach. 2. tere, & in puluerem redige, cum sufficienti rosaceo collige, & fac catapotia, dabisq; secundum uirtutem. Sic enim oportet purgari, quibus ex cholerico humore

more articuli rheumatizãt. Non enim oportet hanc solam curationem in his causis facere. Festinandum est in calida podagra infrigidare, & mitigare, ita ut ex nimio calore articulorum loca amplius non rheumatizent. Etenim calores nimij plus quam ratio postulat, contrahunt in se humores, & dolores fortiores faciũt. Propterea oportet superponere, quæ infrigidãt & mitigant, ut temperata loca, sine dolore effici poßint.

Cura.

Optimum enim est oleo roseo per singulos dies ungere pedes, & fricare in die. Melius autẽ facis, si tria ouorum admisceas uitella, ut quasi ex linimento facto loca dolentia illinias eunti dormitum, & mane iterũ surgenti. Hoc autem philacticon, id est, custos, uel conseruator pedum, ut non cito poßint rheumatizare, & quando sanus est, similiter faciat, ut omnino infrigidare, & coroborare articulos poßit. De quibus adiutorijs in sequenti sumus dicturi, in localibus curis: nunc autem de dieta dicendum est.

De dieta, Cap. VIII.

QVibus ex cholerico humore pedes dolẽt, obseruandum est, ne offerantur ea quæ calore suo cholericum humorem augmentando generare posint, sed offerenda sunt, quæ infrigidant, & humectant corpus.

De oleribus

De oleribus, Cap. IX.

De oleribus danda sunt intiba, lactuca, malua, & si delectātur blitis chrysolocanna. Brassica autē & cardamum, & eruca, & porrū, & allium plus inimico fugienda sunt.

De uolatilibus, Cap. X.

Volatilium dandi sunt pulli, phasiani, sed non saginati, perdices, turdus, merula, ficedula

De piscibus, Cap. X.

Pisces aspratiles, & maxime qui albas carnes habent, & nihil pingue sumātur. Qui aūt in stagnis, uel in limosis locis capiūntur, prohibendi sunt. Condiātur autem pisces, neq; ex multo oleo neq; acris seminibus, ut possint desiccando iuuare. Duriores quoq; maxime pisces orphos, cirides, denticces, sipias, pectines, non dabis, sed & ostreas, et cochleas non timeas dare.

De carnibus, Cap. XII.

Eruinam manducent iussellatam, et maxime uētres, et bouinam similiter. Ego igitur scio quendam rehumatizantem de tenui, et acri rheumate, et quam maxime bubulinam carnem manducando fuisse adiutum. Sed hæc frequenter non danda sunt. Quādo autem nimium est rheuma in pedibus, tunc tenuis, & subtilis dieta danda est. Comedant aūt

pedes porcellorum, & magis uentres in iusſclo, qui patiuntur æstum, aut ardorem, si calidi iuuenes aut media ætate sunt.

De Fabis, Cap. XIII.

FAbas uirides, & siccas, sed antea infusas in aqua, aut phasellum alexandrinũ, et maxime infusum, & fœnugræci cimas, et alicas, ptisanas accipiãt, alia aũt legumina prohibeãtur.

De Pomis, Cap. XIIII.

POma quæ multum sunt dulcia natura suadeo accipere hora secunda, aut tertia, maxime si persica sunt duracina, aut uuæ duracinæ, sed nõ stipticæ, et damascena, et mala dulcia, & citonia purgata, & mundata bene pira, & mala granata, Alia uero omnia poma, aut raro, aut nullo modo sunt gustanda. De tragematibus maxime castaneas, aut nuces, uel nucleos pinearũ, aut amygdalas accipiãt, sed neq; placẽta, aut crustula ædãtur. Omnia hæc nociua sunt, quibus ex cholerico rheumatizant articuli. Gestentur autẽ mediocriter, & absq; labore, multo magis ante cibum. Labor quoq; est illis inutilis, quia ex eo plus calefiunt, & accenduntur articuli, & trahunt ad se de longinquis locis humores, ex quibus nascitur rheumatismus.

De Podagra ex phlegmate generata, Cap. XV.

DIcendũ est ergo quomodo oportet ex phlegmatico, & frigido humore podagrã generatam curare. Omnibus igitur manifestum est, contraria cõtrarijs conuenire. Sed humor qui superfunditur pedibus non semper simul, neq; secundum ipsam qualitatem, aut quantitatẽ, uel constitutionẽ subsistit. Sed alijs quidem plus alijs autẽ minus supercurrit, alijs etiam spissus, aut pinguis, alijs tenuis, uel horodis, alijs in summitate cutis, alijs interius in membranis, uel neruis, quos græci sindesmon uocant. Quibus coniunctis, efficitur podagra. Necesse est ergo ad qualitatem, & quantitatem, quæ contra naturam est passionem attendere, ne ipsas passiones diutius sustinẽdo mutata fiat, ipsa ægritudo naturalis. Itaq; qualitate, uel quãtitate, modo uel mensura, et causa cognita, quæ conueniunt adhibeantur.

Cura

Si enim quod lædit phlegma manifestum esse cognoueris, necesse est id ante omnia purgare, & sic postea localia sunt adhibenda adiutoria. Iuuãtur aũt omnibus membris, si omnis superfluitas humorũ fuerit detracta, quæ ipsas generat passiões, & si non solum sit phlegma quæ molestat, sed cũ eo si uidetur ibi

uel

uel sanguinis abundantia esse, utrosq; oportet educere, pingue, et spissum phlegma, & boroide, id est, aquosum & tenue, muriate simile, non quẽadmodum multi faciunt, dantes lactaria opotithymali, & coco cnidios admiscens, & sic euacuent tenuiorem, quem Græci codes uocant, & magis lædunt quã iuuent, & dum pinguiores humores ficciores fuerint facti, uix postea digeruntur, aut auferri possunt. Oportet ergo semper fugere à malis catharticis, quæ si à nobis danda sunt, admisceantur aliqua quæ leniant, et extenuent. Hæc enim si fuerit admixta, sine læsione fiat catharticum.

De Oxymelle, Cap. XVI.

OXymel Iuliani catharticũ admirabile, quod extenuat, & purgat pingues humores pariter simul, & tenues educit qui fuerint in corpore, & in nodis, uel articulis residentes, aut si altius sint infixi interius in mẽbris: Recip. rutæ foliorũ, origani, alipiados, scyllæ minoris, ebuli cimarũ, canopi, id est, sambuci corticis med: anæ ana. drach. 3. thymi comarũ, cococnidij ana. drach. 4. anethi, mãdragoræ, agarici, polipodij, spicæ nardi, epthymi, lacteridos, ellebori, acori, an: si, ana. drach. 2. ireos folij, costi, rheũpontici, asari, hyssopi, ammomi, iperici,

cymini ana. unc. 1. tedæ pinguis lib. 1. aceti acris lib. 1. mellis lib. 5. Conficitur autē hoc modo, Lacteriades & costū, agaricum, anisum, cyminū, cocognidiū, spicam nardi, tere diligenter. Cætera autē omnia infunde in aceto per dies 3, et sic postea coques, donec media pars aceti decoquatur. Proiectis ergo scophis, mittis mel, & ubi coctū fuerit ad mellis spißitudinē, suprascriptū specierū puluerē admiscebis, et dabis secundū uirtutē uniuscuiusq;. Dosis autē eius perfecta, unc. 1. media dosis est secundū minimum, dosis scrup. 8. sic enim istud cōficiunt multi. Ego aūt cocto oxymelle isto solum agaricum subtiliter tritum supersparso. Suauius enim est, & sine aliqua molestia accipitur, sæpius autem ei & scāmoneam admisceo, fortius uolens id facere catharticum, quæ si nō, mittitur, suauius bibitur.

De Catapotijs, id est, pilulis, Cap. XVII.

SI oxymel suauius ad accipiendū non fuerit patienti, dabis ei catapotia ista à nobis missa, & sic purgētur. His enim possunt purgari ipsi articuli à spißis, & uiscosis humoribus, & à superfluitate liberari. Multa enim sunt alia iuuamenta, quæ in usu fuerūt. A nobis autē frequenter sunt data cata-

ta catapocia in his causis quæ Recip. scāmoneæ aloës ana.unc.1.colocynthidæ interioris,euphorbij,nitri ana.drac.4.Hæc omnia trita,& in puluerē redacta succo braßicæ,aut malorū citoniorū, aut citri informentur. Vteris autē secundum uirtutē eius qui patitur. Melius aūt si non semel sub una potione purgētur,sed sæpius,& paulatim oportet educere.Nā subito uolentibus semel purgare, dum totum exagitatur corpus,quæ inueniuntur in summitate,educuntur,& quæ spissa sunt & uiscosa latentia derelinquūtur, & ideo paulatim accepta medicamina facilius sensim educunt:subtiliant enim si frequēter,& paulatim accipiuntur. Scire autē oportet hæc catapocia danda in initio podagrarum,mitigant enim dolores cum ab ipsis dolentibus locis nascentē deducunt materiā,sed nec iterū permittit harū acceptio rheumatizare loca.

De Balneis, Cap. XVIII.

Balnea igitur dulcis aquæ expediunt,et maxime circa uesperum.Post cibum autem laborantes ex calida distemperantia,si lauātur maxime iuuantur,& magis, qui graciles & sicci sunt corpore,et acri tenētur humore.Hi tales si quotidie lauātur, maxime iuuātur:ante tamē quā ingrediātur in aërē,expedit ut aqua frigida suos pedes pfundant.

dant. Vt cũ intrauerint in media cella ſtẽt, donec paulatim ſudare incipiant, & ſic perfundantur aqua tepida. Poſt hoc ungatur totum corpus hydroleon. Oportet autem & ipſum habere tẽperatum. Similiter autem & in ſolium poſtquam ungitur, oportet eum deſcendere, et frigida pedes ſuos perfundere, etiam ſi frigidum tempus eſt.

Finit liber Quartus.

GARIOPONTI MEDICI VETVSTISSIMI LIBER Quintus.

PROLOGVS.

Corporis totius ſingularum partium in ſigna cum ſuis curationibus paßionũ. 4. librorũ ordo partitus eſt. Debinc corporis fabricã cõtingẽtia trina partitio terminabit: neq; enim ratione caret, ita ordo diſpoſitius. Nanq; totius fabricã partes præcedunt: ex quibus

quibus coniunctis totum subsequitur. Vnde partium accidētia singularum non immerito librorum præcedentium tractatus disposuit, in sequentibus totius corporis paßionibus differendis.

De Spasmo, Cap. I.

Spasmus appellatus est ab extēsione, uel cōtractione, neruorum, & musculorū uicinorum ceruici, quam maxime in patientē dolorem compatientis, ut etiam ad respondendū os facile aperire nō poßint. Nam sub hoc titulo spasmi uaria sunt huius paßionis signa. Spasmus per omne corpus extensionē rigidam temperalem quidem habet, sub qua ita tenduntur, ut sub uno schemate iacentes tensione molesta, & inflexibili teneantur. Quos uero pronos trahit, emprosthotonicos dicimus. Quos autem ad posteriora reclinatos, opisthotonicos, hæc accidentia corporibus frequenter sine febribus ueni re consueuerunt. Cui si superuenerint febres, caussam soluunt, si hæc febribus superueniāt, uitæ periculum minantur.

Cura.

Vna, eademq; diligentia medicinæ uisitātur, quos diuersa corporis paßio fatigat. Primis nanque diebus commodius phlebothomo succurrendum est, sed tamen post omnia adiutoria competentia minime

prætermittantur. Fricamentis quidem, uel unguentis diligentius loca mitiganda ſunt, ex uino, & oleo calido tẽperato, cubiculo calido lucido procurato. Neruis uero tenſis, & inflexibilibus, fomenta ex oleo calaſtico, & calidiſsimo adhibenda ſunt. Cucurbitas cũ ſanguinis detractione adhibe, competenti tẽpore, & uentrẽ procura ex clyſtere ſimpliciori, ſiue aqua & ſale, ſiue oleo & aqua, ſiue felle. Cibis congruis, et digeſtibilibus nutri; ut ſunt oua tenera, appala, buccella cãdida, in aqua calida maturata frequẽter, etiam mellicrato infuſa, inferenda ſunt. Si adiutorijs iſtis releuati, etiam oris cœperint impedimento carere, maluas decoctas, & minutos piſciculos iure coques anethino, iam cõfecta ſubminiſtra, plena frictorũ quoq; copia neganda non eſt. Omnibus uero tenſionibus poſt fomenta calaſtica ex oleo ſicyonio unctionẽ adhibebis, & acopis calidioribus, & cataplaſmate calaſtico, locis diutius medeberis. Poſt clyſterem uero & calaſticas unctiones conuenit, etiam locis de ſalibus calidis adhibere ſaccellum, & carbones proxime calentes, & lectum ex ſtramine calido procurabis. Cerotoria, uel acopa ex oleo cyprino, his frequenter adhibenda ſunt. Adeps leoninus galbano commixtus, par beneficium præſtat. Interea etiam dabis potiones huiuſmodi, caſtorei puluerem cum mellicrato. Ali-

to. Aliquoties similiter quippiam piperis intermiscebis. Dabis sylphium cum pipere, & mellicrato. Similiter etiam diureticas potiones, & somniferas dabis, procura etiam aquarum naturalium beneficia calidarum, quæ post declinationes ægritudinis multum eorum naturæ conueniunt.

De Eodem. Cap. II.

Spasmus est tensio, atq; contractio partium corporis, cum ualde acuta instrictiõe, atq; dolore. Tetanus est à ceruice recta tensio. Emprosthotonus est inflectio ceruicis in pronum. Opisthotonus est huic contraria, id est, retro ceruicis retractio. Spasmi habent hæc signa: Vix æger ceruicem rectam mouet. Frequenter oscitat, & maxime loqui uolentibus, ceruicis nerui dolẽt. Ceruice recta patiuntur non modicam extensionem, atq; duritiam. Nam cum aliqua difficultate transglutiunt, et si os aperuerint, plus dolent. Aliquoties aurium impeditur auditus, & non bene loquuntur, & si spuũt, dolor accidit. Plantæ quoq; dolorẽ repentinum patiuntur. At ubi impetus fuerit, tunc uenæ, & nerui plus dolẽt, & ceruicis musculi, facies quoq; eorũ rubore perfunditur, pigre os aperiunt, dẽtes dimittunt, sudãt multũ,

summæ manus, & plantæ illis frigescunt, pulsus tenuis reductus, sequũtur constrictiones mẽbranorum, humor illis per nares concisus fertur, non possunt aliquid transglutire integrum. Quosdam eorum alienatio sequitur, & uelocem dant spiritum. Item tetanicis in rectum ceruix extenditur, neq; flecti potest. Opisthotonici autẽ sunt qui retrorsum cõtrahuntur cum magno dolore dorsi, atq; clunium, in cruribus tensionẽ patiuntur. Nam usq; quaq; extendere non possunt. Digitos autẽ in pugno conducunt, nam multũ deterius se habent, quã tetanici, & multum deterius duobus habent se, si ex uulneribus localibus paßi sunt opisthotoniam. Emprosthotonia est (ut diximus) inclinatio ceruicis in pronũ, ut mentum pectori iungatur. Alijs quoq; tenduntur præcordia, aßidue meiunt, limpida est eis urina, digitos flectere non possunt. Adducuntur aliquando ad periculum, aliquando liberãtur. Si in uulnere fuerit spasmus, difficile soluitur duritia, quæ nata fuerit spinæ, si sine uulnere, facile soluitur, cũ febris eos ammouerit. Hippocrates enim dicit, quoniam si spasmo febris superuenerit, signum est salutis. Quod si spasmus febri superuenerit, periculi signum est.

Cura.

Qualiter hæ causæ omnes curantur, alio loco mõstrauimus

strauimus. Strictiua est paßio ex loco qui patitur, sicut diximus, primo omnia lenia sunt adhibenda. Triduo si possunt à cibo abstineant. Fomentũ oleo calido lanis intinctis apponimus locis dolentibus. Sequenti die cataplasma adhibebis, quod calorẽ excitet, aut uaporationes, id est, plagellam lineam, aut saccellos ex farina, aut furfure, aut sale, ut summæ manus, aut plãtæ sudent. Venam laxamus ante diatritum, uulnus & facies fouenda erit ex aqua calida, & clysteria adhibeantur, & scarificationes, deinde cerotaria uel malagma diaquilon, seu acopis pinguioribus, quæ conficiũtur ex medullis, & adipibus, & cæteris decoctionibus in dimißionibus utantur.

De membrorũ termore, Cap. III.

Tremor mẽbrorum, et saltus, et motus, ex spasmi tensione, atq; conductione efficitur. Est enim membrorum et neruorum debilitatio, maxime mouentur, et plus tremiscunt frigore tractati, cum pallore uultus. Aliquoties fit ex uapore sanguinis & intima, et alta uiscerum parte concurrentis. Fit autem ex contractione membrorũ, uel ex tremore neruorum. Aliquoties in una parte, aliquoties in toto corpore hæc paßio fit, ut uideamus illos tremere, quasi à uapore, aut frigore tremant.

Cura

Cura.

Primo stomachum curent, quia ipse compatitur, sicut scriptũ est. Stomachus noster medius neruosus est, dextera, læuaq́; uenæ sunt sanguinis. Curentur aũt secundum uirtutem & ætatem, & temporis qualitatẽ. Si hyems fuerit, potũ accipiãt uinũ uetus calidum, & conditum piperatum bibant. Et si ætas permiserit, & tempus, ante omnia phlebotomentur, & postea uentrem purgent ex elleboro. Nam si senibus hoc uenerit, difficile curantur. Ex frigore, uel humore phlegmatico si euenerit tremor, paragorizando curabis. Si autem sine manifesta occasione tremor fuerit ortus. phlebotomum adhibebis, & maxime hieram dabis, & ante leoninum, atq; anacardum. Quam plurime tremorem patientibus expedit fricatio, unctio & exercitatio uaria, & aquarum calidarum usus naturalium, uel marinarũ. Si autem permanserit causa, & tremor, & mediæ ætatis sit, cum elleboro purgabis.

De phthiriasi, Cap. IIII.

PHthiriasis est pediculorum quantitas, aliquãdo in capillis, aliquãdo in toto corpore mergentium, nunc solitæ quantitatis, nunc insolitæ: Nascuntur duriores, & mordaces, uel latiores. Hos græci agrios uocauerunt. Fit per coruptelam, & proterua in digestione, & plenitudine. Sũt quibusdã

in consue-

in consuetudine, aliquando in ægritudine plurimi nascuntur, et fortes, et exinde sentiuntur aliquibus cum prurigine corporis, uel capitis. Vigilias patiuntur, & fastidium, & macri fiunt, & anxiantur.

Cura.

Adhibenda sunt omnia, sicut elephantiosis. Primũ psilotrum faciant, aut rasuram capillorũ, in aqua marina lauẽt, & fricentur corpore ex sulphure uiuo, & nitro, & oleo simul mixtis, ut ad mellis spißitudinẽ ueniãt, et corpus ũgatur staphisagria trita cũ sale et oleo. Qđ si cum nimio pruritu fuerit, sulphuris uiui drach. 10. staphisagriæ drach. 2. salis drach. 10. nitri drach. 5. cũ aceto, & oleo tere, ut pingue sit, & in balneo diu fricentur, et caput lauẽt ex abrotono, & papauere in aqua decoctis, & dropacce utantur ad solem propter humorem. Quod Recip. æris usti, misei aßi, pumicis aßi, piperis, staphisagriæ, nitri, sulphuris uiui, libani, bituminis ana. drach. 2. picis, resine, ceræ ana. drach. 5. conficitur sic: Cera, resina, & pix, lento igne soluantur, & liquefactis puluis terendorum admisceatur, & sic hoc totum corpus ad solem ungatur, & bene fricetur. Item sulphur, nitrum, staphisagria, piper, ex æquo tere, cum aceto, & melle mixto, & in balneo totum corpus perungatur.

De ele-

De elephantia, Cap. V.

ELephantiosos apprehendimus ex maculis, quæ in initio impetigini similes nascuntur, & flauæ, & sine pruritu, atq; sine ulla curatione adhibita sponte transeunt, & rursus nascuntur & eminentes perseuerant. Et hinc extensæ atq; solidæ efficiuntur, & nigræ, quibus uulneratæ partes putrescunt, attestante uocis asperitate, tußicula & uentris solutione. Vnde elephantia dicta est ab elephante. Sicut enim ille maior est omnibus animalibus, ita hæc passio maior est omnibus paßionibus, & malignior. In initio nascuntur nigræ maculæ in facie, rotūdæ, aut rubeæ, sine pruritu, ut diximus. Cutis illis ingrossatur, & quasi spurcitiæ exurgunt nigræ. Est quando in ipsa commotione obducuntur eis cilia & palpebræ. Nares illis clauduntur, ut odorem non sentiant, et sanguinem emingunt, oculi rubescunt. Vox illis fit rauca, & aspera: Aliquoties ex uentositate acumina manuū, uel pedum, id est, ungulæ cadunt. Aurium, narium, & labiorum partes marcescunt, uel putrescunt, & uiscera extenduntur, & suffocantur, & si non adiuti fuerint, pereunt. Fit autem hæc maligna paßio ex melancholico humore, & ex inde pascitur, uel exacerbatur. Initiante paßione facies eorum fit rubea, et aspera, aliquoties

quoties liuida, aut melancholica, et sic tubera ipsa eri guntur ciliorum grauedine, atq; tumore quodam ap= prehenduntur, et asperitate, uel solutione totius cor= poris cum sanguinea facie, quando hæc habuerint, leo ninam uocamus.

Cura.

In initio huius causæ si apparuerint suprascripta si= gna, phlebotomari oportet, et p clysterẽ, & catharti cũ purgari, & per uomitum, & supra extensionem fa ciei chimolea est utendũ, & libano cũ aceto trito faciẽ perungimus ad mansionem. Et omnem superficiẽ mi= robolano cum oxyrhodino, & myrtino, masthice, & thure mixto similiter ungimus, & stipterea, & ammo niaco, & alijs quæ constringunt, & desiccant ad iu= torijs. His adhibenda sunt terra rubea uasaria, hoc est, ex figuli argilla, cum aceto consperſa perungi debet in sole, ut desiccari poßint. Fricatione & lauatione, uti eos oportet in mari, aut in aqua salsa. Qd' si aqua dulcis, fuerit, nõ eos desiccat. Nitrũ, et bitumen stipte= rea, et sulphur ex æquo tere ad mellis spißitudinẽ et in de faciẽ perungãt, et obseruẽt oculos ne irruant in eos ipsa medicamina. Sanguine mustelæ illiniant se, & cedria. Totum uentrem oportet ex suprascripta con= fectione liniri, & de ista confectione accipiant secun dum

dum uires: quæ Recipe. colocynthidæ, pulpæ drachmas. 3. nardi indici drachmas. 10. thymi drach. 2. epithymi, salis āmoniaci ana drach. 2. myrrhæ drac 1. Hæc omnia tere, & in puluerem redige, & cum aqua cœlesti propinabis. Obseruēt se à salsamentis, à leguminibus, & ab omni carne maiori, maxime bubulina, et ab omni cacochimo, id est, malorū humorū cibo. Olera autem accipiant apium, portulacas, cum aceto, & pane. Pisces aspratiles, et meratas potiones. Vomitus ante omnia ex raphano prouocandus est post cœnam. Purgentur ex elleboro, & antid. diacidnes accipiant, & medicamen quod fit ex uipera recenti, in cibo dabis, hoc modo confectum. Viperæ caput & cauda, quatuor digitorū mensura incidātur, & mediū exenteretur, deforis excorietur, & diligenter lauetur, & asperso sale, suprafundatur ex aceto, & sic in aqua dulci cum anetho, et porro, et sale, et modico oleo coquatur, sicut moris est anguillarum, et eis dandum erit si in initio causæ fuerit, si accipiant, & in perpetuum curantur. Quibus autem hæc paßio inueterauerit, uulnerātur & deponuntur tubera eorum, et putrescunt, & ut extenuentur, fœnugræci farina, & lythargirio, aut cerusa, aut chimolea trita cum aqua, & modico rosaceo oleo perungenda sunt loca tuberosa Cauterizamus ante omnia uulnera eorum maligna, & hoc

& hoc puluere utimur, qui fit calcitheo asso, et chimolea assa, & simila triticea, ex æquo omnibus tusis, & cribratis, utendũ erit in labijs, in ore, naribus, uel ubicunq; tubera fuerint, & antheræ puluere cum melle mixto utendum est, & perungenda sunt loca conuenientibus medicaminibus. Adhibẽda sunt adiutoria, quæ in Dinamidijs scripsimus. Ante omnia per singulos annos euacuentur sanguine, & uentris solutione ante accessionis tẽpus, id est, uerno tẽpore, & autumno, ut non ipse humor cor penetret, & occidat.

Cura.

Dabis etiam theriacam diacidnes ex uiperis factam, quã etiam resolues ex oleo cedrino, & perunges loca quæ patiuntur. Hæ & harum similes causæ abundant maxime in Aegypto & Alexandria, ex aëris uitio, et ciborum præsumptione, quia materiam, & lentem continuam, et salsamenta multa, & cochleas, & carnes asininas edant, & alia talia quæ crassum, & melancholicũ humorem nutriant, uel gignãt. Inueniuntur etiam hæ causæ tales in Germania, & Cappadocia, & Mysia, sed rariores longe, & leuiores ad curandum. Apud Scythas autem difficillime inueniuntur, propter lactis copiositatem, quam bibunt, & aëris temperiem.

S De turpe=

De Turpedine, Cap. VI.

Turpedo est, quam multi pustulam dicunt, alij morbillum, alij lepras, & alij paßionem tantum infra corpus. In pelle fit extrinsecus, sed & papulæ plus albæ sunt quam caro naturalis, & asperæ ueluti minutæ scabies fiunt, & spissæ in toto corpore. Aliquoties paulo maiores, & raræ, & ipsa asperitudo uelut squama. Pruritum patiuntur, unde se scalpendo plus dimittunt, & ex ea dimißione magis pruriunt. Sunt quædam & aliæ similes lepræ, sed quia istæ purificationes faciunt, lepra non facit, nam cum purificauerit se lepra, cicatrix eius in pelle semper apparet. Inter quas uero scabies si fuerit, una nata maior cæteris, & nigra, aut duæ, uel tres, aut amplius, qui patiuntur, pro certo moriuntur. Quarum species tres sunt, uel quatuor. Prima est quæ dicitur stora. Secunda quæ dicitur pustula. Tertia morbillum, quæ ueterana nominatur. Et quarta quam lenticulam uocant. Hæc enim nigra est, quā qui habet, nullatenus euadere potest. Fiunt autem omnes istæ ex phlegmate maxime salso in omni ætate, & quolibet tempore. Aliquoties sine febre, aliquoties cum febre, & cum quadam craßitudine gutturis intrinsecus, & nauseant.

Cura

Cura.

Curari autē oportet eos per uomitum, & per catharticum, nim umq; phlegma deponant, & quotidie theriacam bibant, & deforis unctiones quas ad lepram descripsimus, adhibeantur. Hanc ægritudinem *multi turpitudinem uocant, eo quod in facie turpitudinem demonstrat.*

De Hydrophona, Cap. VII.

HYdrophonicorum causas aliquibus ex morsu canis rabiosi, aliquibus ex serpentiū uenire asseuerant. Veteres autē dixerunt ex aëris infusione fieri sine ullo morsu, ut ueluti spuma ex aëre proijciatur, siue in terrā, siue in lapidē, siue in aquam. Et si homo, uel aliud animal illic transierit, dementia statim repletur, aut in rabiem uertitur. Igitur cum initia huius manifesta fuerint paßionis, emergit primo quædam irrationabilis animi desperatio repētina, & frequens iracundia. Item pigrescunt ad omnia, insomnietates, uel certe somnos terribiles patiuntur, his & grauedo stomachi cum corruptela ciborum emergit, aërem serenum ueluti pluuiosum perhorrescunt, uitare etiam bibēdi consuetudinē tentant. Vt uero hos paßio plena possederit, quantum desiderium aquæ potationis accesserit, tantus timor in accipiendo generatur.

Cura.

Ad hoc phlebotomo prius occurrendũ est. Si nulla prohibuerint præiudicia, ubi febrium timor defuerit, cæterum post tertiũ diem detractio sanguinis nõ negatur: Item dabo gentianæ radicis puluerẽ in mellicrato coclear I. dabo theriacam, & coagulum leporis dabo tritum cum mellicrato similiter: Dabo etiam carnis catulorum coagulum. Dabo quoq; cancrorum fluuialium cõbustorum puluerẽ. Vulnera autẽ eorum à plena sanitate (ut possumus) differamus, admouendo medicamenta, quæ debent humectari, & sordida eadem uulnera faciant permanere. Pectus eorum, et stomachicis calasticis cataplasmatibus seminum adiuuabo. Iuuabo etiam cerotorio ex aloë, & mastiche, & oleo nardino tẽperato. Caput eorum oleo anethino, uel camomillino tepido infundo. Vnctionibus frequentibus, & clysteribus releuandi erunt. Stomacho uentosas frequenter impono, & unguentis, & sansuci herba, uel absinthio confectis, præcordia confricabo. Cogo interea, & suadeo per interualla ad balnea ire debere, & solo fomento calido eos posse iuuari asseuero. Procurabo etiam cibos, cum saporiferis speciebus. Si in tempore non deerit, sagapinum, aut lasar admisce.

De eodem

De Eodem. Cap. VIII.

HYdrophonicorum est periculosa paßio. Dicitur autẽ hydrophona ab aquæ metu. Nam hydor græce, aqua dicitur. Phonos metus dicitur. Fit ex ferarum morsibus, uel canis rabidi, uel ex eius spuma in aqua proiecta, si exinde quodlibet animal biberit, statim nanq; demens efficitur, aut in rabiẽ cõuertitur. Et qui biberint uenenum, similia signa ostendunt. Illorum autẽ quos canis rabidus momordit, post morsum quibusdam tardius, post unum annum, quibusdã uelocius intra dies 15. aut 40. aut post tertium mensem contingit. Qui autem hæc patiuntur, desiderium habent cum metu bibendi irrationabili, & in eis est timor, quasi qui à cane mordentur. Subinde turbãtur, & insomnietates, & uigilias patiuntur. Accepto cibo sentiunt grauedinẽ in stomacho mẽbrorum tensione, cum tremore oscitantes aßidue, uox illis inraucatur, frequenter reddunt anhelitum, aër uero uelut uiridis eis apparet, plus solito bibũt, uehemens illis desiderium bibendi, os aperiunt, linguam foris laxant, labia spumant, deficit totum corpus, & caput inferius deponunt, quando ambulant, per tempus attenuantur corpore. Qui autem à cane rabido morsi non fuerint, nec cibum, nec potum desiderant. Nam qui à cane rabido fuerint morsi solum, dentium mor-

ſus uulnera oſtendunt. Hi laborant ſine aliqua cõturbatione, & ſæpius ſpumas agunt. Nam ſine aliquo morſu canino timorẽ aquæ ſolum patiũtur, nec cibũ, nec potum deſiderant. Quicquid in potu acceperint, uel ſorbile, timent, ſubglutiunt fortius, & uentoſitatẽ in ſtomacho habent, iacere non poſſunt. Aliquoties clamant, ſtrident, & rugiunt. Aliquibus & ſudor fit cum tremore, in acceßione oculi eminent, cum deambulare cœperint, cadunt, & malfiunt cum immutatione ſenſus. Si cum tremore totius corporis fiunt, moriuntur. Fit pulſus modicus, articuli omnes infrigidantur, ſtercora reddunt, nihil eſt illis, niſi alienatio mentis, & ſi non adiuti fuerint, pereunt.

Cura.

Curari debent ſic: Potum & cibum quem acceperint, non uideant. Quicquid oculi potus uident, nimium pauent. Quod ſi uires uel ætas permiſerint, & febres non fuerint, phlebotomentur in diatrio. Aliquãdo alijs adiutorijs medicaminũ curentur, & ad ipſum morſum cauterium ponatur in initio. Et potum dato gentianæ ſuccum, aut pulueris eius coclear I. aut coagulum leporis, uel catulorum cum mellicrato, aut oleum, aut cancros fluuiales aſſos cum calida tritos, aut theriacæ antidotum. Et morſum ipſum multo tempore ex ceroti medicaminibus curato. Venter eis moueatur.

neatur. Thoracem & stomachum ex lini semine, & hordei farina, & ex mulsa cocta cataplasmatis. Caput infundimus cum oleo ubi coctum erit castoreum & uomitum prouocabis post comestionē, ex raphano, & clystere prouocentur, & in stomacho cufas imponito. Et loca contracta ex fœnugræci elixatura fouenda sunt, & ungenda loca ex acopis, et cerotarijs, & unguentis de sansuco, castorio, absinthio confectis 40. diebus, accipiant potum ex calda lasar. Item si uires permiserint potum dare iubemus cucumeris agrestis, radices ex calda, aut castoreum, et oxymel, & absinthium in aqua coctum, ut uomitum prouocent. Cibos accipiant digestibiles, leues, & adiutorio hynnitico, id est, somnifero nares ungito, et frontem. Post dimißionem, id est, post 40. dies uino, & balneo utantur. Quod si per negligentiam non curati fuerint, in paßione epilepticorum, uel dæmoniacorum moriuntur, sicut antiqui scripserunt.

De Catalepsia, Cap. IX.

Catalepticum apprehendimus ex febre, atque uocis amißione, cum mentit tarda intelligētia, pulsu magno, atq; uehementi, oculis patentibus, atq;

immotis palpebris, uisu obtuso, in augmento febriũt. In statu autem uel in declinatione motus aliquis efficitur oculorum. Nam cum his manus ante oculos suspensas transferimus, easdem obtutus sequitur, aut digitorum obtrectatione pauitantes palpebræ cõtendunt. Si autem clamati fuerint, audiunt, & non respõdent. Ex oculorum respectione, atq; conuersione audisse noscuntur, & lachrymantur, ut ab aliquorum ciborum gustu commoti ingemiscunt rubore perfusi, declinantibus febribus calido sudore laxantur, frequenter anhelant fœtidum. Et neq; amarum, neq; dulce sentiunt, & si pedes eorum scalpantur, non sentiunt; & rubor in facie fit. In acceßione aliquibus sudor multus calidus sequitur. In dimißione febre carent. Et iterum acceßio fit eis maligna. Est autem in hac paßione feruor multus in superficie, & uelox anhelitus, & obturbationes oculorũ discurrunt, & pustulas habent circa thoracem, & in facie pustulas tuberosas, & rotundas, uel albas. Infrigidantur, inalbescunt, & semper stuporem patiuntur. Contra lethargici oculos claudunt, & odorem, uel saporẽ sentiunt. Catalepticis autem oculi aperiuntur, & odorẽ, uel saporem nõ sentiunt. Hæc paßio ex stomacho fit, aliquoties in ipso stomacho tumor inuenitur. Ideo omnes curationes adhibendæ sunt stomacho, quia stomachus

machus obtumescit, uel subglutiunt, fouere stomachū debent, uel oxymelle, uel epithemate, uel omni adiutorio stomachi.

De Cacexia, Cap. X.

Cacexia multis nominibus uocatur, id est, syntexis, marasmon, uel atrophia. Cacexiam apprehendimus ex uiridi, atq; ex pallido, uel plumbeo colore corporis, atq; cessante nutrimento, quam græci atrophiam uocant, attestante uirium debilitate, & pigritia ægrotantis, cum inflatione corporis, & uētris fluore, pulsu crebro, ac paruo, urina uiridi, & febricula spissa, cum cōstrictione, ex quibus synteticum apprehendimus, ex nimia macie atq; corporis diminutione pulsu debili, paruo, oculorum concauitate, & tumore præcordiorum, cum splenis, & iecoris tensione, fastidio cibi attestāte, aut uehementi appetitiōe. Dehinc corruptiones uesicæ sentiuntur, cum inualidæ digestionis officio, cum febricula, & uentris ordo turbatur, ut nec post multos dies squibalas paucas atq; duras reddant. Aliquoties uno die forsitan soluti sunt. Quomodo discernis phthisicum à syntetico? Ex proprijs signis. Nam phthisicum tußicula cum uarijs sputaminibus consequitur. Synteticus tußit, nō etiam uaria sputaminia reddit. Ex quibus apprhēdimus eum qui ad marasmō demergitur:

Ab atrophia? Ex oculis cauis, humectis, cũ pituitis pinguibus, quos græci lippos uocant, pulsu paruo, crebro, cum feruore inflatiuo, magis articulorum, et corpore rubro, tenui temporũ attestante concauitate, et aliquando linguæ asperitate, cum fastidio cibi: hi cacectici dicũtur. Hæc in latino mala habitudo dicitur, quæ per multã infirmitatẽ fit, uel ex appetendo nimium frigidam, unde extenditur corpus, aut infrigidatur, aut calefit, & debilitantur ex solutione antiqua, & ex corruptela nimia, sicut in paßionibus ex splene, & hepate, aut ex hemorrhoidis, aut ex sanguinis uomitu frequenti, aut ex dysentericis, uel ciliacis, uel ex multo sanguine effuso consumuntur celerius. Contingit celerius senioribus, ut uix inde euadant. Infantibus autem sæpißime cõtingit, si non adiuti fuerint, secundum unam quanq; causam in peius exacerbantur, ideo exercitari debẽt corpore, deambulatiõe, aut uectatione. Fit plerunq; in corpore graciliorũ uirorũ, siue mulierũ. Sequitur autẽ pallor totius corporis, cũ labore quodam, & concauitate uultus. Apparet autem tumor crurium, & tumor significatur in ambabus coxis, stare in una parte non possunt. Aliquoties plus comedunt, & bene digerunt, & tabido sunt corpore. Quod si uenter eis soluitur, cum anhelitu & pulsu magno, cum horripilatione difficili, cum laßi-

cum laßitudine celerius tabescunt, quia sanguine desic cantur, periculum eis offertur, & marcidi pereunt.

Cura.

Cura eorum ita est adhibenda, ut primum cognoscamus, unda facta sit causa, ne uiscera tumeant, aut inflentur, aut dura sint, aut sclirosin habeant, id est, nimiam duritiam, ut saxum, ut appareat quod iungat splenem & hepar. Ideoq; pro omnibus his causis paratior esse debes, ut pro loci qualitate succurras, & omnes duritiæ hepatis, aut splenis soluātur, & quæ sunt soluta constringantur, & quæ à dolore tenentur mitigentur, calidis laborantia refrigerentur. Quæ frigida sunt, calefiant, quæ sicca sunt, humectentur, uel humecta desiccentur, & omnia quæ in singulis ægritudinibus docuimus adhibeantur. Quod si plus cibum acceperint & corpus tabuerit, & non plus comedant. Si uero minus comederint, ad cibos prouocentur, ita aut corruptelam non faciant, omniaq; moderate fiant: Somnus cum mensura, & labores similiter uigiliæ, ne graui somno in lecto cubent, & fomētum eis adhibeatur, & aër lucidus. Quod si uires permiserint, & febres non fuerint, balneis utantur. Et ungantur in balneo ex oleo dulci, cum nitro aut

cum sale

cum sale corpus fricare debes secundum uirtutem, & non diu fricentur, ne angustias patiantur, sed leniter manu ducta fricentur, & in calida diu foueantur, à recente abstineant. Secundum tempus cibum accipiant digestibilem, panem ex alica, & oua ante prandium, & unctio adhibenda est, & exercitatio totius corporis, & laborent mediocriter. Ociosi non permaneant. Aliquoties ad hydropem perueniunt per uetustatem cacexiæ. Ideoq; hydropicorum cura adhibenda est.

De hydropisi, Cap. XI.

Hydropici & catectici simili sub diligentia uisitantur, quia uno prope, et simili processu fiunt, æquali sub indignatione tumescũt, sed nimijs & continuis quassationibus exercitiorum forsitan curabuntur. Hos frequenter & febres pertinaces comitantur, quarum oportuna tempora obseruantes, eis non adiutoria inferre conuenit. Febribus itaq; sub hac obseruatione desinentibus, exercitijs ex paruo crescentibus imminendum est: Subinde fricatione, lanis quam maxime, & cæteris uaporationibus sudorem prouocantibus, sub quibus omnibus tumentibus locis nitrum, aut gallam tritam aspergis. Post exercitium & labores continuos oxymel dabis, et raphanos ibidem infusos. Quibus acceptis, ex more uomere cõ

pellendi

pellendi sunt. Lauacris tunc uti conuenit marinis, quibus ueluti laborantia membra foueantur. Interea omnia acrimonia, et salsos cibos conuenit accipere. Caules quoque elixos cũ salibus parcioribus, & potus quam maxime continentiæ studeant. Sitis etenim si animositus sustentetur, grande remedium est. Vinum licet per interualla, austerum tantum, & diureticum dandum est. Si uero multus humor, & putrefactus eorum carnibus aggregatus uentrem satis impleuerit, membris cæteris quidem imminutis, saccellos ex tostis salibus, milioque similiter sub umbilico locis admoue. Arena calida in littore hæc loca tangere maxime interdum est beneficium. Aliqui etiam syntetici tritico adiuti sunt; tunc interea aceto scyllitico uti conuenit. Nam & catharticum frequenter dedi, & siccis fricationibus imminui. Posui emplastra reuocatoria, amictica, maxime infantibus competẽtia adhibenda sunt, cataplasmata desiccatiua ex flore mali granati, & cæteris stipticis cũ lenticulæ pollinibus ex passo, & aceto temperatis.

Cura.

Aliqui uero scarificauerũt suras eorũ de superioribus humorẽ deriuari cupientes, & sub umbilico paracentosin frequentius adhibuerunt, per quam conuenit paulatim per interualla deducere humores, ne subitanea effusio secundum Hippocratem continuo periculum faciat

lum faciat. Sane palæstra sæpius profuit quibus etiam compendiosius aliquod designabo emplastrum, quod et spleneticis, sæpe profuit, id est, fœnugræci pulueris unc. 4. hordei pulueris, unc. 3. stercoris columbini. unc. 4. seminis myrtæ unc. 4. galbani unc. 4. resinæ lib. 1. ceræ unc. 9. aloës, unc. 7. aceti, & olei quod sufficiat. Cõficitur sic: Galbanũ simul cũ aceto tãdiu terãtur donec ad spißitudinem ueniant, et sic puluis supradictorum admisceatur. Dehinc cera in oleo soluta superaddatur, ut emplastrum temperetur. Item aliud. Ficuũ pinguium tũsarũ lib. 1. nitri drach. 4. absynthij drach. 3. hyssopum, cerotum admiscebis, ut emplasturm temperes, et uteris. Stercoris bouis puluerem, hordei pollinem mixta cum oxymelle cocta cataplasmabis. Similiter et de caprarum fimo puluerem frequenter adhibui, & unguenta sunt utilia hæc tumentibus partibus sub sole adhibita: bimolea cum aceto trita, & bouis stercus cũ nitro, oleo sicyonio, commixta, copia uini, et potiones accipere satis iuuat, id est, sambuci radicis succus cum oxymelle continuo datus purgando profuit competenter. Euphorbij granum in uino datum, & cum pane corpora hydropicorum aliquoties purgauit. Aliud magnum adiutorium. Stercoris columbini unc. 1. pigani unc. 2. in oxymelle similiter datum.

De eodem

De eodem, Cap. XII.

HYdrops est extensio uentris ultra modum naturalem ex aquoso, atq; corrupto humore effecta. Est autem dicta ab humore profuso. Græci enim hydor aquam uocant. Species hydropicorum duæ sunt. Leucophlegmantia, & hyposarca. Leucophlegmantia est totius corporis inflatio, atq; impressis digitis tumor recedens, qui ab albo tumore nomen accepit, quia humor aquosus omnimodo dissoluitur, abundans, & discurrens per omnes carnes corporis, simili infusioni spongiarum cum feruore, & fit per totum corpus tumor. Primum in locum uentris se infundit, & per multum temporis tumescit, & imposito digito statim tumor mergitur, & eleuatio paulatim surgit in superficie. Hyposarca est carnium solutio, cũ mali odoris respiratione, quæ ideo sic nominatur, et quia sub carne ipse humor se diffundit, & carnes soluat per uentris solutionem. Signa eorum hæc sunt: Tumor in faciei concauitate, & tumor lumborum, iliorum, et præcordiorum est cum lasitudine, & fastidio, & anhelitu, & tussi. Item diuidimus hydropicos in alias partes duas, quarum una dicitur Ascites, alia Tympanites: ascitẽ uero sequitur humor in uẽtre solo et ꝑclusio, quam græci, hydrasmõ uocãt, cũ sonitu, et pigra grauatione, et si palma pulsatur, sicut semiplenus sonũ reddit

unde nomē accepit, quia aschym græci utrē dicunt. Aliquoties fœmora, suræ, pedes, intumescunt, & uetrum subinflatur, & torquetur, et supernæ partes corporis tabescunt, id est, thorax, brachia, ceruix, & omnis uultus. Sequitur eos anhelitus fastidiū, pallor, difficilis corporis motus. Sitiunt incessanter, & quāto magis bibunt, tanto plus sitiunt, & per urinam digerūt. Tympanites hæc signa habent. Tumescūt similiter, uēter plenus extenditur, & procluditur cum aliquo sonitu, ut si percußi fuerint palma, sonitum ut tympanū reddunt. A cuius sonitu & tensione nomen acceperūt, quando uentositate corpus eorum, uel uiscera tenduntur, & tumorem in epigastryzō non habent, sicut ascites. Nam attenuantur cum fastidio, & anhelitu, et nō ualde sitiunt, cū sudore paruo & pallore. Amplius hydropisis est solutio carnium ex infusione humoris in toto corpore, aut in peritoneo mēbrano, qd' uēter cooperit & intestina, cuius leucophlegmātia, & hyposarca species sunt. Si cum febre exagitantur, & tußi, periclitantur, mortem eis inferunt, quia corpus consummunt. Ascites, & tympanites per multum tempus corpore exiccantur, & sic pereunt. Malignior enim hydrops est omnibus tympanitis. Secunda hyposarca, tertia ascides, quarta leucophlegmātia, sed non maligna. Nascuntur autē omnes ex longa infirmitate, & cacexia, & aßidua

& aßidua purgatione, et per extensionem præcordiorum per multa tempora, & ex hepate, & ex splene dolentibus, uel tumentibus, & ex podagricis doloribus, & ex febri longa periotica, id est, quotidiana, tertiana, quartana, in ipsis acceßionibus aquas multas bibentes, uel salsa comedentes maligni fiunt, & multum uinum potando. Mulieribus autem ex matrice fiunt, & ex dysenteria longa, & ex hemorrhoidarum fluxu.

Cura

Quoniam periculosa est hæc paßio apud omnes, ideo succurrẽdum erit, ut poßit ualetudo excludi uel medicaminũ operatione, uel medici sollicitudine necessaria. Ante omnia uero constanter exercitari debent. Hydropici uero qui sine febribus, & sine solutione uentris sunt, & bene cibantur, & marcidi non sunt, ipsi possunt ad sanitatem uenire. Illis uero quos febris exagitauerit, prouidendum est tempus, ut in dimißione febrium cibentur, & adiutoria adhibeantur. Qui autem sine febribus sunt, eis fricationes adhibendæ sunt, & exercitationes, & siccis balneis utantur, aspergentes per omne corpus, quam maxime per uentrem, aut ubi tumor fuerit, nitrum tritum, aut sal cum exercitatione corporis. Maxime æstate post fricationem in sole diustent, & in aqua marina la-

uentur,& de arena maris cooperiantur,& ibi iaceant diutius & acrimonia comedant,& salsamēta,& post uinum accipiant austerum,uel nigrum mediocriter. Magis post hæc parum bibāt,& in dimißione radices comedant multas, & sub umbilico ubi tensura magna est,uaporatione utendum erit saccello ex sale tosto, iuuat si in arenis calidis obruātur in canicularibus diebus,& acetū scylliticū dabis sorbendū et diureticas potiones, & hydrogoga medicamina adhibēda sunt,& malagmata desiccatiua,id est,diaspermaton,aut diasinicon,aut diamellilotum, et horum similia,& cataplasma ex caricis,ex granatæ corijs,et lenticulæ farina,et similibus. Quod si adhuc inter initia hydropicorum hepar,uel splen intumuerit,in hepate epithema dialoé imponendum est,& super splenem adiutoria quæ in ea paßione scripsimus adhibeātur. Aliquibus faciendæ sunt rectæ incisiones,id est,scarificationes super pedes, & paracētesin in nouißimo adiutorio hydropicorum utātur,sub umbilico pūgentes,& non multum euacuātes,sed catamodicum per dies plurimos,ut per multos dies curentur,& fricentur,& exercitētur,& accipiant adiutoria quæ sitim faciant,& cibos desiccatiuos,& super uiscera dolentia,uel extensa infusiones adhibendæ sunt, & cataplasmata,& cucurbitarū raptus,& sanguisugæ apponantur

ponantur hydropicorum. Item cataplasmate ex hordei farina, & orobi, & cymino, sale, absinthij flore, omnibus tusis in oxymelle utantur. Item absinthium uiride tritum cum caricis, cymino, sale, & melle quod sufficit, inductum panno uentri apponitur, quod epithema maxime tympanitæ adhibendum est. Potum accipiat cyclaminis succũ. Epithema egysus copras, id est, caprarum fimus, si sine febre sunt est spes curãdi, & unguento utantur ex nitro, aut sale, et lauri baccis cum oleo ueteri, & modica cera. Quod si cum febre & solutione uentris fuerint, diureticas potiones accipiant, quæ stomachum non lædant, id est, apij semen, et radices eius, glauci semen, adianthum, petroselinum, caßiam cynnamomum, fu, meu, nardostachium, iringium, tribuli radices, cucumeris semen, coria granatæ, ebuli summitates, omnia in aqua dulci decoques, et exinde secundum uires potentur. Quod si ætas parua fuerit, diuretica parua, et simplicia accipiant, id est, apij, et sparagi radicis decoctionem, cucumeris semen similiter cocta in aqua potent. Quod si sine febre, & solutione uentris fuerit hydragoga adhibẽda erunt, id est, tythimali turiones cũ semine suo. Struci polipodij radices in aqua simul dulci coques ad tertiam, quam colaturã dabis secundum uires bis, uel ter. Quod si plus eos soluerit, semel tantum accipiat.

Si uero ſtomachus doluerit, uel aliquãtulum ſanguinis expuerit, à ſolutione uentris, id eſt, hydrogoga abſtinendum eſt & diuretica adhibenda ſunt, uel alia talia. Cibos accipiant leues & digeſtibiles, qui ſtomachum non lædant. Maxime aſcitis hydropicis paracenteſis adhibenda eſt in modum chirurgiæ, ut patiens ſedeat rectus & extenſus, preſſus, conſtrictus à multis, ut ſe non moueat cubitis poſitis contra latera ut recta inciſio fiat, & phlebotomo punctura ab umbilico inuiſum digitis 4. maxime facienda eſt. Quibus umbilicus tumet, uel dolet, mediocriter eſt pungendum, uel ſimili ſtigmate, ut qui cauteriſmos mulieri faciunt incidentes, uel diuidentes duo foramina matricis & urinæ, & humores eijciant, uel urinas. Inciſura recta facienda eſt, & ſpongia molli orificia inciſuræ claudenda ſunt, & humectentur ex calida tepida, & cooperiant uentrem totum lana, & cum latis faſciolis ligentur per 7. dies, ut humor ipſe deſiccetur, & tumor recedat, & diligentia plagarum adhibenda eſt, ut in omni chirurgia demõſtrauimus. In hypoſarca hydrope, hoc eſt, adhibendum. Aliquoties cutem eorum ſcarificamus, inſanas partes ſuper plantas, & circa inguina, & fœmora recta inciſione, & in hydrope omnes medici uomitum ex radicibus prouocari iuſſerunt, & poſt hoc hiera antidoto

purgen=

purgentur. Cibi autem adhibendi ſunt utiles, panis non azimus, & bene coctus, oua, alica, pultes. Potiones autem quæ ſitim compeſcunt, aquas dulces bibãt, non ſalſas, neq; grauis põderis & apprehẽdi debẽt, quoniam ſitim non ualde commouent: Similiter et de uino fiat, ſicut de aqua diximus. Nec frigidum multũ præſumant, ne repercuſſa uiſcera plus tumeſcant, & poſt cibos ambulent mediocriter, uel poſt cœnam, et ſimplici unctione ungantur. Et cibos uarios, id eſt, piſces aſpratiles, ut ſargos, muliones, turdos, perclas, cubiones, oſtreas, mordicas, locuſtas marinas. Ex uolatilibus, attagenes, anathes, perdices, ficedulas, & omnes uenationes, lepores, capreas, & alia agreſtia omnia, & de oleribus herbarum accipiãt porros, apium, ſparagos, triplices, ſinapi, oliſatrum, omnia in iuſſello cocta, ab omni cibo, & potu dulci abſtinendum eſt. In dimiſſionis tempore accipiant ficus, dactilos, acinos digeſtos, & granatæ modicum propter deſiderium, nec ſolutio uentris irritetur, amygdalas, & piſtacias ad deſiderium comedant. Poſt cœnam modicum deambulent, ungantur, ut celerius ſomnum accipiant. Lauentur in aqua marina, uel ſalinacia, quoniam eos deſiccat, & in balneo aquæ ſalſæ lauentur, & per totum uentrem puluis de nitro cum ſulphure, ut ſudor excitetur, aſpergatur. Nam in calidam non

descendant, sed in siccis lauacris lauentur, et per totũ corpus fimus bubulinus, uel columbinus recens perungatur, ut cum eo diutius sudẽt. Intermissa una hebdomada, iterum adhibeatur, quia utilissimum est adiutoriũ, & non contẽnatur, quia multum est necessarium. Pro testiculorum tumore, uel ueretri, hoc est adhibendum. Vuæ passæ pinguis enucleatæ lib. I. cymini triti drach. 6. Tundis primum uuam cum uino, & sic puluere cymini addito congrue admiscebis, & induces in linteolo condenso, & super testiculos induces. Quod si uulnerati fuerint, cymini puluis adhibendus est, quia desiccat. Adhibenda sunt hydropicis omnia quæ in Dinamidijs scripta sunt.

De Ictericia, Cap. XIII.

Ictericum, quem aliquanti arcuatum uocẽt, id est, morbum regium, uel auriginosum, cognoscimus ex colore totius corporis in fellis qualitate conuerso, & magis in albore oculorũ, et capitis uenæ, quæ sub lingua sunt, nigrescunt. Hi etiã arcuati sunt dicti, à colore arcus cœlestis, qui iris dicitur. Fit etiam ex infusione fellis nigri extensi in toto corpore, cũ colore totius corporis pallido, et sublíuido, quẽ græci melanchrõ dicũt, et albores oculorium similiter, ut croco tingantur, & urinarum color

fellis

fellis nigri redditur, aut rosea. Hoc fit ex plenitudinis infusiõe fellis, aut sanguinis. Maxime apparet urinarum abundantia cum colore sanguineo, aut lactis similis assellatio uentris subalbida, & dura, & fastidium patiuntur, & laßitudinem corporis & totius ipsius pruritũ cum mordicatione, & malfactione. Aliquibus febres sunt, aliquibus extẽsio præcordiorum est, & dolor in hepate cũ duritia. Hi periclitãtur, quãdo eis hepar plus tumescit, aliquanti ex stomacho & splene, & uentre icterici facti sunt. Mulieribus fit ex matrice. Contingit autẽ hæc paßio ex corruptela, & frigore, & uomitu frequẽti, & ex longa infirmitate, & ex discußione sanguinis, & ex multo cibo, & ictẽrici fiunt. Quãdo ægrotãt, aut infrigidãtur, aut desiccãtur, & exinde soluitur fel, & totas partes corporis tingunt, & exinde colorẽ cholericũ icterici faciunt, et urina colorata de proprietate hepatis emanat, & renũ qui adiacent. Sitiũt, siccatur os. Vocatur hæc paßio à græcis artetica petriphilontis, id est, agrestis mustela. Patiẽs deauratos habet oculos, linguã eius uidemus extensam, & colorẽ ut mediũ oui, & totũ corpus aspersum, & fellineũ. Sequitur eos pallor & pigritia ad omne opus, et immobilitas, et siccitas in cutibus cũ nimio pruritu. Sequitur autẽ uenter cũ tortura album egerũt, & urinã multã reddunt cum colore crocineo,

& uigilias patiũtur. Aliquoties in ſomno preſſuram patiuntur, uel phantaſmantur. Aliquoties immutantur in duos colores, id eſt, crocineum uel medium ouorum ex infuſione fellis, & ſubalbidi apparent. Aliquoties in album et nigrum pernicioſum ſubuiridem, & uitreum colorem, ut æris flos, et ſic tabidi moriuntur. Euenit hæc paßio iuuenibus, & creſcentibus ætate, & mulieribus, & infantibus. Seniores raro icterici fiunt, & difficile incidunt in hos humores. Hæc paßio in creticis febribus ſi ante 7. dies euenerit, malũ eſt. Si poſt 7. dies uenerit, bonum eſt. In morbo regio iecur durum malum eſt. Quando hæc paßio inueterauerit cacexiam facit, aut hydropicum, & tali di ſic facti moriuntur.

Cura.

Quando febriunt, & præcordia extẽſa habẽt, & hepar doluerit, phlebotomentur ex ſiniſtro brachio; poſtea ſtomachum curent, et cibos tenues accipiant, id eſt, oua ſorbilia, & his ſimilia. Si uero febres non habuerint, uentrem purgare conuenit ex cathartico calogogo, id eſt, choleram deducente: euphorbij, epithymi, petroſelini, piperis, aloë, diagridij, ex æquo puluere dato unc. 4. ex calida, aut ſecundum uires, qa magnifice ictericos purgat, aut alijs ſimilibus catharticis. Itẽ purgẽtur ex ſcãmonea, aloë, colocynthidæ

thidæ interioribus, cococnidio, epithemo. Quod si uentrem purgare non sustinēt, neq; uires habent, comedant raphani radices tinctas in oxymelle post cibum, & sic uomitum prouocent, & præcordijs adhibendæ sunt infusiones, & cataplasmata admiscentes absinthium, rorē marinum, rutam, nasturtium, cētauream. Hæc omnia urinam mouent & tumorem hepatis, uel splenis compescūt. Vti debent cerotario ex oleo cyprino habente resinam, mellilotum, ireos. Potiones autem dandæ sunt elixatura absinthij pōtici in aqua cocti, aut aristolochiæ, et sulphur uiuum tritum in ouo sorbili ad glutiendum dandum est, et alia quæ ictericis scripta sunt, quæ patrēfamilias non lædant, id est, stomachum. Cibos sorbiles & digestibiles accipiant. Conuenit his & dimifragia. Post dies 7. in balneo ex nitro cum oleo anethino ungantur, et naribus eorū elacterij, aut ciclaminis succus infundēdus est, aut anagallis, aut bletarum succum in balneo naribus infundant, & purgentur ex hiera: tamen in initio ictericorū post 7. dies ante omnia adiutoria phlebotomari iubemus, quia & fel, & sanguinem euacuat. Post 40. diebus transactis phlebotomij ex hiera antid. purgentur. Quod si duritia uel tensura remanserit, epithema diamellilotū, aut diaquilon, & potiones diureticas accipiāt, id est, elixaturā seminis apij,

et raphani radicis succus cum uino potatus, similiter absinthij succus in balneo detur. Item lapatij radices manu plena elixatas in aqua heminis tribus coque ad tertias, & potui dabis cyathos duos ieiunis. Omnes potiones in balneo dabis, quæ sudores, & digestiones prouocant, & infusiones naribus elacterij succo cum lacte mulieris, quæ masculum lactat misto maxime in solio infundendæ sunt naribus, & radices herbæ sauinæ tritas cũ pipere, et ruta ex uino potui data. Itẽ allij, spicæ drach. 8. iuniperi grana 31. & uini lib. 5. bibant, & per triduum singulas potiones, aut aphronitri drach. 1. cum piperis granis 15. ex uino potui dato in balneo.

De Eodem. Cap. XIIII.

Ictericorum paßio fit ex hepatis indignatione frequenter, hæc quidem ex stomachi uitio, plerunq; etiam ex uentris effusiõe cum febribus. Quorum non nulla sunt similia accidentia, sed coloris deformatione solius discriminantur. Si de hepate factus fuerit ictericus phlebotomandus est, et mox omnia adiutoria hepaticorũ sunt adhibenda. Et purgatiõibus cholerũ aßiduis releuãdi sunt, id est, euphorbij, epithymi, aloës, petroselini, piperis, scãmoneæ, ex æquo misto puluere coclear 1. in mellicrato, uel oxy-

uel oxymelle dare debes. Purgat etiam eos ciceris albi decoctio. Vtilius quoq; si cicer ipsum coctū accipiāt, iuuantur & absinthij pontici decoctione similiter. Sic etiam & aphronitrum album in uino solutum accipiant, & sulphur uiuum in ouo datum. Ego frequenter hieram dedi. Sed si forte aliqui dare cathartica prohibuerint, quæ semper his nouimus profuisse, saltē uomitibus releuandi sunt. Sollicitius interea præcordiorum cura agatur fomentis. Et hepar tumens oleo nardino, aut camomellino, aut anethino, & lanis succidis in balneo fomētabis, & cataplasmabis. Interea admiscebis olerum decoctioni absinthium, aut rutam, aut centaureā, aut cardamū, aut cætera quæ hepaticis ordinata sunt. Quibus urinæ prouocandæ sunt, et ut feruorē hepatis poßimus remouere, utor specialiter cyprino cerotario, admiscens terebinthinā, et mellilotū, aut poliarchiō cōficere cōsueui. Cibis nutriēdi sunt ut hepatici & exercitari similiter & fricacione uti debent. Vitio aūt perseuerante coloribus omnibus amicticis, id est, suauibus immineo, præter peregrinationes, et solis calidi beneficia sustinere suadeo, aquis naturalibus uti conueniet. Si autē remotis accidentibus adhuc ille æmulus color permāserit, naribus infundis elacteriū, et bletarū succū utrunque commistum lacte mulieris, aut cyclaminis succum commistum melle,

& iuuan-

& iuuantur. Interea fit utilius, si digestiones in balneo procurentur. Nam illic etiam præcordiorum fomentum continuo profuit his adhibitũ. Et si in cortice colocynthidæ uinum calefactum datum fuerit ieiuno, uel strucij puluis in oxymelle similiter, & incudis puluis in modum unius coclearis cum aqua calida, & lapatij succus in melliccrato, & decoctio radicum fœniculi et cæterorum maxime diureticorum præcipue iuuant. Decolorato enim homini da succi iris illyrice unc. 2. & 1. mellis cocti, & simul mistis per unam noctẽ sub diuo pone, & bibere dabis. Hanc ergo potionem pecu liarius in balneo dare consueueui. Euphorbium, baccas lauri, nitrum, piper ex æquo contusa pro causæ uel uirium qualitate in mellicrato, et cum profuisset in plenam sanitatem imminui.

De colica passione, Cap. XV.

Colica paßio molestißima, & sub tẽpore sollicita, omnibus acutis paßionibus uelocior est. Nam hæc unius diei spacio frequenter experti sumus, ut uitæ terminũ faciat, de subitaneo uomitu, uentris quoq; ex nimia effusione, & innumerabili, sub dolore nimio præcordiorum, uel totius corporis, interiorem omnem substantiam sæpe effudit. Est autem diarriæ simile hoc periculum, sed eo distat, quod diarria sola uentris molestia est & sub longo tra ctu tem-

ctu temporis aliquoties fatigat. Colica ex utrisq; effusionibus sæpe sub angusto tempore pernecat.

Cura.

Ergo cum interiorum præcordia humorum mortẽ minantium prius occupauerit conglobatio, ut & eclipsin, id est, angustiã ex nimietate doloris efficiat, tunc aquam calidam in tempore offerimus, ut per uomitũ eis procuremus indigestionem. Si possumus periculũ remoueamus. Oleo calido omne corpus eorũ infundimus, articulos fasciolis infusis et corpus ex cõstrictiua materia constrigamus neruos omnes & loca cõtrahẽtia lanis infusis in eodẽ oleo calidissimo munimus. Vtimur quoq; cerotario ex oleo nardino, uel cyprino, aut glaucino, aut irino tẽperato. Si uero interceptis uiribus plena fuerit desperatio, odores uel thymiamata, his ꝑpter reparationẽ adhibemus. Cibamus uero cõpetẽtibus cibis, id est, lẽte cũ aceto modico, ouis, apalis, uel fabricijs aphricanis, buccellis mero infusis, ungulis porcorũ, uel iusselis gallinarũ, elixatura strichni, uel semperuiuæ, aut rubi dabis potũ frigidũ, & niuatas.

Cura.

Et dabis columbam matri subductam, his & eodẽ modo perdices conuenit ministrare. Cataplasmata uero omnia diaphoreticorum adhibenda sunt, quæ eis in istis passionibus ordinauimus. Febribus uero inter-

positis

positis consideratis temporibus seruiendum est. Intēsti
us tamen effusioni sollicitudine medicauimus. In qui-
bus etiam sanguinis superueniens effusio uitæ pericu-
lum terminabit.

De eodem, Cap. XVI.

DIscerni potest paßio colica, cū ipse patitur flu
xum, & dissolutionem stomachi his signis,
uomitus fluxum, aut uentris conturbationem
cum quibusdam alijs signis, id est, cum iaciunt se huc
atq; illuc, & fatigationes erunt, & deficiunt, quod fit
per conflatum stomachum humoribus. Item cum sum-
mæ manus atq; plantæ eis contrahuntur, intelligimus
eos in acceßione esse. Cum autem post uomitum lætio-
res aliquantulum fiunt, & releuationē stomachi sen-
tiunt, & neq; morsum patiuntur intestinorum, intel-
ligimus remißionem. Hæc paßio est ualida, & acuta:
& aliquando influxatura simpliciter decurrit. Aliquā
do mistam habent constrictionem, quāquam dolorem
faciat stomachi, atq; uentris, & plantarum contractio
nem, proprie tamen in hac parte stomachi est, quæ la
borat ex aliquo humore, et intestina, et cæteræ partes
consentiunt.

Cura.

Loco refrigerato atq; strato eos collocare debe
mus. In impetu uero aquam tepidam, quam græci ca-
latidon

latidon uocant damus. Vbi cessauerit uomitus, hi peni
tus non moueãtur, quia exagitatum corpus fluxum p=
uocat. Facies eorum, & os ex spongia in aqua calida,
aut frigida foueatur, et manus, et plãtæ erũt fricãdæ. Si
fuerit ligatum corpus uinculis, resoluatur. In pusca fri
gida panem accipiant, & post unam noctem et diem
recentẽ bibant, & naribus odores bonos apponamus,
uelut cardiacis, id est, pulegium, mentam, sisimbrium,
cucumeres, mala citonia, laurum, mala citrina. Fla=
bellentur ex myrta uiridi, & folijs uitis, & folijs cala
mi. Epithemate quoq; stiptico utimur circa pectus. Et
aßidue illud mutamus ne calefaciat, & subinde spon=
giam frigidam apponimus, ut frigus sentiant, & cau=
sam fluxam constringat. Quod si sudor magis surgat,
& dolor est intestinorum, postea ne frigus satis susti
neant, oleo dulci calido leniter stomachum foues Qđ
si febris interest, debẽt una die à cibo, uel potu abstine
re. Si tolerare nõ poterint, leuẽ cibũ uel potũ accipiãt,
ne si plus dederis iterũ stomachus impleatur, et puo=
cent uomitũ. Vbi uel ad meliora cœperint ire, et febres
nõ sunt, balneo utãtur et die intermisso iterum intrent.

De incubo Cap. XVII.

APprehẽdis eos qui incubo uexantur, ex dif=
ficili motu corporis atque somno etiam soli=
to grauiori. Aliquoties appreßi sic grauãtur,
ut præ

ut præfocari se sentiant, ut aliquid supra irruisse putent: quod eorum corpus præmendo exanimare contendat, unde incubus dictus est à mentis, atq; sensuũ incubatione. Alij dicunt quod ex indigestione cibi eueniat, quod græci phialten dicunt. Hæc paßio frequenter fit ex multo cibo, & ex indignatione frequenti. Hi qui uexantur ex malo humore, aut ex abundantia sanguinis, per somnũ phantasia cum graui somno opprimuntur. Dum dormiunt supini, plus suffocantur, ita ut non poßint loqui. Aliquoties per somnum ita fabulantur quasi per diem disputent, & sic sermones prosequuntur quasi cum aliquantis hominibus fabulentur, aut uarietatẽ diuersorũ sonorũ, id est, phãtasiã uideãt uel paueant, uel in somno clament. Aliquoties uox illis suffocatur, ut clamare nõ poßint. Fit hæc paßio ex multo uel ex paruo cibo, id est, ex plenitudine uel inanitione. Ille cui ex nimio potu hæc contingunt, ab his ieiunet, uel leuiter exinde accipiat. Hi autem qui ex inanitione hæc patiuntur, cibari debent, quia sic ueteres dixerũt. Hoc facit minus, quod & plus, & si omnia moderate agant uel accipiant, à paßione læduntur nihil. Nã si pauidi fiunt, & pallido uultu, periculosum est illis. Aut si patiuntur hæc frequenter per uigilias sine somno ut cadant, & suffocantur, perniciosa horum hæc signa sunt, ut ubi oppreßionẽ paßi fuerint, supini ualde suffocen

de suffocentur, & post accessionis horas ubi omni op
pressione, uel põdere caruerint, et erecti ad propri=
um sensum redierint, corpus omne tremebundum in
uenitur, & sudor frigidus in stomacho, uel in capite,
& pulsatio nimia cordis. Hoc autem fit, quia uentosi
tas spiritus quæ solet pulmonibus et cerebri partibus
inhabitare, concluditur & ex calore cibi, uel uini, si=
ue sanguinis, uel cholerum abundantia non habentiũ
exitum naturalem per nares, uel per os, præclusa in
pulmonis fistulis, uel in stomacho per uiscera discur=
rens hanc causam facit.

Cura.

Quando admonitio fuerit, & habuerint præfo=
cationem, corpus eis moueatur, uel fabulis excitẽtur,
& capilli capitis attrahantur, & facies eorum de a=
qua leuiter aspergatur, ut corpus eorũ, uel sensus ad
pristinum habitum reuocetur. Quod si ætas uel uires
permiserint, phlebotomari debent, ita ut stomachum
curent, ante phlebotomum, & potionem accipiãt eli
xaturam absinthij pontici, & sic phlebotomus adhi=
bendus erit, & postea picram potionem accipiant,
& post omnia purgentur ex hiera diacolocynthida,
ut omnis malus humor, & crassus exinde purgetur.
Cibum accipiant leuem, & digestibilem, & exerci=
tentur, & somnifera confectione nares ungantur ad

mansionem, & unctiones fiant & dropaces. In di*missione uero securitates animi præparandæ sunt, ut non iracundiam patiantur, quia inde inquietantur.*

De Diabete, Cap. XVIII.

P*Aßionem quam diabeten appellant, sæpe contingere mulieribus manifestum est. Sequitur autem hanc paßionem sitis nimia, quæ fit ex stomacho, aut ex hepate. Aliquibus ex renibus, sed hæc paßio solet in hydropicum morbum conuerti.* Fit *etiam mulieribus ex labore cum grauidæ fuerint. Plerunq; cõtingit hæc paßio ex frequẽti purgatione medicaminũ. Quibus hæc paßio contigerit, ut hydropici iuuari debẽt, quoniam prope est illis una paßio.* Nã *phthisici occupantur ex defectione stomachi, siue acredine, & humore quo intus uexantur, foris apparente.* Sequitur *eos mala habitudo totius corporis, maxime uultu turgenti.* In *superficie uenæ nigrescunt ex cõgelatione sanguinis non concurrentis ex matrice, aut ex aliqua parte corporis grauedinem patiuntur per totum uentrem.* Loca *circa pectinem tumescunt:* Multum *bibunt, & parum comedunt, uigilias patiuntur, cum dormierint, phantasmantur.*

Cura

Cura.

Oportet ergo curare hanc paßionē, ut dictū est, sicut hydropicos, cōfectiones utēdæ sunt, quæ minuant sitim, & epithemata refrigeratoria adhibenda sunt. Cibos similiter accipiāt, uinum non forte, nec uetus, aquā bibant ubi coxeris aliquas herbas desiccatiuas, id est, apiū, sparagū, aut antid. theriacæ accipiāt, quo maxime pro somno utātur, & alijs medicaminibus, quæ in paßione hydropicorūm scripta sunt.

De Apoplexia, Cap. XIX.

Apoplexia est deprehensio atq; lapsus, siue subductio. Plerunq; sine febribus uenit, ita ut sine sensu ueluti mortuū efficiat. Est semper acuta, & nunquam inueteratur. Procedit hæc ualetudo ijs qui aßidue caluerint ualde, uel his qui frequenter sudauerint maxime his qui plus lauerint, aut coluerint, frequentius posteria occidit, & adiectum membranum capiti quod Græci miringam appellāt, comprehendit. Si pueris hæc euenerit, aut in prima die moriūtur, aut in secunda, aut in longum in tertia, aut raro euadunt. Non omnes in toto, aut integre releuantur, plerunque sequitur paralysis totius corporis, uel partium aliquarum, plerunq; ueterascunt, & ueluti amentes sunt, capite semper ægri sunt, plurimum dormiūt, & si quis eos de somno excitauerit,

plerunq; aliena loquuntur. Paßio autem hæc non de ueteribus, sed de acutis, quæ ualde incũbunt declinante ætate. Hæc ualetudo si caput possederit, omne corpus tunc sine sensu erit, facilius curantur si firmiores sunt. Si quis autem infirmior, siue per ætatem difficilius, seu per quamlibet ægritudinem.

Cura.

Curentur autem sic: Lana succida in stomacho, & præcordijs erit adhibẽda. Caput quoq; eorum ex spõgijs aqua frigida intinctis foueatur, aut in ipso diatrito phlebotomentur, quoniã sanguis est causa, & per triduum à cibo abstineant. Oleo ungẽdi sunt & spongiandi. Si stercora non reddunt, clysteria adhibenda sunt, cucurbitæ in stomacho non ponantur, & cataplasmandi sunt, & non cerotandi. Si febres paruæ sunt, utimur balneo. Aliquoties apoplexia in paralysin cadit, & ideo ut paralytici curentur.

De eodem, Cap. XX.

Apoplexiæ duæ sunt, maior, & minor. Maior uero quæ est, accidit per cibum nimium, aut uinum, et per balneorum nimium calorem. Hi subito cadunt & moriuntur. Nam hi dum comedunt, aut diũ lauant, hoc morbo tenentur. Multi etiam post cœnã dormientes ex hac mortui sunt. Huic causæ nulla succurrere

currere potest causa: quoniam latēter euenit. et subito occidit. Minor uero quæ est, curatur quidem cum difficultate, quam in telligis sic: Cum passus fuerit, nō unam partem corporis sentit, uelut in paralysi, sed signa hæc apoplexia habet: Lingua eis tenetur ut loqui non possint, & cum locuti fuerint, difficilius intelliguntur, & manibus uerba sua uolunt ostendere. Et si eos digitis strictius tenueris, sentiunt. Non enim est corpus præmortuum, sed iacet quasi exanime, & graues sibi uidentur. Aliquoties homines non agnoscunt. Nā omnino se leuare nō possunt, in tantū ut si aliquis eos leuare uoluerit, grauiores inueniantur.

Cura.

Pennis in ore missis uomitum procurabis, & clysterem fortem eis adhibebis. Succus centaureæ per nares mittendus est. Euphorbij etiam, & castorei triti modicum naribus infundatur, ut sternutamēta prouocentur. Manus quoq; uel pedes eorum ex nitro & sale fricari diutissime iubebis, & anum eorum ex felle taurino unges. Staphisagria et adarce, melle addito, anum ungere facies. Collyrium facies, quod balanum dicitur. Recip. nitri partem 1. scāmoneæ partes 2. castorei partem dimidiam, quæ facies sic: Simul omnia tere, & cum oxymelle decoque, & sic in pessarijs collectum, ano per singula pessaria inijciatur.

Quod si hæc minime ualuerint, clyster eis inijciatur, quem facis sic: Folia maluæ hortiuæ, & bletarum, cucumeris agrestis folia, & radices decoques, ut tertia pars remaneat, & addito oleo, aphronitro & melle exinde eũ clysterizabis. Qđ si iuuenis fuerit, ab anno 20. usq; ad 50. phlebotomãdus est. Si infra 20. annos fuerit, aut extra 50. processerit, adiutoria supra scripta tantummodo adhibebis. Præterea apoplexiæ causæ non eueniunt, nec tenent quenquam nisi declinante ætate, id est, post 40. annos. Sed si hæc causa iuuenibus nata fuerit, non nisi aut ex ægritudine, aut ex uulnere aliquo fit sordido, quæ quidem si euenerit, facile curabitur. Nam tunc intelligis aut ex ægritudine, aut ex uulnere aliquo apoplexiam alicui contigisse, cum ea præcesserint. Hæc causa iuuenibus, & maioribus ætate poterit euenire. Si ergo causam ægritudinis intellexeris, cathartico curabis. Si ex uulnere, catharticum dabis, & purgabis uulnus. Humore autem per uentrem detracto, & uulnere curato, causa necesse est ut amputetur.

De Paralysi, Cap. XXI.

Paralysis quamuis magnam distãtiam cum apoplexia habet, tamen minoris similitudinẽ gerit, cuius signa hæc sunt: Omnis paralysi

lysis non nascitur, nisi cum cœperit ætas declinare, id est, post 45. annum, aut si frigidioris naturæ fuerit, et in 47. euenire poterit, quãuis aliquoties iuuenibus ex ægritudine nascatur, tamẽ facillime curatur. Et aliquoties iuuenibus sine ægritudine nasci uidetur. Verum causa hæc paralysis nõ est, sed cuiuscunq; humoris deriuatio qui partem corporis tenet. Vera autem post 40. annum humana tenet corpora, cuius signa hæc sunt: Pars ei dimidia tenetur, ut officio suo fungi non poßit. Quorum ore aperto inuenies linguæ unam partem, in qua paralysin patiuntur, albidiorem esse, ex quo paralysin causam intelligis habere. Nam paralysis ab eo quod mediam partem tenet, nomen accepit. Si enim partes omnes teneat, apoplexiam iudicabis. Nam multi ex apoplexia minori ad paralysin transeunt.

Cura.

Mittes eos in cubiculo calido, & tutißimo, ubi frequenter carbones mißi recentes calorem faciant, & expolians eos manus eorum considera, & si non contractæ fuerint, quam frigidam inuenies, in eadem phlebotomas. Et post phlebotomum triduo expleto, purgabis ex cathartico recipiente seminis coco cnidij, piperis ana. drach. 2. galle drach. 3. colocynthidæ drach. 3. euphorbij drac. 1. mellis qđ sufficiat.

Dabis ex eo ieiuno coclear 1. cum melle: hoc enim cathارticum phlegma deponere nouit. Et unguento ungantur: quod Recip. liquidæ ceræ ana. lib. 1. piperis drach. 1. euphorbij drach. 3. adarcis drach. 1. nitri drac. 2. olei sicyonij quod sufficiat: Cōficitur sic: Quæ sunt liquanda liquefiant, & liquefactis terendorum puluis adhibeatur, simulq; omnia subigantur, & loca ubi paralysis est etiam ex oleo sicyonio ungantur, et cucurbitis adhibitis stupam imponis ut loca relaxare poßint secundum membrorum artus, & breuiores, & maiores cucurbitæ imponendæ sunt. Itē axungiā ueterē si salē habeat, medullam ceruinam, adipes anserinos, et gallinaceos cum succo centaureæ immisce bis, & exinde sole nimio, aut cōtra carbones cum fricabis, & dropaces eis imponendæ sunt ad solem, si tempus permittit, aut calidißimo loco. Quibus etiam uomica prouocanda sunt sic: Olei partem 1. aquæ calidæ 2. salis & nitri singulis coclear, tempera & eis da bibere calicē plenum, & digitis, aut pennis in ore mißis uomitū prouocabis. Qui cum excluditur, excipiēdus est, et in calice quo biberit mēsurandus. Si hic plus quā biberit uomuerit: alia die similiter curabis. Si autē quod biberit tantūmodo reiecerit: iterabis etiam eandem potionem, et iterum prouocabis uomitū, ut aliquid amplius quā biberit, reijciat. Quod si hoc

minime

minime phlegma per uomitum reiecerit, calcucecaumenon cum aqua calida dabis ei bibere, et uomitum, ſicut ſuperius dictum eſt, prouocabis. His etiã diuerſa acopa calida neceſſaria adhibeantur, et adrianum dabis. Sed cum adrianum dederis, quoniam conſtringit, clyſterium adhibendum eſt.

De Paralyſi eadem, Cap. XXII.

Paralyſis fit aliquoties in toto corpore, aliquoties in aliqua parte, aliquoties cum ſenſu, aliquoties ſine eo. Sed cũ ſenſu apoplexiam dicimus, ſine ſenſu epilepſiam. Paralyſim apprehendimus ex amiſſo ſenſu, et tactu, & motus eius partis quæ paſſa eſt, ut neq; calidum, neq; frigidũ ſentiat. Quando motus paralyſis uicinæ noſcuntur? Aut utriuſq; ſenſus amiſsione, aut ex parte, ut ægrotantes neq; calidum, neq; frigidum ſentiant, neq; moueãtur, atteſtãte grauedine, cum frigido corpore, & totius corporis ſtupore ac defectione, & partis quæ paſſa eſt, tenſione, aut contractione artuum. Et eſt paralyſis quæ paradochius appellatur, quæ ambulare uolẽtibus detinet greſſum. Dehinc ſi paulùlum ambulẽt, iterum retinentur. Fit paralyſis ſenioribus, quorum ſunt corpora nimium frigida, aut ex phlegmatum infuſione, aut iuuenibus qui ætates nimium calidas habent, ex infuſione ſanguinis, aut ex uini feruore, aut

ex frigore, aut ex indigestione ciborum, aut ex labore, aliquoties cum sensu, aliquoties sine eo: Est quando cognoscimus eam superuenisse ex cõmotione, aut subito, sicut formicas iuxta partem corporis patiantur. Item quando aliqua pars uelut ignis ardeat, uel infrigidat, et in una parte paralysis fit. Quod si in toto sit, apoplexia iudicatur. Istæ paßiões duæ sunt, paralysis & apoplexia acuta. Sunt aliqui qui conductionem patiuntur, sine ullo aliquo dolore, aliquanti cum dolore. Subito nascitur in dimidia parte corporis: aliquoties in aliqua parte corporis soluitur, & difficile mouetur. Infrigidantur, & torpescunt, impigrescũt, & uirtutem non habent. Permanet in eis causa frigoris, & ea quæ mouebant, mouere non possunt. Nihil sentiunt, pulsus in eis non inuenitur, colorem habent pallidum, fastidiantur. Fit ex frigore, uel ex sanguine in multis corporis partibus paralysis, id est, in manu dextera, siue in pede, siue in sinistra parte, aliquãdo lingua soluitur, & implere sermonem non poßũt, gustus, & odores non sentiunt. Aliquibus nares, & caput, labium, & bucca, supercilium, et palpebræ oculorum sine sensu fiunt, ut nec dolorem sentiant. Quibus cum sensus inest, dolorem, & motum sentiunt, si ex frigore, aut ex humore frigido paralysis fit, in hyeme & in senili ætate contractio locorum cum

nimio

nimio dolore, & grauedine fit. Aliquibus ex plaga recente fit, aliquibus inuadit crura, aliquibus lumbos cũ ſpina, aliquibus ueſicam.

Cura.

Curatio eorum adhibenda eſt, ut partes ipſæ quæ cõpaſſæ ſunt multũ fricentur, & uaporationes ex acopis & unguenta thermantica adhibeantur, & dropace ex pice, & reſina, pipere, euphorbio, adarce, et his ſimilibus: in ſole calido fortiſſima fricatione ungãtur, & comotione uentris, & exercitationibus mediocribus utatur. Quibus uero ſine ſenſu partes diriguerint hyemis tempore, ætate ſenili, unguenta adhibẽda ſunt ex oleo glaucino, ſcilla, et allijs in locis in ſuperficie ungantur & ex mordentibus unguentis, id eſt, ſcilla aſſa, euphorbio, pyrethro, ſinapi, adarce. Si uero ipſa paſſio cibum non appetierit, oxymel accipiant potum, & in ipſa parte cucurbitarũ raptus imponatur. Et poſt cibũ dropace utãtur et lauacro, & partes quæ cõtractæ ſunt, aut extẽſæ, aut uulneratæ, iuuare debes molli fricatione id eſt, medullis ceruorum, adipibus, compoſitis unguentis & humidis cibis, & ante omnia aquæ tepidæ potatione uti conuenit, & à frigore omnino obſeruent.

De paralyſi

De paralysi quæ fit ex sanguine, Cap. XXIII.

QVod si ex sanguine paralysis uenerit, & fit in tēpore ueris, aut autūni, aut æstate in ætate iuuenili, ex uinolētia et indigestionibus, et partes ipsæ quæ cōpatiuntur, solute, et sine dolore cō tracte, formicationem, & stuporem sentiunt, inter initia eorum phlebotomentur ex brachio contrariæ partis. Si uero uires, uel ætas permiserint, tantum ex a copo, uel uaporatione calidissima uaporentur, & in superficie articulorum ad solem dropace quæ patiun tur partes ungantur, & sic lauacro utantur. Vomitus & purgationes ex elleboro fiant, et phlebotomus ad hibendus est omnibus paralyticis. Si in dextera parte corporis paralysis fuerit, id est, in manu uel pede, aut in quacunq; regione capitis ex sinistro phlebotomen tur. Quod si in sinistro latere fuerit ex dextro brachio phlebotomentur, ut emissio sanguinis fiat secūdum ætatem & secundum mutationem sanguinis.

De paralysi linguæ, Cap. XXIIII.

SI lingua paralysi uitiata fuerit, aliquoties una pars liguæ, aliquoties ambæ partes attrahun tur, aliquoties fit impedimentum uerborū, et nullum gustum sentiunt, neq; odorem. Vti debent diem fraga, & collutione oris ex oxymelle, & pipere,

sinapi

ſinapi, origano, & hyſſopo, & caſtoreum ſub lingua teneant, & omnia acrimonia comedant, & laſare trito cum oxymelle miſto, de penna linguam ungito, & os apertum teneat, ut humor decurrat.

De paralyſi capitis, Cap. XXV.

CAput ſi paralyſis tentauerit, regiones eius omnes ſubuertet, id eſt, os, labiẽ, oculos, et linguam, ut ſuperius diximus, & nares. Siſanum labium cadit inſanum autem torquetur. Loqui ſecundum naturam non poſſunt, neq; humorem continere intra os, laxationem maxillæ patiuntur, oculi ſubiacent, & ſecundum naturam motionem habere nõ poſſunt: cilia uel palpebræ diſſoluũtur uel laxãtur, palpebræ ſuperiores extenduntur, & alteræ laxantur, ut mouere eas non poßint. Totus oculus ſubtorquetur, attrahitur, & concluditur. Et eſt quando facies eis torquetur, quaſi qui cinnũ uult facere. Extenduntur illis palpebræ & uultus, & ipſi oculi mutantur: lingua impeditur ad loquendum. Eſt quando unum ſermonem rectum loquuntur, & alium bleſum, aliquid malagma in ore accipere non ualent. Iſte omnes ſupraſcriptæ cauſæ ex commotione cerebri ueniunt, odoratum neq; bonum, neq; malum ſentiunt.

Cura.

Curantur autẽ ſic: Si ætas permiſerit, in initio phlebotomentur, & caput uaporetur ex ſaccello, cum farina tritici

rina tritici cocta in uino. Et post uaporationem ex oleo nardino ũgatur, aut anethino, aut rutaceo, et desup lana caprinata cooperiãtur, et postea acopis thermanticis ungantur. Potum accipiant cum castoreo, & gargarizmata quæ phlegma deponunt, ex pipere, sinapi, staphisagria, origano, hysopo, thymo, et nitro tusis cũ melle gargarizent ad solem candidũ. Quod si sol nõ fuerit, saccellum calidum ex furfure capiti imponatur, & sic gargarizent ieiuni per triduũ, ut omnis humor per os reddatur. Et propter laxationẽ labiorũ oportet commasticare pyrethrũ, aut piper, & castoreum sub lingua teneãt & in bucca nucem integram, & sic carbones lentiscinos uiuos sufflent ut labia, uel cilia, uel oculi, ad naturam suam redeant, et ut odores accipiant, naribus optharmicum adhibendum erit ex strucio, pyrethro, euphorbio, elleboro, sinapi, pipere, ex æquo tritis cum aceto nares ungantur. Quod si memoriam, uel sensum perdiderint ut alienẽtur, stomachum curẽt, & inter scapulas scarificent & caput ex acopis, thermanticis, & purgentur ex elleboro, gargarizent oxymel cum puluere cococnidij, aut staphisagriæ. Naribus infundi iubemus succi radicis bletarum partes duas, mellis .I. Exerceantur fabulis, ut sermones componant, & ad sensum pristinum ueniant, et purgentur ex hiera.

De paralysi

De paralysi manuum uel pedum, Cap. XXVI.

SI partes manuum, siue pedum, siue aliquod membrum sensum naturalem perdiderit, ut neq; calidum, neq; frigidũ sentiant, uel motu careant, fricari oportet ea loca ex unguento mordaci, id est, ex scilla, sinapi, pyrethro, pipere, calce, lauri baccis, ex oleo & aceto. Quod si stupor in ipsis partibus remanserit, in balneo sinapismo utantur, & ad solem dropace ungãtur, ut omnis humor de his locis deponatur. Quam maxime eis spina dorsi uel ceruix ungere debẽt ex acopis, uel miracopis, quia omnes iuncturæ corporis nostri ibi iũctæ sunt. Qd' si ex plaga corporis paralysis uenerit, statim phlebotomẽtur, et illis adiutorijs quæ superius diximus utantur. Si uero in crure, uel pede, aut manu, paralysis fuerit, primum capiti diligentia erit adhibenda, ut tondeatur & fricetur, et cucurbitentur inter utrasq; scapulas, & sternntatorijs utantur, & spina, uel alia loca, uel acopis, uel cerotarijs thermanticis ungantur, & per gargarizmum phlegma deponant, malagmate diaspermaton utantur, & fricatio locorum sit ante cibum, & post cibum, & cooperiantur loca ex lana molli carpinata, & ungantur ex unguento, quod pruritum faciat: quod Recip. euphorbium, pyrethrum, piper, adarcem, lauri bac

cas,

cas, & his similia, ut sentiant loca tepida cōmotionem uel uim medicaminum & exercitatio est adhibenda.

De paralysi pedum, et cura, Cap. XXVII.

QVod si paralysis tētauerit pedes, uel gressum negat ut deambulare non poßit, utendū enemate ex oleo rutaceo cum adipe anserino, & oleo laurino, tamen prius enema simplex ex oleo rutaceo fiat. Et sic cōfectio uaria fiat ex bitumine, pyrethro, auripigmento, adarce, castoreo, & his similibus, utātur dropace, & malagmate diasinape, aut diaspermaton, aut diapasmon. Et potum accipiant piper, castoreum, aut radices debracteos ex uino, & alia adiutoria adhibeātur, quæ paralyticis scripta sunt.

De paralysi gutturis, Cap. XXVIII.

GVttur autem difficile paralysin patitur, quia aßidue mouetur. Aliquoties fit cum modica tußi, ut secundum consuetudinem moueri nō poßit. Impeditur enim à radicibus lingua. Aliquoties stomachus compatitur, ut cibum non accipiat, ex præfocatione, infrigidantur tunsillæ ut nec cibo, nec potu nutriantur cum leuitate febrium. Cibus in stomacho nō digeritur, sed in præcordijs indigestus manet. Torpescunt illis fœmora, singulta reijciunt. Si aquam acceperint, in uena

rint, in uentre tenere non possunt. Squibalas proijciunt, excepto humore fœtido, assellant cum magno dolore, ut subito soluantur, & subito constringātur, curatio stomacho adhibenda est.

De Paralysi renum, Cap. XXIX.

Paralysis in renibus incurabilis est cum febre, ut epilepsia. Vesicam autem paralysis si tētauerit, urinam sine dolore dimittunt, et nesciunt. Tumescit eis ueretrum, tenditur illis uesica, & urinam faciunt cum arenis, & gonorrheam patiuntur, id est, fluxum seminis, ut semen frequenter proijciant, & non sentiant, & priapus erigitur in ualida erectione, & extēditur cum laxatione seminis. Gonorrhea sine extensione ueretri fit frequentissime in lumbis, et in corde inflationes patiuntur.

Cura.

Renes foueantur ex medulla ceruina, tota spina dorsi ungatur, & accipiant succū alicæ, uel panem in mulsa, primo tamē stomachū curent, postea phlebotomentur, & sic alia adiutoria adhibeantur.

De Artetica, Cap. XXX.

Artetici sunt ex omnium corporis articulorum dolore, siue manuū, siue pedū, siue nodorū spinæ, seu iuncturæ omniū ossium. Ali

quando ex longa podagra & frigida fiunt, uel ex hu more frigido. Aliquoties uulnera fiũt cum lapidibus, & maxime irritantur loca dolentia ex tẽporum qua litate, scilicet hyemis, & ueris, & autumni.

Cura.

Silẽtium adhibẽdum est usq; ad tertium diẽ, & usquequo uires permiserint. Spongia tenera ex pusca infusa, æstate frigida, hyeme calda spinæ dorsi impo nẽda est, & sic locis dolẽtibus primum mittis adiuto ria, quæ morsum faciãt & comedant cutẽ, ut est acetum, & oleum. Fricẽtur loca ex uino, & sic adiungis oleum. Stipterea cum aqua frigida soluta in locis po nenda est, & dolẽtia loca cataplasmanda sunt ex ar noglossa, aut strigno, aut poligonio, seu uitis turionibus, aut policaria, aut semperuiua, & intyba, aut cori andro, siue papaueris folijs, & his similibus cum me dulla panis, adiũcto oleo roseo, aut lẽtiscino, aut myrtino, aut chelidonino. Et papaueris folijs cum polẽta cataplasmandus est, & lẽticula molita, & bulbo cum melle, & de hioscyami folijs cum uino coctis, aut radi cibus eius, cum storace, atq; radice lilij. In accessiõis tẽpore cooperiantur loca ex lana molli & mũda, & infundãtur ex oleo dulci calido, ubi coxeris altheam, fœnugræcũ, lini semẽ, & calamẽthum. Quod si fortissimus euenerit dolor, phlebotomẽtur, si uires, uel æ

tas

tas permiserint ex brachio ubi paruus est dolor, fricationibus, & unctionibus utãtur. Cibũ humidiorẽ, simplicẽ, mollẽ, digestibilẽ, sorbilẽ, & calidum accipiãt, & sic uẽter deducẽdus est ex lini cõfectione. Et loca cum scarificationibus cucurbitẽtur, & ubi scarificari, uel cucurbitari non possunt, sanguisugæ imponantur, quæ si morsum fecerint, uaporatione ex aqua calida, & oleo utantur, ubi coxeris fœnugræcũ, lini semẽ, & maluas agrestes, & sic cataplasmabis paragorica uirtute, quæ uim doloris uel tumoris cõpescat, id est, ex pane in aqua infuso cum rosaceo trito, aut cũ sylphiti radice, aut althea bene cocta, & alijs similibus uirtute. Quod si meliorauerit, balneo utantur, & uarios cibos accipiant, & potiones aquatas ex ceroxtario ex oleo dulci, & cyprino, & irino, & malagma diaquilon, & similia non paruã uirtutẽ habẽtia imponantur. Vectationes faciant, & deambulationes nudis pedibus, et obseruẽt à multo uino, quia exinde irritantur nerui. Abstinere debẽt ab indigestione cibi, & uentre, quoniam ut diximus inde irritantur nerui, & acerrime rheumatizãt. Huic passioni in initio mediocriter mordacia adiutoria adhibeantur, circa accessiones, & statum paragorica. Circa declinationis uero tempora, mollitiua, in dimissione uero fortissima, & ualidissimis uirtutibus. Aliquanti dixerunt:

quoniam nunc contra feruida frigida. Cum enim ex tumore feruores fuerint debent frigida adhiberi, ut tepescant, & sic tẽperentur. Sapientissimus Hippocrates hoc sermone iussit, ut omnibus ex calido uenientibus tumoribus, medicamina frigida fiant: quemadmodum arteticis, & podagricis tumoribus, & econtrario frigidis calida, siccis humida, et humidis sicca, & secundum tempus egestiones humorum, et euaporationes locorum omnium. Item podagricos multum iuuat, si ungantur pedes eorum & calcanei ex adipibus porcinis. Quod si rhagadias habuerint, in primis cerotoria ex cinere mustelarum faciant. Similiter & galli sanguine podagricos ungere debemus, aut ex adipe hyene, aut lupi, cũ ceroto misto ungãtur. Item contra omnium articulorum, & podagricorum dolorem, cerotum diafinicon utilissimum est, & antidotũ arteticum conficiatur, quod in podagra cura patientium scripsimus, & per singulos annos conueniẽti tempore illud accipiant & exercitẽtur secundũ uirtutes. Nam frequens uacantia frequentat dolorem. Sed in ipsa accessione fricatio adhibẽda est, & in dimissione lauacro utãtur, & cibis uariis mediocriter utantur. Vino paruo et leni, post cibum dropace simplici, & circa mare per arenas deambulent, & unguenta, uel acopa ex scilla, & cucumeris agrestis radice, & cu-

& euphorbio, adarce adhibeantur, & uomitus prouocetur ex raphano, & elleboro albo, & in decoctione arthemesiæ balneētur, & in aqua marina calida natent, aut in aqua salsa naturali. Quando uero exacerbata fuerit paßio, leuiora adiutoria adhibeantur, quibus dolores mitigentur.

De uarijs causis phlegmonis, Cap. XXXI.

INcipiamus de phlegmone dicere, id est, de feruore, uel ignito tumore, atq; membrorū indignatione. Qui quidē phlegmon subito nascitur, sed præcedens causa intelligētibus naturas singulorum neruorum, uel membrorū, nationes et sui curationes ostendunt, ut sciamus unde nascatur, quia multas habet species, atq; distantias. Aliter enim oculorum phlegmon, id est, feruor, uel calor, siue pectoris agnoscitur. Aliter faucium synanchiæ. Aliter oris, uel gingiuarū, stomachi, aut pulmonis, aliter iecoris, atq; splenis, aliter lateris, seu intestinorū, aliter uesicæ, renumq́;, aliter herisipila, id est, ignis sacer, aliter anthrax, id est, carbo, aliter fimata, & singulta, & alia quæq; talia. Nam ut ipsa sunt dißimilia, et ex dissimilibus nascētia, sic dißimili etiā curatione medicantur. Nā quot sunt uniuscuiusq; phlegmōis species, tot

ſunt curationũ uarietates. Quæ quidẽ te intelligere optime uolui, & illud moneo ante omnia, ut noueris diſcernere cauſas, et cognoſcas quæ ſit humida phlegmon, & quæ ſicca. Nam humida fit ex inanitione calidorum humorum, uel cõmutatione, atq; permiſtione. Sicca uero gignitur ex ariditate nimia, & ſiccitate naturali calidi ſpiritus corporis noſtri quo uegetamur. Nam ſicut frequenter in nobis humores, atq; ſubſtantiæ corporales ex accedente extrinſecus uitio, naturalem amittunt temperiẽ, & in quacunq; corporum parte fuerint effuſi, illic faciunt phlegmones, id eſt, feruores ignitos, & acres, cum pulſu eius loci, & dolore, & non ſine tumore, atq; rubore flammeo, ita ut frequẽter etiam ea quaſi fumoſum uel nebuloſum uideas uaporẽ ex eo loco oriri. Simili itaq; ratione naturali inſitus calor, id eſt, ſpiritus calidus corporis noſtri, quo uegetamur atq; mouemur, ſupra modum incenſus, & arefactus, locum quem apprehenderit, & in quo cõſederit, illic phlegmones acres facit, et quaſi flãmæ urẽtes, & intolerabilis illic ardor ſentitur, & febris loci eius igne candẽtior calore, & ſiccitate extollitur. Quod ſi in lõgum prolixiusq; augmẽto facto procedit, periculum euidens facit, illam partẽ ſcilicet corporis debilitans, in qua inſederit ipſa phlegmon. Vnde hæc non in tã multas diuiditur ſpecies, q̃a ſicca, & uehe-

& uehemẽs est, et nõ sine periculo, quippe ex igneo, & nimio ardore ardẽtis spiritus nascitur: & illa quã ex humorum cõmutatione, atq; congestione fieri diximus, quae in diuersas, uariasq; ac multas mutabiles diuiditur species. Quae ex sanguine fit, aliam habet speciẽ. Cum uero ex cholera, id est, felle rubeo fit, aliam speciẽ ostendit. Cũ ex utroq;, id est, sanguine, & felle lõge aliam. Etenim singulae ipsarum specierũ causae, aut corruptos ex quibus fiunt ostendunt humores aut ex intimis, & proprijs confluẽtes locis, ad non propria integra, & sana uenientes. Sed loca eorum ubi influũt, constrictu sua nimietate corrumpere, et com putrere faciunt, quia non habent exhalationis, uel digestionis meatum. Siue ergo spissi sint humores amissa naturali temperie, siue liquidi, siue temperati, siue sint acres, tales efficiuntur species phlegmonis, id est, feruoris, quales fiunt ipsi in uirtute. Si ergo de sanguine tẽperato, et naturali in aliqua corporis parte, per abundantiam, & confluẽtiam sanguinis talis phlegmon fuerit exorta, extenditur, atq; constringitur locus copiositate abũdantis sanguinis. Vnde dolor crudelis tangit hominẽ, & sentiẽs talis fit insensibilis locus. Nã et pulsus in alto intolerabilis sentitur, et quasi tẽditur crudeliter, atq; constringitur, ut cõfigi ille locus sibi uideatur. Nec non flãmeis utitur doloribus,

refrigerari desiderans rubor loci ingens non sine ti more uidetur. Fit etiam talis plegmon in uulneribus ferro incisis, uel in oßium fracturis, uel neruorũ, musculorumq; contusionibus, aut articulorum laxationibus. Faciũt etiam phlegmones uenæ, humores sangui ni immiscẽdo, cum in eas se effuderint, tũc plenæ atq; densæ in aliqua imbecillorum mẽbrorum parte pon dus graue se exeundo, atq; purgando deponunt, quæ sine dubio pars carens uirtute, omne alienum nolens necessario suscipit pondus abijcere, atq; respuere, à se non ualens malum. Si uero ex felle rufo phlegmõ nascitur, cum non mutata sua naturali temperie, mistum uel rufum sanguini sup omne corpus fuerit effusum, ictericus dicitur. Cum autem fel rufum solum in aliquam corporis partem fuerit effusum, herpes hæc ta lis phlegmon appellatur, id est, circulus serpens, uel aranea, & si spissa hæc substantia fuerit, totum exulcerat locum in quo consederit, & alta uulnera facit: hos etiã Hippocrates herpetas dicit, eo quod se ipsas comedant, & late, atq; altum pascantur. Si uero non spissum fel fuerit, sed tenue, atq; liquidum, summitatẽ loci, id est, cutem tantum quasi ex igne cõbustam red dit, & hoc dicitur herpes. Eiusdẽ speciei est & cancrias, id est, granosa, qa ut granula modicæ uesicæ ex ea nascuntur in cute. Hæ ergo herpetis species ex fel

le rufo

le rufo nascuntur, sed illa spisso, & acri, hæc & tenui atq; liquido, & minus acri. Si uero ex sanguine, & felle rufo cõmisto intẽperato, & paulo calidiori fuerit, quã debuit, uel si ex sanguine tantum feruenti, & tenui substantia phlegmon fuerit exorta, herisipila dicitur, id est, sacer ignis. Nam & sanguineo colore hic uidetur locus rubere, & infinitus ignis sentitur, & nõ in alto, sed si manu tangas, uel digito, mox sanguinem recurrere uidebis, rursumq; concurrere tenuem, atq; rubeum, sed est interdũ herisipila, & non semper est molesta ut phlegmon. Vera enim phlegmon est, & iugis continuus feruor cum dolore in alto, & tumore, & tensione, atq; pulsu eius loci ubi se constituerit. Nam herisipila in summa cute uel carne nascitur, neq; serpit in altum, nec carnem corrumpit, aut ulcerat. Solet etiam herisipila adnasci, uel misceri phlegmoni, & phlegmon similiter herisipilæ, & ex duabus fit una, uel mixta, & confusa est causa, & dicitur talis herisipila phlegmon, sed si signa magis uidentur herisipilæ, herisipilatides phlegmon dicitur. Sed cũ phlegmonis signa magis uidebũtur, phlegmonidos herisipila nominatur. Si uero nullius horũ magis signa uidẽtur, tũc phlegmõ, ex herisipila ex æquo permixtæ dicũtur. Vera ergo, & certa herisipila sine pulsu, et dolore cutis tantũ paßio est. Phlegmõ enim

totam cutẽ,totamq; carnis in profundo poßidet molem,ut diximus,cum rubore,& tensione loci,& pulsu. Cum enim calidus nimium, spissus & abundans cõfluit sanguis, eum in quo consederit locum urit, & uulnerat, & escaras facit, & in giro loca circa uulnus,uel escaram in ardentem feruorem,& indignationem,& dolorem intolerabilem extollit, & dicitur hoc uulnus antrax,id est carbo. Si uero confluens sanguis talis est qualẽ diximus,ut sit sordidus & feculẽtus,colligens ex uitio corporis sibi humores, & non solũ uulnus quale diximus facit, sed etiã uesicas quasi ex igne subnigros efficit,& desuper nutrit quasi obmortui & sordidi sanguinis indicium, qua ruptum apparet uulnus escaram habens, & hoc dicitur anthrax. Omnia uero hæc(ut diximus) phlegmonis species diuersæ, & uariæ ex loco paßionis à ueteribus medicis nomina acceperunt diuersa, ut ex ipsis nominibus loca,& causa agnoscerentur. Nam cephalargia dolor capitis est cum feruore, quæ quidem ex diuersis oritur causis, id est, ex anathimiasi stomachi, uel uentris constrictione, et ex abundantia ciborum, uel nimietate uini, aut ex iracundia, uel frigore, uel calore, aut ex humoris abundantia, atque acredine, aut ex impetu febriũ. Sic etiã otalgiam nuncupauerũt dolorẽ auricularẽ, & ipsa ex diuersis oritur causis.

Ita ocu-

ſta oculorum dolorem ophthalmiã dixerunt cum phlegmone, id eſt, feruor cum dolore oculorum. Synanche eſt faucium tumor cum feruore. Peripleumonia eſt uitium pulmonis: Pleureſis dolor eſt laterum, tympani, uel membrani: quæ coſtæ uiſcerumq́; ordinem diſcernit, id eſt, mena, ipozaga. Sic & hepaticos, ſplenticos ex ipſis uiſcerum paßionibus nomine dixerunt. Sic etiã bubonas, fima, & figelata oſtenderunt nimiam eſſe indignationem, atq; feruorem adenõ, id eſt, carnium neruoſarum, uel pinguium, atq; muſculoſarum.

De bubone, Cap. XXXII.

Bubon eſt phlegmon, uel feruor diuturnus, et durus. Fima uero breuis, & mollis eſt, ideſt, quæ cito creſcit matureſcit, & saniem facit, figelta eſt phlegmonodes heriſipila, uel heriſiplatodes phlegmõ. Sic quoq; reliqua nominauerũt. Quæ oĩa (ut diximus) ſunt ſpecies phlegmonis, et horũ faciles ſunt intellectus, uel cognitiones, quæ in euidẽtibus locis naſcũtur, uel fiũt. Illæ uero phlegmones quæ ĩtrinſecus et in ocultis locis ſunt, atq; uiſu carentibus non facile intelligũtur, quia nec oculorũ acie nec tactu manus facile poſſunt agnoſci, ſed acuto ſenſu, et uſitata doctrina ab expertis tantũ melius ueriuſq; dignoſcũtur, id eſt, qui

totum

totum corporis humani, menbrorumq; positionem, & omnia oculta naturæ ex anotomicis cognouerunt, hoc est, ex collectione uel disputatione, quam modo dicere tibi satis longum est festinãti ad alia. Sed ista quæ nũc breuiter dico, intelligenti tibi sufficiant, ad multa abituro, quæ post hoc de omnibus totius corporis causis plenius dixero. Vt ergo possis optime scire illas quæ in euidentibus & manifestis nascũtur locis phlegmones, id est, in ipsis cutibus corporis que deforis sunt cognoscere atq; mederi, hinc incipiam dicere. Nam & illæ quæ intrinsecus corporis, uiscerumq́; gignuntur locis, quamuis nostris inuisibiles sint oculis, tamen ex his quæ uidemus signis facile cognoscũtur, ut diximus etiam in tactu cognosci possunt, sed difficillime. Frequenter enim in pulmone, uel in iecore, splene, uentre, stomacho, latere, uesica, atq; matrice, & in ipso capitis cerebello, solet herisipila uel phlegmon, atq; apostema, uel uulnus nasci, & summum homini immedicabileq́; esse periculum. Frequenter enim febrit hic talis: quem ubi cognoueris diligenti sagaciq́; sensu, simili curatione eorum quæ uidentur deforis curabis addẽdo eligmata, trochiscos, & alia quæq; per ora etiã aut p clystere, aut cauteræ, quæ multa & optima adhæc talia scripta sunt in pharmacenticis, et à nobis, et à prioribus.

De phlegmo

De phlegmone et herisipila et cura, Cap. XXXIII.

SI ergo phlegmon, uel herisipila erit quod uidemus, mox à principio uidentes originem causæ congrue diligenterq; curabimus. Nā grauia & insanabilia solent hæc facere pericula, nisi congrue diligenterq; curētur. Sciendū est itaq; quod nō omnes phlegmones naturaliter cōstricte sunt ut putāt medici, et dicūt proinde omnes phlegmones humidari debere, calefieri, & relaxari, errantes, & ignorantes originem ipsarum. Nos quærimus primum unde uel ex quo sit causa exorta humorum, attendentes ætatem & habitudinem, id est, physin, & uirtutem corporis uel mem bri quod patitur: etiam & temporis qualitatem, & loci positionē, & aëris temperiem, & ita quæ congrua scimus, adhibemus. Primum autem purgatorijs utimur, aut clystere, & cataplasmate, aut ceroto, aut epitemate, aut emplastro seu fomento, & omniū horum uirtutes considerantes, quæ molliunt, quæ relaxant, quæ constringunt, quæ dispergunt, quæ siccāt, quæ humidant, quæ attrahunt foras, quæ colligunt, quæ maturant, quæ ad saniem conuertunt, quæ rumpunt, quæ purgant, quæ cicatricem inducunt, quæ paracollesin faciunt, quæ sordidant & pascunt, quæ cale faciunt, quæ refrigerant, diligēter attendētes ad ipsas

causa

causarũ origenes, et ad uirtutes medicaminũ, ut cõgruas adhibere poßimus suo tẽpore curationes. Sic enim ex omnibus cõsiderãdo inuenimus quid debeamus utiliter adhibere, et quid incongruũ euitare. Maxime enim ante oĩa debemus cognoscere causarũ originẽ, ut congruas in tẽpore ut causa postulat, adhibeamus curationes, id est, ut sciamus quid in initio, quid in augmento, quid in statu, quid in declinatione causæ adhiberi cõuenit, et qualiter iuuari quibusq; medicaminibus, uel adiutorijs uti debeamus, qualiter æstate, uel hyeme, qualiter autũno, uel uere. Eos autẽ q indigẽt curari, cõgrua ex ipsarum qualitate causarũ uel origene, et ex ætate eius q patitur uel corporis habitudine, atq; uirtute, et tẽporis qualitate cognoscere possumus, et sane exẽplis utamur, ut uerius ꝓbetur hoc fieri debere. Pone ut rheumatica sit causa, et locus corpris sit genu, et ipse homo sit iuuenis, robustus corpe, et plenus sãguine et uirtus in eo calida, tẽpus anni primũ et regio loci temperata, et aër, & subito in genu confluente rheumate non sine dolore locum intumuisse, imò hunc phlebotomari illico conueniet media uena brachij, solui per antypasin, uel metacentesin, id est, contraria detractione, ut si dextra pars corporis doluerit, sinistro brachio uenam feriamus. Si uero sinistra, de dextro. Ita ergo si inferiors pars molestatur, de supioriparte detrahere debemus

sanguin

sanguinem, si uero superior, de inferiori. Sic enim fieri conuenit in rheumaticis causis, & detrahi iuxta modum magnitudinis causæ, quantitatis & uirtutis eius qui patitur, & temporis qualitatem, & post detractionẽ sangnuinis utimur cataplasmate, quo possimus abijcere & repercutere rheuma à loco in quem confluit & siccare ipsum locum. Si quid remanserit in eo loco, corroborari & confirmari debebit, ut possit abijcere & respuere mala. Sit ergo cataplasma ex acizo, & ex corticibus maligranati decoctis in uino stiptico, ex rore syriaco, & alphita, id est, ex farina hordei, & alia talibus similia, iuxta horum uirtutem contemplando poteris ex te ipso componere, & ut ipsas intellexeris causas postulare. Sed si tolerabilis, & non grandis erit dolor loci uel rheumatis, talia (ut dixi) sufficiant. Si uero ingens, & intolerabilis dolor rheumatis hominem post diminutionem sanguinis tangit, non debes talibus uti, nec aqua calida, neq; oleo, nec de farina cataplasma facere, quia omnia ista hostilia, & incongrua sunt rheumaticis causis, uel passionibus, etiã si iuuare uideãtur ad præsẽs, grauius postmodũ lædũt. Sed sufficiat ad mitigandũ graue dolorẽ, si dulcorẽ cũ oleo rosco mistũ, addita modica cera, lẽto igne soluis, et succidis ac pinguibus ua[illegible] in eodẽ infusis, colle[illegible]ũ dolẽti loco supperponis æstatæ frigidũ, hyeme nõ

satis

ſatis calidũ. Simili etiam ratione ſedato dolore utimur, quale ſupradiximus cataplaſmate, uel alio ſimili uirtute, quod poßit, ſiccare, & repellere rheuma, & locum confortare qui patitur. Vtile eſt etiam ſatis penicillum, id eſt, ſpongiolã rudẽ, in uino auſtero infuſum, aut in puſca frigida non minime acra ſi foris in giro cataplaſmata nudis ſuperponis locis. Et ſi ex his uideris dolorem eſſe ſedatum, & locum bene acceptum imminuiſſe cauſam, & impetum cõcidiſſe, nec alicubi ſaniolam fieri: tunc bene uteris emplaſtri medicamine, quod ad rheumaticã cauſam utilißimũ ſcies, quale eſt diacalciteos, uel phenice. Et ſi in uino auſtero lanã intingas, et ſubexprimas, et ſic emplaſtra ſuperponas utilius facis. Si uero pus in aliqua parte eius loci uideris fieri, cataplaſmatibus eã partẽ curabis, ut citius maturecſat, bis aut ter, de farina hordei, addito modico aceto uel uino, & ſic poſtea diaphoreſis ſcalpello curabis ſaniem. Caueas autẽ moneo, ne oleũ aut aquã iſti uulneri rheumatico poſt ſectionẽ adhibeas. Sed ſi forte neceſſe erit, ut lauetur uulnus, aut cũ mulſa, aut uino puro, aut uino, et melle dilues. Et ſi uideris adhuc feruorẽ ineſſe, uel tumorẽ, cataplaſma locũ dũ dolentẽ, quouſq; ſedetur feruor. Si uero ſine feruore erit, et ſine tumore uteris medicaminibus et ẽplaſtris, quibus noſti uti poſt ſectionem. Nihilominus etiã ſupramemorato medicamine

mine nostro diacalcitheo, superposita modica (ut di ximus) lanula, aut spongiola uino ueteri intincta, aut pusca, sed melius si uinum marinũ fuerit. Quod si nõ erit, poteris ipse de praesenti facere tale, adiecto modico sale in uino, & ne pingue aliquid aut unctuosum medicamẽ uulneri isti adhibeas, quale est macedonicum, uel tetrapharmacũ: siccari enim se uult, ual de uulnus rheumaticũ, nõ impinguari, uel humidari. Aliae uero causae phlegmonis quae sunt rheumaticae, nihil prohibet, si humidẽtur, aut calefiant. Nam et si uolueris, aut si necesse erit maturari, ad suppurationẽ, & ad saniẽ citius conuerti, ut poßint aperiri, aut purgari, polline triticeo, cum oleo, & aqua decocta cataplasmabis. Et si opus fuerit, ut eas scarificatione multa producas atq; purges, securus facito, nihil laeserit, sed magis proderit: Illas autẽ rheumaticas phlegmones, id est, quae de rheumate fiunt, si scarifices, multũ mali feceris, si in principio causae id facere ausus fueris, praesertim cum nec postea matura iam causa id fieri oporteat, nisi forte chronicae, id est, multi tẽporis iam tunc factae, & inueteratae. Et si post omnem curationem sui, ut supra diximus remanserint ipsa loca nigra, & quasi obmortua facta, etenim non phlegmones, sed loci illius deformem colorem scalpello purgabis, ut poßit ad pristinum, & sanum redire colo-

rem, quia iam non erit tali loco putandum esse phlegmonē. Sic herisipila quæ iā feruore, & impetu trāsacto, liuidū fecerit locū, & multo tēpore denigratū.

De Herisipila, & cura, Cap. XXXIIII.

HErisipila est feruor in summa cute, ex sanguine, & felle ruso cōmisto et intēperato. Fit ex sanguine feruenti tantū & tenui, quam in principio & ipso feruoris impetu refrigerandā scito, & frigidis esse curandā, & maxime cum sine alicuius causa extrinsecus accidētis fuerit exorta, id est, coriandro trito, cum pane molli modico infuso in aqua frigida, uel succo coriandri, adiecta modica cerusa, uel glaucino, cum uino, & oui lachrymo, & alijs quibusq; talibus uirtutibus. Transacto autem feruore et impetu, etiam calore mutato, si uolueris scarificare locum, nihil læseris, sed profueris. Cui etiam cataplasma si adhibueris de hordeo calido, nec non utilius feceris, & ceroto paragorico, aut aliquo alio quopiam medicaminis diaphoretici habenti bene uteris in postremo. Scito autem minime hos esse phlebotomādos, sed magis purgatorijs chalagogis esse per uentrē purgandos, id est, quæ choleram, id est, fel rufum purgent. Et si non grandis impetus uel causa fuerit herisipilatis, nec

tis, nec hoc opus erit fieri, sed sufficit clystere uti.

De Eadem, & cura. Cap. XXXV.

ILlam uero herisipilam quæ ex extrinsecus accidit, & causas habet euidentes ac manifestas, id est, ex uulneribus, uel cõpunctionibus, uel incisionibus telorum, aut ex percussuris fit aliquibus, si mox à principio cataplasmes hordeo, & scalpello scarifices ante conuenienter & recte feceris, & multum iuuabis.

Item de phlegmone commista, Cap. XXXVI.

ILlas uero phlegmones quæ (ut dixi) phlegmones herisipilatodes dicũtur, uel herisipila phlegmonodes curabis mistim, hoc est, ex phlegmone & heresipila, sicut supra diximus, sed maxime illi rei resiste, quã uideris ex duabus esse molestam, nec alteram penitus intermiscebis.

De Bubone & fimate, Cap. XXXVII.

NEcnon & bubonas, & fimata, & figelta similiter alijs feruoribus scito curandas, præter illas quæ uehementioribus aptæ sunt medicaminibus, ut steathomata, & panuculæ, et herpeton, & cætera quæq; talia.

De Herpete, Cap. XXXVIII.

Erpetas uero purgatorijs similiter ut herisipilã scito curandas, atq; clystere. Ipsa aũt quæ patiuntur loca non similiter. Nam herpes est hiomenos, id est, qui se comederit, & in altum serpit, & late pascitur, uult quidẽ refrigerari, nõ humidari, sicut herisipila, & alius ille herpes est, qui dicitur cancrias. Iste frigidis, & humidis curatur medicaminibus, ille frigidis tantum & siccis, unde neq; lactuca, neq; poligonio, neq; fitraceos herba, quæ in paludibus & humidis nascuntur semper locis, neq; paludestri herba quæ loton appellatur, neq; antulio, neq; portulaca, neq; supraydos, neq; aizo, uel cæteris talibus uirtute frigidis & humidis utendum est, neq; strigno, id est, uua lupina, quãuis sit uirtute sicca mediocriter, neq; spongijs cum aqua frigida. Hæc magis omnia herisipilæ quã herpeti conueniunt. Herpes enim maxime est hiomenos refrigerari se uult frigidis & siccis uirtute medicaminibus, non frigidis & humidis. Ideoq; mox in principio ipsi supraponimus, cõtusa de uittæ cacumina, uel summitatẽ rubi, uel senticis similiter, & plantaginẽ herbam, & alia queq; talia. Postea etiam lenticulæ decoctæ tertiã admiscebis partẽ. Si uero erit necesse, addimus his modicũ mellis. Ipsum uero uulnus curamus medicaminibus quæ

ad hoc

ad hoc ſcripta in pharmacenticis leguntur, & ſoluimus ea uino ſtiptico, & auſtero, ſed nõ ualde uehementi, ſed uirtute tenui, ut eſt maſſalitanum, uel ſauinum, uel adrianũ, uel arſenum, nihil in guſtu acre aut amarum habens, aut certe cum dulcore, uel careno ſoluimus, uel cum puſca tenui. Nihilominus utimur in principio hoc modo. Nam poſtea procedente tempore, cum iam chroniæ erũnt, non cum dulcore his utẽdum eſt medicaminibus, ſed aut cum puſca uehementi, aut cum uino uehementiori uirtute quam ſuperius quale eſt maxime colore nigro, & uirtute ſicciori. Sed in hoc tempore utendũ eſt medicaminibs illis quæ poſſunt ſua uirtute ualde ſiccare cauſam uel loca quæ patiũtur, quale eſt (ut diximus) muſa, uel androniũ, uel paßidonis, uel polidis, uel alia quæq; talia.

Item de herpete, Cap. XXXIX.

Herpes quæ in ſumma cute tantum facit uulnera etiam ſi ualde ſit chronia, nullum tamẽ poſtulat medicamen ex his quia ſunt uehementißima illa quæ diximus medicamina, & ualde ſicca. Sed ſufficiat illis uti medicaminibus, ut quæ glaucia, et reſolui ea cum ſucco plantaginis, uel ſtrigni, aut ſi hæc non fuerint, cum puſca tenui. Illud autem uolo ut ſcias, quod idem uulnus ſiue intrinſecus fuerit ex humore

aliquo, siue extrinsecus ex percussuris, uel incisionibus quibuslibet, siccari magis quam humidari, & medicamine non ualde acri uirtute, aut mordente, nisi forte cacoites erit uulnus & supputrens. Nam ista talia uehementi & ignita uirtute medicaminibus uolunt se curari, ut est nitrum, calcitheos, auripigmentum, & sandaraca, & alia quæq; talia quæ possunt, ut ignis exurere, & consumere loca putrētia. Quod si aliquoties his nihil profuerint uulneribus hæc talia, ignis adhibemus curationem ad desiccandum humorem & putrilagines extenuendas.

De Carbunculis & cura, Cap. XI.

HIs *etiā medicaminibus antras curabis, id est, carbūculos. Sed sup ipsas escaras, id est, usturas, ubi putridus erit locus, adhibemus tantūmodo ea medicamina & non in giro loci, ne forte uulnerent ea loca, uel comedant, sed andronio, aut musa, aut alijs supradictis trochiscis linimus deforis loca quæ sunt circa uulnus cum dulcore. Si ingens ardor loci, & rubor fuerit, cum succo plantaginis linimus. Si uero magnitudo erit turgentis tumoris, primo linimus cum uino austero stiptico, deinde & cum aceto. Vtimur etiam cataplasmate de farina orobi facto, cum aceto*

aceto & melle, & si nihil obstat, uel impedit mox à principio sanguinis detractio utiliter fiat, iuxta uirtutem hominis, & causæ magnitudinem. Hæc ergo omnia, ut in principio dixi, considerabiliter facienda sunt, & cognoscenda est uniuscuiusq; membri quod patitur physis, id est, natura, temperãtia, quæ sunt sicca corporis membra natura, quæ humida, quæ frigida, quæ calida, uel quæ densiora, uel quæ rariora, uel quæ fortiora, quæ imbecilla, quæ horũ citius, uel quæ tardius sentiunt, uel quæ diu sufferunt medicaminum uirtutes, quorum & natura inspicienda est. Hinc enim poteris scire in curationibus quãdiu quid eorum & qualiter sit faciendũ, & refrigerandũ, calefaciendũ, aut humidandũ, aut siccandũ. Nã ut totius corporis, ita etiam cuiusq; mẽbri physin debemus cognoscere, ipsa enim nos docebit sui curationem. Scio enim te non ignorare, q̃ mẽbra, uel loca corporis, quæ sunt naturaliter carnosa, si phlegmonem, id est, si feruorẽ patiantur aliquem non penitus debere exiccari, sicut illa loca uenosa, id est, uenis abundantia, atq; magis, illa minus ut sunt arteriæ. Minimeq́; omniũ p̃siccãda, præcipue quæ sunt neruosa, cartilaginosa, atq; ossosa, et antequã ad pristinã pars quæ patitur redeat naturã, nec dũ putandũ esse p̃curatã, nisi operis quo fungebatur officiũ exequatur sine tedio similiter, ut ante a. Ex-

tea. Exiccāt enim ualde, et ad siccitatē perducūt, quot quot frigida medicamina uirtute sunt. Et cætera iuxta suam uirtutē aut prosunt si congrue considerātur quæ adhibeantur, aut lædunt, si incōgrue, præter hæc quæ dixi fuerint adhibita. Mēbrorum qualitates, id est, tēperantiæ, quas consimiles physi diximus, curationum uariant modos. Aliter enim feruores oculorum, aliter aurium, aliter gutturis curamus. Quis enim audet in feruore oculi mittere oleum nardinū, uel aliud quidpiā tale, ut in aure solemus adhibere, uel nitrū, seu castoreū cum lacte mulieris, uel glaucinū tepidū, aut nō potius lachrymū oui oculo infundimus, uel lac mulieris, aut libanū cum aqua, aut cum supradictis liquoribus solutū tepēs? Aut quis audeat auribus infundere, quæ synanchici solēt utiliter gargarizare, id est, hyssopum, palmulas caricas coctas in dulcore admixto cantabro decocto, uel alia quæq; talia, quæ sunt in pharmacenticis singulatim ad unam quanq; causam proprie descripta, suo quoq; in tēpore cōsiderātur iuxta ut sunt causæ, uel loca quæ patiuntur adhibendo? Sic enim poteris scire ubi antipasin causæ, & quādo debeas facere, uel metacenthesin. Antipasis ergo fit cum adhuc confluunt ad aliquem mēbrorum locum mali humores, & faciunt causam. Metacentesis ergo fit cum iam fluendo, & cum currēdo in loco sederint, atq;

atq; concrassauerint, & locum tenuerint, & causam fecerint. Antipasis est contraria conuersio, ut si in fœmore humores de aliqua parte corporis cõfluãt, mox uenam in brachio soluam, & cursum humoris cõuertendo nascentẽ intercipiam causam, aut certe ad mamillas cucurbitas ponã, uel calefaciens manũ faciam fricari, aut ligaturis articulos constringã manu. Metacentesis est deriuatio humorũ cum intra fœmur de crure, aut de talo soluendo uenam auferã causam, & per aliam partẽ deducendo deriuem, & purgem locum in femore, uel loco qui patitur, cucurbitas adhibeam, cruraq; calefaciã, & cõfricem, & ligaturis cõstringam. Si ergo dextra pars matricis, uel corporis patiatur, de dextro brachio, & dextro crure trahimus sanguinẽ ferientes illam quæ est intrinsecus uenam, quia prior est membro quod patitur. Si uero sinistra pars patitur, de sinistro brachio, uel crure fieri oportet sanguinis detractionem, ita & si hepar in feruore est, de dextro brachio auferimus sanguinẽ. Si splen de sinistro, feriens inferiorem uenam. Sic & aliqua pars superioris corporis si in feruore erit posita, ut est faucium synanche, & oculorum feruor, & impetus grauis, ac subitus dolor capitis, de ipsis, id est, de sublimibus detrahimus sanguinẽ p antipasin, siue per metacentesin. Et purgatorio uentris, & diu-

verticis medi caminibus, si opus fuerit, uel capitis purgatione utimur, diligenter cõsiderantes horũ curationem et utilitatem, uel etiam clysterem adhibemus, si causas uiderimus postulare. Sed ista talia mox in principio utiliter adhibemus. Si uero chronica fuerit causa facta, id est, iam inueterata, tunc de ipsis quæ patiuntur locis, uel membris, magis conuenit auferri sanguinem. Si enim synanchicis, incidimus sub lingua uenam, cum tamen prius (ut diximus) euacuando omne corpus iuuerimus, & causam nihilominus uiderimus in longum se protrahere, ita tunc & spleni, & iecori ipsi, & lateri cucurbitas cum scalpello imponimus, & alium quemcunq; locum scarificando purgamus, cum uiderimus causam iam chronicam factã, & nullum in eum confluere humorem. Aliter uero si id facias, non dicam quod non iuueris, sed etiam multum læseris. Illud ante omnia considerandum est nobis, ut nouerimus qualitates medicaminum, uel uirtutes: Deinde & naturas locorum, uel ipsorum quæ patiuntur membrorum. Nam aliqua eorum tarde sentiunt, ut est splen, pulmo, colon intestinum, & quæ diutius differentes uirtutes medicaminum, etiam si pondere grauia sint, quæ adhibeantur beneficia, nõ grauantur, aliqua cito, uel mox sentiunt, et non diu sufferunt uehementia & acria uirtute medicamina, ut est

oculus

oculus, os uentris, iecur, & cætera talia, maxime quæ in feruore sunt posita, nec illis proderit quãuis leniant & molliant. Quod si acria beneficia, & diutius super modum, aut non in tempore quod debent adhiberi adhibeantur, indignantur magis quam sanentur, sicut illa quæ tarde sentiunt, & diu differunt nihil iuuantur, si mox adhibita auferantur beneficia antequam sentiant, & operentur, & illa tarditate, & perseuerantia iuuantur, ista uero celeritate & nonulla continuitate læduntur.

De tumore et cura, Cap. XLI.

TVmor est moles carnis inflatæ submollis sine dolore, qui fit ex spiritu uaporante, uel crescente sua uentsiotate, sicut crescere uidemus corpora mortua, quæ tamen causa proprie in cruribus uel pedibus fieri solet phthisicorum, & caceticorum, hydropicorum, uel stomachicis. Sed si in his causis cõgrua adiutoria fiant, hic talis tumor qui sintoma dicitur, cito sedatur. Nam cum fricatione manus, & per unctionem olei rosei cum aceto, addito modico sale, nitro, & oleo tantum si ungantur, & confricentur blanda manu diutißime, mox sanatur. Si ex phlegmatico humore ꝑ abũdantiã in aliquẽ locũ, confluẽte tumorẽ talẽ uideris exortũ, mox spongiã nouã in puscam infusam

superpo-

ſuperponis,& ſanaberis.Et ſi fortis corpore uel car ne erit,atq; dura cute is qui patitur,puſca acrior eſſe debet,aliquid etiam ſalis habens,uel aluminis.Spõgia uero ſi non erit ad præſens noua,uetus qualiſcunq; habetur,lauetur nitro,uel oui uitello,uel ſapone,diligentiſsime idẽ facit.Si uero (ut fieri ſolet) nihil uideamus proficere,& nec ad melius fieri,ut illuc confluentẽ humorem poßit cauſa abigere, debemus diaphoreticis uti medicaminibus,& magis tũc ſi ſit ſolidatus tumor inueterata cauſa, ut ego curaui ſæpius:talem oleo perungens locum,molli diu perfricãs manu. Deinde ſpongia (qualem dixi) intincta lixiuio, et ſuperpoſita fortiter aſtringis & mederis mirifice.Item milij farinã tricocinabis & cum ſucco cameotis diſtemperata,mirifice uteris:Si uero in membrorum articulo hic talis tumor fuerit natus,ligatura ſuperior mitior deſcendet in inferiores partes, rurſumq́; ſi deſuper recurrat ueniẽs unde cœperit,id eſt ad ſuperiora ab inferioribus reuertatur,& illic ſic fiat ſicut in fracturis fieri ſolet, ut confluens illic tumor poßit repelli.Deinde (ut dixi) medicaminibus diaphoreticis utendũ eſt quæ à ueteribus & antiquis ſcimus utiliſsima eſſe. Quorum unũ: Recip.ſpumæ argẽti drach.27.adipis porcini ueteris unc.1.olei ueteris lib.5.et s.euiſci radicum lib.2.cõficitur ſic:Radices et adipes porc.cum oleo diutiſsime co-

ques

ques, & sic firmiter coletur, decolationi cui spuma argenti tenuisse trita supra mittatur, sine intermißione agitetur & iterum lento igne admodum emplastri decoquatur, & uteris, & alijs similibus. Si uero tumor antiquus & inueteratus sclirosin fecerit, & si penitus sine sensu fuerit, ut non sentiat, nec tactũ, uel compunctum, talem hunc moneo relinquas, ne in cassum labores, quia insanabilis est. Si autẽ sentit, uel per modicum, non penitus est insanabilis: tamen non satis facilis ad sanitatem.

De sclirosi et cura, Cap. XLII.

Fit autẽ sclirosis, id est, durus ut lapis tumor, ex gluitnoso quodam & spisso, atq; frigido humore, qui confluendo ita membris infigitur, ut insitus loco ubi sederit esse uideatur, ita ut nullo modo ipse tumor exinde poßit euelli. Fit frequenter sclirosis, etiam ab indoctis medicis, qui non intelligendo mox à principio uehementer ea quæ tali humore loca laborant, atq; intumescunt, diaphoreticis curẽt medicaminibus, sublataq; tenuitate humoris spißitudo, quæ remanserit, feculenta quasi in lapidem cõstringitur. Sic herisipila, & phlegmon uertitur in sclirosin, si nimium stipticis & frigidis mox à principio perseueranter medicaminibus curentur. Vnde oportet non ualde sicca debere esse medicamina, quæ sclirosin curant, sed

rant, sed mediocriter habere calorem, humorem quidem nec nimium, nec penitus parum. Nam si sunt nimis humida, non faciunt diaphoresin omnino. Si uero parum sunt humida, siccant magis, & constringunt. Proinde debent esse temperata, & dicuntur malactica, ut sunt medullæ, adipesq; omnes, uel seuum ceruinum, qđ est primum inter omnes, deinde taurinum, uel uitulinum, aut aliquid aliud.

De apostematibus, Cap. XLIII.

NVnc de apostematibus tibi dicere breuiter uolo, id est, de collectionibus & suppurationibus, quæ ex diuersis oriuntur causis. Nam sæpe phlegmon, & herisipila si male curentur, faciunt apostema. Fit præterea apostema aut ex ipsius loci humore in quo nascitur corruptio, aut ex alijs partibus corporis illum in locum confluenti humore. Fit aliquoties ex uapore spiritus, uel uentositate corruptis humoribus: & trombus sanguinis, id est, globus quidam sanguinis constrictus, admisto sibi spiritu in apostemate inuenitur, & non sine sanie, aliquoties frequenter etiã in ipsa sanie frusta quædam carnium reperiuntur putridarum. Est ergo apostema primum cum sit constrictus in duritia tumor cum rubore & ingenti feruore, atq; dolore, non sine pulsu, atq; constrictione punctus. Deinde cum commaturauerit potest comprehendi di-

digito

gito mollius continens ſaniem purulentam carens do lore & feruore, ſeparata cute à carne, magnitudine ſarcinæ inferius tumet, & tumor impoſito digito cedit, & ſi contingatur blanda manus uiſitatione totum quod intra ſe continet quale ſit ſine dolore indicat. Nam in principio tangi ſe nec per modicum patitur, nec etiã apiri nõ refugit, et cito quidẽ iſta quæ deforis naſcũtur apoſtemata, ſine piculo ſanãtur, et ſine potatione aliqua medicaminis. Cura.

Illa uero quæ intrinſecus naſcuntur corporis, & in ipſis extis & uitalibus exiſtunt, uiſu tactuq; carentibus non facile cognoſcuntur atq; ſanantur, quia non ſine periculo ſunt, ſed ſi ſignis proprijs aduertantur ex ipſorũ in quibus naſcũtur natura mẽbrorũ uel poſitione. Si in thorace, ſi inpulmone, ſi in iecore, ſi in ſtomacho atq; uẽtre, ſi inſplene, ſi in latere, ſi intra coſtas atq; in ipſo himene coſtarũ, uel ſi in matrice apoſtema naſcitur, ex ipſorũ locorũ dolore potes cognoſcere, et ſic ſumma diligentia primum inquirendum eſt & aduertendũ, deinde potionibus medicaminũ ad hoc talia faciendorum. Et aforis cataplaſmate utendũ, uel emplaſtris utiq; talibus qbus diſpergitur ea cauſa, aut ſiccetur, aut ſi fieri nequit utẽdũ eſt qđ citius matureſcat et rumpatur purgetur et ſanetur, quorũ multa in pharmacenticis ſcripta legiſti, quæ apoſtemata corrũpũt.

& ſi non

& si non diligenter ante purgaueris, & sic cicatrizaueris, scito quia rursus sordes ipsæ reserpunt. Nam ista quæ deforis nascuntur apostemata, facile cognoscuntur & sanantur, si fuerint curata, & mox à principio tentandum est dispergi, & siccari medicaminibus diaphoreticis, uel alijs quibus poteris congruis medicaminibus, ut si necesse erit pro loci causa aut ipsius difficultate, festinandum est ut citius maturescat, & dolor minuatur, quia frequenter febris ex hoc nascitur. Considerandum est et ad dietam ipsorum, ut ne quid ex hoc peius accidat. Curabis ergo apostema quod nolueris citius maturare & rumpere uel siccare, & cataplasmabis. Sed primo aqua calida malactica in qua decoxeris cuiscum fomentabis diutißime, et de oleo calido frequenter loca perungens. Deinde pollinem tenuißimũ triticum cum aqua & oleo modico diligẽter decoques & cum oportet cataplasmabis donec siccentur: Si uero uolueris reprimere & prohibere suppurationem, id est, ne conuertatur locus qui patitur ad saniem de pane cataplasma, id est, ex aqua & oleo diutißime coques, & ita uteris in principio causæ, hoc est enim diaphoreticum medicamen. Fermentum panis salem habens bene optimeq; in furno decoctum idem præstat, & farina hordei similiter coquatur, & cataplasma fiat, nisi quod hordeum magis siccat, panis autem paragorizat.

gorizat. Vtilior est panis si sit eupyrus, & nõ multorum dierum, eupyrum panem dico, de quo non eijcitur candidũ, neq; mulũ furfuris, & magis diaphoreticis facies cataplasma sic: Caricas pingues in aqua coques, quousq; ad spißitudinẽ mellis redigatur, & ita eadem colata panem admiscebis & coques, & cataplasmabis. Sed uolo ut scias, q̃a pollines tritici ad suppurandũ & maturandũ apostema efficaciter accipiũtur, quia proprie uirtutis pepticæ sunt. Hordei autem farina diaphoreticæ uirtutis est, panis autẽ eupyrus mediæ uirtutis est, sed magis diaphoreticus quã pepticus, id est, tardior ad supputationẽ quã ad diaphoresin. Et si in gentẽ tensionẽ cutis eius loci in quo apostema uel collectio est uiderimus, scarificamus locum non copiosis, neq; profundis, neq; plurimis plagis, & ita cataplasmandus est desuper hordeo, ut diximus. Et si nihil senserit ex hoc beneficio, rursus profundioribus utimur scalpellãdo plagis, quia sine dubio spissus quidam & pinguis humor craßitudine sua inhærens loco, quasi glutis quædã, aliter nõ potest auferri & siccari, & quasi uulnera curamus ipsas plagas post scarificationem, quia his talibus causis talia conueniunt in principio duntaxat. Et si uideris tardiorẽ diaphoresin fieri, addis in ea aquam ubi caricas coxeris hyssopum, origanum, & erit utilius. Si uero plus

Z uolueris

uolueris ſiccare locum, addis etiam ſalis quantum ſue ris arbitratus ſufficere, et ita facies cataplaſma de fa rina hordei, & uteris. Cum autem uolueris ſiccare ue hementer non ſatis furfuris habeat farina, nec peni tus ſine furfure ſit, & bene coquatur. Sed moneo dū hæc facis, ut quotidie diligēterq; locum attendas, ne nimiū ſiccando ſclirofin facias. Quod ſi fieri iam ad uertis, illico occurris medicamine hoc: Cucumeris a greſtis radices, aut brioniæ in aqua diutiſsime deco que, & ſi uideris neceſsitatem addis ut ſupradiximus caricas pingues, deinde colata aqua farinam admi ſcebis, & adipem anſerinum, uel pullinum, quantum ſufficere putaueris. Sed ſi adeps gallinaceus & anſe rinus non aderint, adipe porcino pro eo utere, & i pſis etiam ſupramemoratis brioniæ, & cucumeris ra dicibus utendum ſcito congrue coctis, ſic admiſto adi pe & pane, addita etiam euiſci radice in aqua deco cta, ſimulq; trita in modū cataplaſmatis, diaphoreti corū uirtute apponis. Fortiorē uero ſcito his ualde di aphoretica uirtute, dragonteæ herbæ radicem. Et ſi quando eo uti uolueris, ad hæc talia de quibus ſupra diximus, uteris addendo adipes malacticos. Nam ſi aliter uteris, poteris quidem cauſam ſiccare, & hu morē loci ipſius, ſed ſclirofin facies, id eſt, in duriti am inſenſibilem uertes, quam poſtea ſoluere diffici le poteris

le poteris, quia fit uti lapis. Et ideo his talibus & uehementi præsertim uirtute diaphoreticis specie- bus, cum necesse erit uti oportet, primum adipes ma lacticos admisceri. Ergo si diaphoreticis cataplas- mes medicaminibus, et senseris ocum, id est, mollem, duritiē collectionis non posse minui, atque siccari, sed ad saniem magis, & ad suppurationem conten- dere, eodē utere cataplasmate, de quo supradiximus, id est, farina triticea quæ mox maturat, & ad suppu rationē uel saniem adducit. Et cum bene uideris ma- turatum, & ad sectionem molle factum, securus seca bis iuxta loci uel membri qualitatem, & secundū ma gnitudinem ipsius apostematis. Si una, si duabus, si tri bus, & opus fuerit dieresibus, id est, sectionibus, et non semel totum euacuabis, præsertim si grande a- postema erit, sed partibus quæ latent in alto expri- mis atque mulges, et ita fiat, ut non malfiant, atque eclipsentur. Est enim ubi paracentesis fit, id est, ro- tunda sectio, aut in modum myrtæ folij, quā diximus mirsionidem ut in inguine, uel sub asella, si sit aposte- ma, et si opus fuerit, deinde lemnicis uteris, sed non diu, ne sclirosin facias. Et cum iam nullus erit feruor in giro uel circa sectionem phlegmonis, paracolle- cticis curabis medicaminibus, nullam austeritatem, uel acredinem habentibus, sed mediocriter siccan-

tibus, & mollie̅tibus, quale quod diximus diazinium est emplastrum, uel diacalcucecaumenon, uel ostreō, uel diasinicon. Et si aliquid ibi adhuc inest feruoris, solues adiecto oleo roseo diasinicon, & cum refrigerraueris manibus eum tēpera cum uino, & ita inductum in linteolo superponis. Si uero non dissolutum & solidū uideris apostema factum, id est, quod non facile possit adhærere, fit enim per nimiā suppuratione̅, quando cutis ipsa ut pannus contritus nimiū succum uiuacē emittit, & dicitur colpus, id est, quasi sinus quidam pendens intus, non in suo tēpore sectus, tunc etiam maioris curæ diligentia est opus, quia cito solet hæc talis causa facere fistulas, aut rheumatizare & mutare loca, & quasi pascendo repere de alio loco in aliū, tunc debemus mulsa lauare aquata, ut pē diginem, uel colpū ipsum purges, & cum iam purgaueris de mulsa, tunc demum de modico melle lauabis per oliscū tenuem, siue æreum, siue osseū, uesicæ aptū porcinæ. Et ita nostrum medicamē quod dicitur diacalcucecaumenon modicum in multo oleo roseo temperas, uel medicamentum quod dicitur isis, uel aliud tale tepens per eundem oliscon, uel etiam per colpū infundes. Deinde tiltario facto, id est, linteolo minutissime carminato claudis plagam, uel os ipsius colpi. Et cum uideris nutritam iam carnem, & factum carnosum

nosum, atq; mundum, desuper appones paracollecti=cum emplastrum, quod dicitur barbara: Recip. aspaltum, uel diaconic, uel meline, uel cirre, quæ recipiunt lithargyriũ, uel spumã argenti. Scis enim quia omnia metalla quantum fuerint plus excocta, tantum siccio ri fieri uirtuie, & magis exiccare humorem. Ideoq; utilissima sunt talia ad paracolesin, uel pendiginum, uel aliorum uulnerũ. Vtile est etiam super emplastrũ quod adhibes paracollecticum penicillum, id est, spõ giolam nouam in oxymelle intinctam, & expressam superponas, & ligas, sed ligatura à calce, id est, ab imo incipiat strictior, temperate tamen fiat ueniens ad os uulneris laxior paulo schemate duntaxat seruato, ut si sit uerbi gratia in brachio apostema, & os ipsius uel apertura in cubito manus, manus suspendatur ad humerum, ut humor omnis posit ad cubitum. uel ad os uulneris defluere, et intus non stare, neq; in altum repere. Sic & in alijs quibuslibet locis obseruando facies sine dubio. Emplastrũ uero quod superponis forfice aperies, ut contra uulneris os sit apertum ad euacuationẽ humoris uel saniei. Quod tamen cum tiltario cooperis, quem tertia die auferes manente emplastro paracollectico, & scito paracolesin fieri optime si saniem modicam & candidam, & digestam bene uideris exire. Et si neq; dolor, neq; rubor,

aut feruor est loci ipsius qui patitur, & si iam siccus erit, omnino scito paracolesin factã. Si uero tertia uel quarta die adhuc sordidus & indigestus humor, & sanies exit, & non parua, & cum dolore, scito non esse factam paracolesin, tunc debebis eo medicamine uti, quod non Recip. ceram, et dicitur cyron, quo nihil uirtute siccius est, & nihil tam paracollecticum, quod conficitur ex metallicis, & oleo sicyonio & aceto. Nam & fistulas hoc medicamine difficiles, & profundas scio me aliquoties curasse sordibus plenas. Primo lixiuio dilui paraliscon fistulam, & cum purgassem bene, suprapostui hoc medicamen, & mox paracolesin feci, & curaui ad integrum, ita ut colpos sordidos, & multam putrediñem habentes, primo lixiuio scito diluendos, & purgandos, deinde in oxymelle, id est, uino & melle diluendos, & sic hoc medicamen super ponẽdum, & desuper spongialam, ut supra dixi ligandam, optimum scito ad hæc talia etiam & mel non nimis decoctum. Deinde sublato de igne, & tepefacto myrrham modicam, aut aloën, aut certe thuris, mãna tenuißime trita supmittis, & sic linteolo uel in molli alluta inductũ in modũ emplastri tepidum supraponis. Simili modo & centaurea tenuis, id est, minor facit, & simphitũ, & iris illyrica, & orobi farina cum melle decocta uteris pro emplastro,

quia

quia omnia paracollectica sunt, sed ista iã cocto mel le & tepenti, & foris ab igne deposito supra mitten da scito, & permiscenda, & dum tepuerint, suprapo nenda sunt ut emplastrum.

De Cancrenis, Cap. XLIIII.

Cancrenæ dicuntur non præmortuæ carnes, sed adhuc morientes, & aliquantulum uitæ, sensusq́; retinentes, nigroq́; colore fedatæ. Nam nicrosis dicitur caro, uel membrum quod penitus mortuum est & sine sensu, & ideo neq; ferrum, neque ignem sentit, neque si compungatur scit. Vnde mox cui hoc malum uenerit, auferri penitus debet, & secari usque ad uiuum, & usque ad eum qui sanus est locum, ita ut nihil de mortua remaneat carne, & deinde curandum ut fiat cicatrix. Illa uero pars quæ adhuc aliquid sensus retinet, & non penitus mortua est, frequenti scarificatione & scalpello purgabitur, atque curabitur, nunc multis & profundis plagis, nunc paucis & leuibus, ut locus & ratio causæ postulauerit. Detracto enim sanguine & constricto, considera loci neceßitatem, & quæ sunt uenæ, & arteriæ, quæ non habent exhalationem, atq;

naturalem purgationẽ. Et ideo post scarificationem uteris illis medicaminibus quibus putrentia, & putrida curantur uulnera, id est, farinam orobi cum aceto & melle decoques, & cataplasmabis locum. Idem facit & fabæ farina similiter cum aceto et melle cocta, & apposita. Et si uolueris uehementius siccare locũ, addis aliquantulũ salis. Demum si opus fuerit, uteris etiam trochiscis cum aceto uel uino. Maxime moneo, ut semp attẽdas cum hæc talia uehementiora medicamina adhibes, ad qualitatẽ, uel habitudinem corporum, & uirtutem eius cui adhibes. Si fortis, & durus corpore est, facile fert uim medicaminis. Si mollis & tenuis est, non suffert. Necesse est enim talia adhibere uirtute medicamina, qualia uiderimus & corpora, quia uir, & mulier, & infans multum distant, & corpore, & uirtute. Et si de rure sit quis, & opere quotidiano, uel si de urbe & ociosus, et si iuuenis, aut senex, & si solitus, aut insolitus hæc pati, alij fortißima uirtute medicamina uolunt, alij imbecilliora petunt. Sed cãdida quidem corpora, & tenera, & infirmiora sunt, Nigra autem uel rubea, ualida magis & firma sunt. Et si quando siccaueris, uel incideris aliquod membrũ, considerabis mẽbri ipsius uel loci qualitatẽ, atq; uirtutẽ, quia aliqua horũ cito cõputrent, si negligẽter curentur. Alia tardius sentiũt medicaminum

num beneficia, alia citius. Vnde si quãdo erit necesse amputari, uel exiccari aut incidere aliquod corporis membrũ, usq; in confiniũ sanitatis abscindes, ita ut nihil putridæ carnis relinquas, sed magis de uiua, aut sana carne aliquid auferas. Si enim melius & citius ad integrũ curabis. Et cũ cauteriũ apposueris, locũ porri folio tenero cum sale trito cooperies, & citius escara, id est, combustio ignis cadit, atq; feruor minuitur. Hoc etiam ad morsum canis utilissime prodest, mox appositũ ut postea, id est, post triduũ sublato porro, puluere cephalico cum melle uteris, & citius cadet escara, & melius feceris sup hoc, si de pane uel hordei polline modico admisto ex oleo et aqua cataplasmaueris. Excutit etiam escaras medicamen, quod diximus tetrapharmacum macedonicum, si diligenter apponatur, & alia quæ Recip. scuum taurinum, uel bubulinum, uel caprinũ, oleũ & ceram, & alia quæq; medicamina, quæ suppurationem faciunt, id est, quæ ad saniem cito perducunt, nec non etiam panis cum apio uiridi, uel ozimo tritus & appositus, rumpit & suppurat escaras. Idem facit & iris, si cum melle teratur, & panacis radix, & aristolochia rotunda, & acorus. Et si molli corpore erit qui patitur, sufficit & orobi farina tantũ cum melle, si adhibeãtur ad discutiendas escaras, id est, adustiones, et thus masculum,

similiter cum melle idem facit, & medicamen, quod dicitur materionis, & sithidis cum melle solutũ. Hæc medicamina adhibita escaras resoluũt atq; excutiunt. Et cum ceciderit escara, epiloticis curabis medicaminibus quæ cito hæc talia cicatrizant & sanant.

De Eodem. Cap. XLV.

NVnc etiam de cancris, id est, cancrosis uulneribus dicere tibi disposui, quæ ubiq;, id est, omnibus propemodum corporis fieri partibus, & nasci cito, sed maxime propriẹ in mamillis mulierũ, quæ non purgãtur mẽstruo naturali. Nã quotquot tẽpore solito & congruo ex more purgantur mulieres, sanæ sunt et difficile hæc talia illis contingunt. Noueris tamen generaliter cãcrum ex melancholico humore nasci, id est, nigri fellis abundantia, & nimietate, & corruptela. De cuius origine in alijs locis dicemus latius, quia ex sanguinis fece nigri & spißi, & inutili, admixti fellis rufi nimia excoctione fit per frixum, uel nigrum, quod splen ad se rapit, atq; consumit, quia inde pascitur. Hoc cum abundauerit extra modum uitia corporũ facit, non solum canceromata, uerum etiam uarices & elephãtias, & uenas tẽsas atq; plenas, & in suris maxime, uel in fœmoribus. Aliquoties etiã p hemorrhoidas purgatur

hic talis

hic talis humor, quia nõ potest splen tantum quantum mos est ad se trahere, atq; cõsumere, & infirmior ipse factus, uel nimietate humoris superatus. Et ideo infunditur in uenas, & in cute totius corporis, & maxime in sumitatibus, id est, in uultu, in facie, in manibus, in pedibus, & dicitur elephantia. Aliquoties in partibus corporis, & euidens, & occultus, ut in mamillis uel in matrice, & dicitur cancer. Videntur etiam uenæ eorũ locorum, ubi consederit hic talis humor, plenæ atque tensæ sanguine corrupto nigro. Quia quanto nigrior & spißior erit, tanto peior periculosiorq; credendus est, & grauior, insanabiliorq; causa, et in mamillis quidem sæpe uidemus cancro similem effigiem atq; formam, unde & nomen ex similitudine accepit. Namsi cut illi pedes, ita huic uenæ protensæ ex utraq; parte cernuntur: Quam quidem causam in principio mox, id est, incipientem, scias à nobis & medicamine, et ferro facile esse curatam. Inueterata autem nullo medicamine, & nullo ferro non sine periculo potuisse sanari. Quippe si in magnitudinẽ excreuerit, & totam tenuerit mamillam si incidatur, dubium est si euadat, quia et hemorrhosagia uerẽda est, et phlegmon, id est feruor grauis, ex quo febres solent acutißimæ nasci, quæ uulnus sordidãt et periculũ mortis inferũt, et reos cõstituũt medicos, si hæc oĩa ante tẽpus dixerint esse uentura.

Cura.

Cura.

Oportet ergo mox in pricipio purgari eos frequēter purgatorijs quæ melancholicum purgent humorē & tandiu scito id faciendum, donec minuendo penitus causa purgetur. Sunt uero purgatoria ad hoc utilissima, quæ Recip. epithymum. Demum si nihil est quod obstet, aut impediat, aut prohibeat sanguinis detractionem, phlebotomabis in brachio, denuo intermißis diebus purgatorijs quos diximus purgabis, & si mulier erit ætatis congruæ, menstrua uehementer prouocabis. Quod si 50. annorum erit quæ hæc patitur, & minime hæc facere potueris, & ipsum locum ubi cancer erit, succo strigni illinis frequenter, quia est maxime congruus ad hæc talia. Quod si forsitā noluerit is qui patitur id sibi fieri, aut certe tædiabitur propter liquorem succi, eo quod aut decurrat, aut uestem coinquinet succum hunc admiscebis medicamini, quod dicitur diapomphilogos, et in modū ceroti bene tēperabis, & ita in linteolo mundo inductum adhibebis, uel certe nostro medicamine, id est, fenicis simili modo pmixto succo uteris. Nam cancrum si iā uulneratus est, istis curabis medicaminibus, et magis de illo quod dicimus diaphomphiligon. Dieta uero his maxime conuenit fuctus ptisanæ in lacte decoctio. In aqua uero de oleribus id est, malua, atriplice, bleta, & tempore suo cucurbitis

bitis decoctis. De piſcibus autem dabis omnes ſaxatiles. Et de uolatilibus uteris, præter illa quæ aqua uiuere conſueuerunt.

Vnguentum.

VNguentum diapomphiligon, puluis plumbi uſti lauati, pomphiligon libani ana unc. 1. pſinucij unc. 2. ceræ unc. 6. olei roſci unc. 6. uuæ lupinæ fructus ſuci, quod ſufficit coquito, & facito unguentum, ut mos eſt, & uteris ubi neceſſe erit loca refrigeratoria facere.

Aliud unguentum.

VNguentum ad paralyſim. quod Recip. leuiſticum, iudaiſca, centiniuam, linguam canis, pedaſinam, centrum galli, barbam iouis, barbam ſyluani, ſiſimbrium hortulanum, uiolaria, branca lupi, de aqua omnium 11. lib. Puluerís olibani unc. 1. antimonij drach. 4. ceræ albæ unc. 1. axungiæ ſcrophæ unc. 1. conſice, ut mos eſt.

Explicit liber quintus.

GARIOPONTI MEDICI VETVSTISSIMI LIber Sextus.

De febris definitione et generibus eius, Cpa. I.

FEbris est calor innaturalis præter naturam cordis & arteriarum principaliter lædens operationem uirtutis. Tria aũt sunt genera febrium, unum in spiritibus, alterũ in humoribus, tertiũ in solidis. In spiritibus uero effimeræ dicũtur. Ex humoribus uero, ex phlegmate q dẽ intra uasa putrefacto, à calore præter naturã à corde ꝓcedente, ãphemerina sinocha fit. Si uero extra uasa phlegma putrefiat, ãphemerina intermittẽs. Ex rubea uero cholera putrefacta in uasis, fit tertiana indeficiẽs, quæ & causon & sinocha dicitur. Si uero extra uasa eadem cholera putrefiat, fit tertiana intermittens. Si uero melãcholicus humor in uasis putrefiat, fit quartana sinocha. Si uero extra, fit quartana intermittens. Sanguis si putrefiat intra uasa, sinocham facit, quæ caret

ret intermißione, eo q. p humor maxime amicus naturæ periclitatur. Proportionaliter enim est in alijs tribus humoribus. Phlegma enim quod post sanguinem magis est amicus naturæ, si putrefiat amphemerina fit, quæ duodecim occupat horas, duodecim tantũ intermittens. Quæ uero ex cholora rubea fit, quoniã humor iste minus est amicus naturæ, duabus prædictis, is putrefacto, tardius in tertia die fit paßio. Nam quæ ex quarto humore, id est, melancholico fit, quoniam humor, iste est naturæ minus cõueniens, putredine facta fit tardius, id est, quarta die paßio accidit. Ephemeris uero quæ ex spiritibus præter naturam calefactis, id est, ex animali qui est in cerebro uitali, qui in corde est physico, qui in hepate, fit ex ira, aut ex timore, aut ex cupiditate aut aliquo huiusmodi. Et quia subtilis est materia quæ patitur, facilius ex solo lauacro soluitur. Tertiana uero, uel quartana, uel quotidiana, si putre facta infra uasa, fit sinocha & causon cõtinua, ut supradicitur. Quoniã et si ad tẽpus cessare uidetur, eoqd' alq̃ntulũ minus laborãt patiẽtes, tamẽ tũc pat ũturet si nõadeo Frigus aũt et rigor ĩ febribus uidetur fieri humoris sup fluitate, calorẽ naturalẽ supãte et q̃si extinguẽte. Qui dũ paulatĩ cõualescit, ipsam supfluitatẽ succẽdit, et p singulas acceßiones piodis eã ex parte consumit. Dũ uero p interualla febris uidetur cessare, natura uires resumit

sumit ad inimicam superfluitatem rursus accendēdām & siccandā, quod tandiu fit, donec eucrasia, id est, bona temperantia restituatur. Sciendum uero quoniam sicut sol exortus primo mane facilius aërem calefacit propter substantiæ eius subtilitatem, quàm aquam; aquam uero quā terram, ita calor prorumpens ex corde facilius calefacit spiritus, quā humores, humores quā solida. Febris uero quæ ex solidis fit præter naturam calefactis, hectica, id est, consuetudinaria appellatur. Solida uero dicuntur carnes, pinguedo, uenæ, arteriæ nerui.

De diuersitatibus febrium, Cap. II.

QVæ uero, uel quantæ sunt febrium diuersitates, maxime dieticos medicos conuenit nosse, ne per ignorantiam non intelligendo cōtraria adhibeant, & periculum faciāt mortis uicturo, aut macronoriam, id est, longam & grauem ægritudinē de modica & leui faciant. Debet etiam scire medicus quatuor esse tempora omnium causarum, maxime febrium, initium, augmentum, statum, & declinationē, quod nisi optime intellexerit, grauiter lædit, nesciendo quid in his temporibus debeat ægroto adhibere, uel auferre, in quo tempore curet, in quo potum uel escam det. In quo ab his abstineat febrientem, aut quādo æger dormire debeat, uel in quo uigilare, & in

quo cubiculo iacere debeat. Nam lucidus nimis, & calidus locus relaxat corpus, frigidus & obscurus constringit. Mediocriter ex his temperatus paragorizat, id est, mulcet, et oblectat, & temperat. Intelligere ergo manifestißime clinicus debet pulsum uenarum, & indicia urinæ prænoscere: quam maxime enim in his duobus intelligitur genus febris, & origo causæ, & temporum ratio, uitæ mortisq; professio. Pulsus etiam ostendit qua hora declinatio, & qualis sit. Hæc utiq; maxime duo signa considerando poteris manifestißime intelligere quæ sit febriũ species, an ephemerina sit, id est, febris simplex, & non molesta, an sinochus, id est, spissa, uel acuta, & iugis, id est, sine inducijs, uel intermißione, uel sine requie ulla, an ampherinus, an triteus, an hemitriteus, an qs hemitriteus sit, an tetrarteus, an pentheus uel hexcus, uel hebdomeas, & harum quæ sunt generales, et quæ sunt speciales, & quæ græce genicæ, uel hydicæ, & quæ alithæ, & nothæ, id est, ueræ, et nõ ueræ dicũtur. Quæ omnes febres quas supra memorauimus, aliquoties inuicem sibi, uel alijs febribus geminantur, & duplices fiunt, & tunc maxime periculosæ sunt. Vt duo amphemerini, id est, duæ quotidianæ, aut duo tritei, id est, duæ tertianæ, aut duo tetrartei, id est, duæ quartanæ, aut cum amphemerino tetrarteus accidit, id est,

cum quotidianæ quartana adiungitur, aut cum hemi triteo minori, uel medio maior adiungitur hemitriteus, ex quo difficile quis poterit euadere, aut cũ motus amphemerinus, id est, non uera quotidiana mouetur, aut cũ nothus triteus, uel tetrarteus, id est, cũ non uera tertiana inuenitur, aut non uera quartana, sed sordida quæ & difficilis ad curandum.

De Periodicis febribus, Cap. III.

PEriodicæ sunt febres quotidianæ, diurnæ, nocturnæ, tertianæ, uel quartanæ. Diurna est quotidiana, quæ diem tenet totã, & noctem habet liberam. Nocturna est quæ noctem tenet totam, & diẽ habet liberam. Tertiana est quæ diem & noctem habet liberam, & die & nocte tenetur. Si quis 12. horis febrit grauiter, & alijs horis 12. lytopericæ, id est, minutæ febres eũ retinent, & alijs 24. horis apyretos, id est, sine febre habetur. Quartana est quæ post duos dies, diẽ noctemq́; tenet, et ita declinat. Nã quotidianæ, tertianæ, & quartanæ possunt esse singulæ, & binæ, & ternæ, & quaternæ. Sed omnes in die & nocte, si duplex est, bis tangit. Si triplex est, ter, si quadruplex, quater. Quia omnes typici etiam quadruplicẽ unũ morbum habere possũt. Sũt horum

horum nothæ, id eſt, non ueræ, periodicæ febres. Periodicæ enim dicuntur quæ eo quod certo quodã ſtatu atq; tẽpore, in circulo mouẽtur, uel tumeſcũt habẽtes certas cõmotiones in certis diebus, atq; declinatiões

De acutis febribus, Cap. IIII.

ACutæ uero ſunt febres ſinochus, et ſinoche, & cauſon, & tripartiteus, hemitriteus. Sinochus uero eſt continua febris ſine intermiſsione, aliquoties & cum augmẽto. Sinoche uero et cauſon ſemper modicã habent, & matutinã, non quidem plene mundã remiſsionẽ atq; quietẽ. Quo quidẽ tẽpore debent refici qui patiuntur, hemitriteus uero eſt, mediam partẽ habens declinatiõis tritei, unde ſi minor eſt hemitriteus mouetur horis 18. & quieſcit horis ſex. Si uero medius eſt hemitriteus mouetur horis 36. & quieſcit horis 12. Maior uero hemitriteus mouetur 66. & quieſcit horis 6. Nec tamen omnes cum quieſcunt ſine febre ſunt. Nam maxime maior hemitriteus proprie ſinocho ſimilis eſt. Nam ſunt hemitritei tres, medius, maior, minor, medius eſt, qui tertianæ coniungitur. Maior uero quartanæ, & minor quotidianæ. Vnde & acutæ febres dicuntur, eo quod magis ad martẽ quam ad uitam properãt. Vnde ualde opus eſt artifici has omnes diligẽter

curare. Nam maxime hemitritei diuina manu quã humana curari possunt, quãuis & ipsis cura competens deesse nõ debet. Quibus hoc antidotum conficiendũ est, quod aptum scimus hemitriteis uniuersis, & à Basilio medico probatum est ueraciter: Recip. costi, carpobalsami, celticæ, gariopholi. ana. scrupul. 1. croci scrup. 2. nardostachij, melliloti ana. unc. 2. caßiæ folij, semperuiuæ foliorum ana. drach. 3. mellis lib. 1. aquæ lib. 1. et s. aut 2. his infundis dabis bibere ex quo fiũt duæ cõmotiones, aut mox ab initio pmistis utrisq;.

De febrium diuersitatibus, Cap. V.

Multa sunt genera febriũ quæ nascuntur in homine, id est, ex mutatiõe temporũ et ætatis, ex labore, & ex ebrietate, & amaritudine, & ex alijs multis causis. Quarum nomina sunt quotidiana, tertiana, quartana, sinocha, causon. Hæ duæ ex abundantia sanguinis sunt, & cholerũ. Sunt & aliæ febres minutæ, quæ uocantur ephemeræ quas dicit Hippocrates simplices febres, eo quod non multo tempore nutriuntur: sed subito contingentes ex nimia uigilia, ex cogitatiõe, ex tristitia, ex ieiunio, ex mala uolũtate, ex timore, ex parabola, ex ebrietate, ex labore, ab æstu, à frigore, ab amaritudine, quã maxime in autũno tẽpore, nõ sunt lõgiores, in tertia uero die,

aut

dūt in quarta dimittūt, si negligētia nō fuerit. Febris quotidiana est quæ quotidie accidit. Fit autē ex phlegmate congregato in stomacho, ideoq; quia phlegma frigidum est, & ipsa febris frigida, succurrere ei debes calidis argumētis. Febris tertiana est, quæ à tertia in tertiā diem accidit. Nascitur uero ex cholera rubea. Quæ quia ipsa febris calida est & sicca, succurrere ei debes, frigidis & humidis argumētis. Febris quartana est, quæ à quarta in quartā diem accidit, nascitur uero ex cholera nigra, ex sanguine uiscido, & calido, unde fit grauior ad curandū, quia ex frigido humore melācholiæ & calido humore sanguinis creatur. Ideoq; nimiū calida, & nimium frigida.

De curatione singularium febrium, Cap. VI.

Dicamus ergo medicinas earū generaliter, id est, tales medicinas quæ per singulas febres proficiant, & homines ad sanitatem perducant, sed quia contraria contrarijs curantur, id est, frigida calidis, & calida frigidis: tamen interim dum febris non apparet qualis debeat esse, impēdimus ipsas curationes febricitantibus, ut elementa eorum in melius temperemus. Hoc est si nimius calor fuerit, ad frigiditatem reuocemus, si nimium frigus,

 ad calo-

ad calorem retrahamus, hoc est, in primis diebus uel in prima hebdomada ponamus super stomachū eius cataplasma, habens lini semen, & hordeum, & fœnugræcum, absinthium, anethum, apium, petroselinum, leuisticum, & lupinum. Hæc erunt in cataplasmate, *feniculi semen cum aqua bulliat, quam bibat. Supradictis autē seminibus farina facta, mittis desuper oleum uel axungiam ueterem, & facto cataplasmate induc in linteolo, & calidum super stomachum impone, per dies plurimos, mutando omnibus diebus, & calefaciendo, postea facies ei unguētum quod dicitur marciaton, aut pentamiron, deinde dabis eis antidotum istud: quod* Recip. *piperis unc. 2. cymini unc. 5. mellis quod sufficit, fac electuarium, & dabis sero coclear 1. aut mane ieiuno. Si hæc diligenter feceris, auxiliante domino, subuenies contra omnes febres.*

De natura febrium, Cap. VII.

Febricula à feruore ueluti feruicula nuncupatur. Febricitantem uero apprehēdimus tum tactui nostro occurrere, ueluti ex alto ascendentem feruorem plurimū, atq; acriorem naturali senserimus, qui lippothomiam, id est, defectum per totum corpus exhalantem irrigat. Mutatio enim pulsus, febriculæ signum confert. Sed secundum

ueteres

ueteres non: Hippocrates enim & Eugenius, & Phi
ftonicus solum feruorem naturalem moderationem
excedentem, signum febrium posuerunt. Sed & cæte
ri successores eorum de pulsus mutatione dispares in
sententijs sunt. Alij enim contra naturã effectas mu-
tationes sine exteræ causæ aduentu, signum febrium
uocauerunt: ut Acrisius. Alij crebritatem pulsus ultra
naturam, ut Eleotates, Erisippus, & Sostratus. Alij
uehementiam & duritiam pulsus, ut quidam nouelli
inuentores: ex quibus aliqui solius pulsus mutatiões,
& aliqui etiam non naturuliter calorem superueni-
entem, signa febriculæ posuerunt. Nos autem quoniã
in infirmitate mutatur pulsus, aut causarum irruenti
um euentu, aut suæ proprietate facilitatis, suas muta
tiones etiam propterea febrium paßioni tribuimus.
Nam nauralis feruoris superantia non solum ex fe-
bre, sed etiã sola uaporatione exercitationis, uel mo-
tu, uel acris cibi usu (alias esu), efficitur, ut per to-
tum corpus ex alto atque acrior naturali, & pluri-
mum exhalans feruor, sentiatur, quod Græci apyre-
tos uocant. Fiunt multæ febres ex cholerum humo-
re, quarum species sunt quatuor: Sinochus, amphe-
merina, triteus, & tetrarteus. Sinochus est conti-
nuus. Nascitur à plurima cholera, & acerrima,
& dimißionem habet in exiguo tempore. Corpus

enim non refrigerat ullo tempore, sed inflammatur acerrime à multo calore cholerum. Amphemerina, id est, quotidiana, & ipsa à cholera nascitur, & transit celerius quam illa longißima sinocha, quoniã ex parua efficitur cholera, & habet requiem corpus. In sinocho autẽ febricitans non habet requiẽ ullo tẽpore. Tritea autem, hoc est, tertiana lõgißima ab amphemerina, ex cholera rubea & parua nascitur, & propterea multo tempore non retinet tritea. Tetrartea autem, id est, quartana secundum istam rationem tardior est à tritea, quia quantum habet cholericum, tantum à cæteris febribus distat, & propterea acredinem multam habet, quia uetusta est ex choleræ nigræ abundantia, propterea difficile curatur à supradictis omnibus. Quomodo apprehendimus quatuor tempora febriculæ, id est, initium, augmẽtum, statum, & declinationem. Initium apprehendimus ex primo paruo motu feruoris in acriorem qualitatem trãseuntis. Augmentum uero ex cremento qualitatis et quantitatis supradictæ significationis. Statum uero ex quãtitate. Declinationem ex diminutiõe, id est, nascitur, crescit, stat, & minuitur, id est, senescit, quomodo & crescit, & scire nos conuenit species febrium, nõ amplius esse quam tres. Typicam quam quidem periodicam Græci uocant, hemitriteam, & sinocham.

Typica

Typica est biformis, si bene tamen hoc nomen transIatum est, quæ quotidie laxamentum, uel quotidianis, uel ternis diebus, uel quartanis facit, quas uulgus quotidianas, uel tertianas, uel quartanas uocat. Hemitritæa est quæ duplum habet tertianæ. Sunt autem hemitritæarum genera tria. Minimus, medius, & maximus. Minimus est qui post diem & noctem hypodexim, id est, relaxationẽ habet. Relaxatio est dum declinat febris, & laxamẽtum, aut puræ intermißiõis, aut sordidæ facit, & rursus fit. Medius est, qui una tertia quaq; die laxamentum quod supradiximus tribuit & adiunctionem facit. Maximus quãuis declinationem facit, ut cum febrierit triduo iuncto, & quarta die quasi quasdam inducias tribuat, tamen mox etiam acrius incalescit. Hoc genus morbi quoniam accidentia habet, graue & periculosum est. Periculosior tamen omnibus sinocha febris est, quæ laxamenti nihil dat, aut ita dat ut modicum fiat, & uix poßit intelligi. Semper enim aßiduus est febrium color. Continuo ut incipit hæc febris, fit tremor corporum, & ualidum frigus ut in typicis febribus. Solet autem in tritaicis apparere circulus ante oculos, inhorrescunt membra corporis, nondum plene oppressa frigore, ita tamen calescere incipiũt, quia in alto sunt posita, & per totum corpus uapor iugis fit. Post hoc cum

cœperit declinare æstus, tunc intepescit calor, & naturalis paulatim temperatur, & corporis tactus blandior redditur. Item febris accidentia sunt, quæ Græci synthomata uocāt, id est, aut capitis dolor, aut uentris, aut stomachi, aut uomitus, aut uentris nimia solutio, aut strictura nimia, aut uigilia iugis, aut somni turbationes, & his similia. Ex quibus quanta sit uis febris contemplari potest. Sed iam de ipsarum febrium specie aliquanta dicta sunt, quo facilius cognoscas eas, quarum quasi contemplaria aliquanta ante oculos tuos sunt posita, & quæ reliqua sunt promemus. Quomodo apprehendimus febrium dimißiōes? Limpidam ex tranquillitate, sordidam ex mitigatione. Quæ sunt febrium differentiæ? Sunt febres strictæ, solutæ, complexæ, celeres. Sunt & tardæ, id est, temporum differentias habentes, secundum solam solutionem febricula esse potest, cui nihil stricturæ admisceatur. Aliqui hanc fieri negant. Stricturam enim effectam febriculam dicunt. Nos autem manifeste hanc fieri probamus, cum plerosque cardiacos nihil stricturæ patientes febrire ostendimus, atque hos solis constrictorijs releuamus. Quomodo complexam intelligis? Ex acceßionibus & dimißionibus eiusdem febriculæ. Si enim sese cum cæteris in stricturam extulerit, aut tranquillauerit, eidem adscribēda

erit

erit paßio, uel eius contrariæ, atq; communis utriusq;. Quomodo apprehendimus febricitantem in sudorem creticum aduenisse? Ex pulsu magno, celeri, totiusq; corporis superficiei uaporatione, cũ pruritu cutis, et quodam tactu in similitudine rigoris per totũ corpus. Dehinc ab ipsis poris ueluti humectatione, & laxatione tanquam mox ex lauacro uenientium. Aut sicut in continuationibus febriũ frigus mẽbra pertractãs irruerit.

De typicis febribus, Cap, VIII.

Omnes typicæ febres siue strictæ sint, siue solutæ, siue permixtæ, quandiu sunt in frigore in principio nõ possunt dignosci ex uenarum pulsu, & ex compreßione manus. Sed ex linteis calidis patientes cooperiantur donec rigores leniantur, at ubi cœperint incalescere, paulatim amouenda sunt operimenta, donec sudoris tempus adueniat. Sed tamẽ de typicis minus laborandum est, quarum etiam natura adiutorium nobiscum facit. In hemitritaceis causa grauis est. In quibus et subtilitas ciborũ et tẽpora cauẽda sunt. In sinochis autẽ quoniã iugitas febriũ est, minime latet quãta sit pturbatio, placet nobis ita ab eis uexatos primo mane curari, et cibari et semp calidã potare. Neutrũ tamen ante declinationem. Nam quicquid ante

ante hoc tēpus fuerit appositū, perturbatis corporibus in stomacho acescit, ac propter hoc infirmitatis fit nō corpris cibus. Quibus stalticū, ut est frigida unctio olei rosei atq; calasticū ut est olei uiridis, aut dulcis recentis, pro ut neceßitas communis iusserit, admouēdū est.

De cognoscendis febrium causis, Cap. IX.

Sollicite considerandū nūc, et etiā illud sciendū est, qđ sæpius diximus, mox a prīcipio causas cognoscēdas, et origines, et species, et genera, ut sciamus quæ sunt generales, quæ speciales, & quæ ueræ, quæ nō ueræ, et quæ typicæ, et quæ nō typicæ, et quæ acutæ, et quæ ꝓlixæ, et quæ simplices, et quæ duplices, sibi an alijs geminatæ, et harum quæq; quomodo accedāt, aut quomodo recedāt, qualiter moueātur, aut qualiter declinēt, etiā q̄bus horis diei, uel noctis, et qđ horas paroxismus, id est, comotio teneat, qđ úe anesis id est, declinatio, quidúæ significet, aut quo ægrum ducat. Quamuis ex his multa dicta sunt, considerandum est illud, uirtus ægrotantis, impetus ægritudinis, qualitas et quātitas, ex hoc enim uitæ mortisq; iudicia cognosces. Maxime ex pulsu & consideratione urinæ genus febris considerare poteris, si fueris lectionis usu perdoctus aßidue. Nec non & ex alijs signis quæ noster

Hippo-

Hippocrates in prognosticis probat, & futura ante prædicit. Indicant enim tibi, & quasi tacita loquũtur. Hoc est ægrotantis color, oculi, uultus, uox rauca, taciturnitas, habitudo corporis, quæ omnia diligenter considerãda sunt in ægroto, ut sciamus manifeste quid teneamus, uel quid fugere debeamus, ne forte hæc ignorãtes aut ægrotos lædamus, aut nosmetipsos deludamus. Nec non illud moneo, ut consideres in omnibus ægritudinibus regionum qualitatem, locorumq́; positionem, aut aërum temperantiam, temporum rationem, ætatem & consuetudinem ægrotantis, naturam corporis, uirtutesq́;, uigorẽ animi, causas & origines. Item animi aut corporis uitio nata sit ægritudo an extrinsecus uenit ex cibo uel potu, an ex corrupto aëre erit. Cum hæc considerata ratione & perpensata bene cognoueris, optime scies quid facere ad hæc conuenit. Nã si causam ignoras, quomodo curas? Si enim nescies an periculosa, an sine periculo sit causa, quid nisi temere facis? Quicquid feceris nescis si sanas: an potius occidas. Vnde fit: ut siquis curatus à te euascrit æger, non tui muneris, sed fortunæ sit. Proinde doctorum est nosse, prouidere, & intelligere causas & quid ex his futurum est prædicere, & anticipare quæ periculosa sunt congruis beneficijs medicinæ, quamuis sæpe uincantur beneficia, etiam cũ bene offerantur, quia

mala

mala fortiora sunt bonis, quia humorum impetus fortior est. Tunc maxime uincuntur beneficia à malo, cũ non in tempore suo offeruntur, quia mala fortiora sunt bonis aut natura à malo fatigata beneficia non sentit. Aut quãtitas boni maliúe ignoratur, id est, quantũ offerendũ sit bonũ iuxta modũ mali. Vnde fit ut nõ oĩbus possit mederi medicina nec semp auxiliari, quia rarorũ est intelligere causarũ qualitatem, id est, quãta est nunc, et qualis & quanta futura sit causa, uel quo tempore factura sit statum, uel qualem habitura crisin, id est, digestionem uel iudiciũ. Nata enim causa mouetur, crescit, uenit ad statum, & stat, pugnat physis cum causa, id est, natura resistit ægritudini, & spectatur quod uincat. Succurre medicina laboranti, naturæ fer opem, uince ægritudinem, libera periclitantem. Vtiq; fit crisis tẽpore suo, hoc est necessario: cũ sit quo ægero naturæ piclitanti obtuleris. Sic ergo subuenis medicina. Si uero auxilium medicinæ apte adhibueris naturã iuueris, & ex malo bonum faciens liberabis ægrotum. Aliter uero si feceris, & non in tempore competenti bene medeberis, hostis malus naturæ eris, & bonum malũ feceris, ægritudinẽ nutris, naturã deijcies, ægrũ occides. Si in paroxismo, uel in ipso statu causæ ignorando tempora ægrum facias potum, uel escam accipere, aut incongrua curatione & non licito tempore cures, natura du-

plici in

plici in bello erit, & laborans. Nec sufficit hostem pugnando uincere, dum festinatam escam importune sibi ingestã coquendo non ualet digerere. Vnde sunt oĩa diligẽter pſpiciẽda, et præuisis & cognitis causis his, suis curis, suisq; tẽporibus uniuersa esse curanda scito.

De cognitione creticorũ dierũ in febribus, Cap. X.

SI uero creticum diem futurũ senseris, & preuideris fluxũ sanguinis ex naribus, aut certe uomicam, uel urinæ, uel uẽtris copiã aut sudoris manifestũ remediũ, ne sollicitus aliquã adhibeas cũ hæc signa futura sunt curationẽ, qa nõ syntoma erit hoc sed utile et salubre signum, et futuræ sanitatis indicium. Nã quoties natura corpris ad crisin se præparat, pturbat insolito more ægrotũ & totũ grauius fatigat corpus: Et cũ ex naribus per fluxũ sanguinis, et per uomitũ futura est crisis, capitis ãtecedit dolor. Quæ res multas hoc ignorantes pturbat et desperare facit, quia relaxatur et pturbatur corpus appropinquãte crisi, et ideo ante omnia diligẽter cognoscendum est nobis quæ sit febris, uel cuius generis, cuiusq; speciei, uel qualiscunq; uirtutis, quotũq; diẽ habet, et an sit calida satis, atq; acuta, uel æstuosa, quia hæc talis febris amat crisin facere per meatum, id est, aut per fluxũ de naribus, aut per

uomicam

uomicam, & uentris urinæq; nimium obsequium et non diu permanere, aut certe per sudorẽ, sicut mollis febris, & sine impetu facere solet. Quæ etiam ægrotantibus diu apostema facit. Attendendum etiam si ipsa febris est sine periculo, & si bona crisis speratur, etiam in ægritudinibus periculosis uidendum est. Considerandum est & tempus totius ægritudinis & aduertẽdum ualde etiam quale principium sit, qualéq; augmentũ fecerit & ex hoc statum & futuram declinationem tunc poteris intelligere, & prædicare salutis periculiq; imminentia. Nam in principio, aut in augmento si urinæ multæ fiant, uel uẽtris obsequia, uel nimius sputus, & uomica, aut fluxus narium, non bona speranda est crisis futura, neq; sine periculo, qui ista signa si in tempore suo & in statu fiant, tunc prospera sunt, & utilia crisis indicia. Nam cum futura est crisis, subito ante diem quo fieri debet, uel ante noctem æger incipit se grauius habere, & uehementius angustias patitur, usq; ad desperationem, & cum uideris fieri id, inqre quotũ d. ẽ æger habet ex quo cœpit ægrotare, & inuenies creticum diem, sicut in alio loco tractauimus. Quia si septimus dies erit, nihil est uerendum. Si uero sextus, grauißime fatigat, frequenter etiam nec crisim, uel non sine periculo facit. Si ergo ex hoc & reliquorum dierum contemplaberis naturam & signa

quæ solent

quæ solent suo tempore procedere, & futurā crisim nūciare, quæ si mox in principio ægritudinis fieri uideantur, non signa crisis, sed syntomata ægritudinis sunt, id est, capitis dolor, fluxus narium, uomicæ impetus, urinæ uentrisq; nimietas, sudoris solutio, & alia quæq; talia. Et ne terrearis si ante creticū diem æger dicat subito sibi collum, uel uerticem dolere, & præcordia tensiora, uel calidiora habere, et dispnia ei sit, id est, constrictio, & difficultas anhelitus, quasi constrictum & angustum habet thoracē, & si super his omnibus turbati subito pulsus cadit in paruitatē, nec ualde tamen imbecilles fiunt, crisim sperato ex his omnibus signis iam appropinquare, et magis iam adesse si ipsi pulsus erigantur altius, & uirtutem cito accipiant. Victricem enim naturam nunciant. Attende mox uultum ægri & si aliquam eius particulam uideris in uultu salientem, uel si pulsauerint uenæ temporum, aut genæ, aut oculi rubuerint, magis manifestā futuram crisim scito, & si flent inuiti, aut eis nolentibus fluunt lachrymæ, aut si quasi circulos, uel si quid simile aliud ante oculos uersari sibi uiderint, & si manus ferūt digitosq; ad nares frequēter fricātes uel scalpentes quasi pruriant eis, tunc iam non sperabis, sed mox fieri crisim uidebis fluendo de naribus sanguinē, quia solent frequēter hi tales alienari, & non

ſane loqui, & quaſi excutere ſe & ſubleuare, ne terrearis, & ne metuas ſuper hoc quia hæc talia ſigna ſunt bilium ex inferioribus locis ad ſuperiora repētium. Hoc quidē ad cognoſcendā criſim ſufficiat dixiſſe. Sed conſiderandū in his, atq; animaduertendū, ut ætatem ægrotantis, & naturā corporis eius attendamus, in quo futura criſis ſperatur, et ipſam ægritudinem temporis aërisq; rationē, quia ſi iuuenis erit qui ægrotat, & calidus natura, et abūdans ſanguinis, magis in his talibus per fluxum narium futuram criſim ſperamus. Inquirendum etiam ilico eſt, ut ſi ſano atq; ægro ipſi eſt cōſuetudo per nares fluere ſanguinem, aut ſi tempus æſtiuum eſt, uel aër calidus, et id conſiderandum quod manat, ex hoc fluxu ſanguinis fieri criſim ægritudinis ſcito, & ſi ipſa ægritudo plectoris generis ſit, & ſi ſolitæ purgatiōes reſtrictæ ceſſarūt, omnia (ut diximus) obſeruando, & animaducrtendo poteris prænoſcere, & prædicere, & ſcire quæ tibi ſint capienda, atq; curanda, fugienda uel abnegāda, atq; frequenter ſunt facienda.

De creticis diebus, Cap. XI.

OPortet etiam de creticis diebus non ſilere, quia hoc maxime memoriæ cōmendandū eſt, ut cognitis creticis diebus poßis congrua

grua beneficia offerre, quia si non suo tempore adiutoria adhibeantur, lædunt potius quā iuuent. Vnde necesse est ualde creticorum dierum cognitionē optime nosse medicos, ad cognoscendam febrium rationē, et eius qui ægrotat an ad salutē, an ad periculū, ut possimus ex hoc dicere quod futurū est. Ideoq; inquirendus primus dies est manifeste, quo cœpit quis ægrotare ita & si non iacuit in lectulo, sed ex quo sensit sibi ægritudinē fuisse exortam, ut certum numerū sciens medicus, uerum creticū sciat inuenire diem, siue arcium, siue quem diximus peryson. Quia hæ duæ species crisis, arcis, & peryſſon dicuntur. Nā arcij sunt pares numero dies, ut 2.4. cæteri similiter pares dies ut sex, peryſſon uero impares, ut 1.3.5.7. & cæteri impares dies eodem modo. Quia si hoc bene cognoueris, sicut in sequenti etiam manifestabo & ordinabo, & si qualitates creticorū dierum inueneris attēdas, & scias qualiter futura sit crisis. Nam melior est ad crisim faciendam perysos numerus dierum, quam arcis. Amat enim sæpius arcis, id est, creticus superscriptus pari numero factus dierum recidiuare, atq; commouere easdem ægritudines quod perysos facere nō potest. Sciendū ergo est ante omnia cōmotionis infirmi primū manifestū diē ut diximus. Ex hoc enim, ut ueteres dixerūt, uisibiles, et cretici dei inuenies ratiōes,

quæ faciãt ſcire an bona ſit futura, an mala criſis, & ſi in cretico die ſyntoma, id eſt, accidens natũ fuerit, & ipſum præuidendũ diligenter quale eſt, quia neq; maius neq; minus ægritudine eſſe debet, ſed cõgruẽs ægritudinis generi, & quãtitati, & qualitati, & uirtuti, & in ipſo cretico die adueniente ſyntomate, ſi fit utiliter, & congrue, ſoluit ægritudinẽ. Nam ſi ante tẽpus creticum innatum fuerit, id eſt, ſudor, & cætera quæq; talia quæ criſim faciũt, iam nõ criſim, ſed in macronoxiam ſignificat pergere ægritudinẽ. Nã quodquod mediocriter in ipſis creticis diebus uerſantur, nullo cretico ſyntomate præſente uel innato, hi difficile euadunt: ut Hippocrates dicit: Illi uero qui nõ creticis diebus cretica ſyntomata patiuntur, uidentur ad horam eſſe liberati, ſed poſtmodũ recidiuant, & uix euadunt non ſine periculo. Sed ſi in arcijs diebus paroxiſmos fieri uideas non bonum ſcito futurum, ſi in ipſis creticis diebus cõmoueantur, & multo peius ſi in his criſis fiat, uel ſyntomata aliqua importunius accedant. Quia ualde graue erit, ut ea quæ ſolent prodeſſe atq; iuuare, & ſuo loco uel tempore uenire ad utilitatem ægri, ſi incongrue contingant, aut non ſuo tempore. Nam melius eſt ſi ante creticum diem nox, aut dies præcedens grauior fiat. Quod quidẽ ex urinis & pulſu poteris cognoſcere, ſi diligẽter attẽdas, & con=

& consideres, & alijs signis ab Hippocrate dictis in prognosticis. Ergo creticorũ dierũ (quos diximus) exordiũ facimus ab arcio. Arcij uero dies sunt in quibus periodicæ febres faciunt crisim in 4. & 6. 10. & 14. & 24. & 40. & 60. & octogesimo, & cẽtesimo. Sed sciendum est ex his diebus qui bonã faciunt crisim aut malam. Vnde quartum diem firmũ utilemq; ad faciendam crisim & frequenter dicimus. Sextum uero rarum atq; infirmũ recidiuum, quia nec ualde congruus est ad faciendam crisim, & raro inuenitur in periodica ut uideatur creticus, quia neque ab Hippocrate est confirmatus præter in una tãtum, id est, non febriente lyenterico. Similiter decimũ diem Hippocrates omnium peritißimus in uno tantum inuenit creticum diem, & ideo etiam ipsum incertum obseruamus. Quartum decimũ diem firmum frequenter accepimus ad faciendam crisim. Vicesimum autem diem iuxta Hippocratem non arcium, sed perysson recepimus. Sexta tetrasesti, id est, quarta de sexto. Tertia enim hebdomada in hoc extat & transcẽdit, & ideo firmum cõgruumq; obseruemus. Simliter etiam uicesimum quartum, & tricesimum quartũ, & quadragesimum quartum, & sexagesimũ, & octogesimũ, & 100. firmos & creticos scito. Sunt etiã cretici dies, quos diximus peryssos, id est, septimus aut

nonus aut undecimus, aut septimusdecimus, aut uicesimus primus, aut uicesimusseptimus. Sed non tam creticus & firmus, ex his uicesimusprimus, quam cæteri. Amat enim recidiuare in 21. die facta crisis. In alijs firma causa & stabilis est & frequens, in illo tantum rara & instabilis. Typicarum febrium, id est, periodicarum expleuimus creticorum dierum rationem.

De Creticis diebus acutarum febrium, Cap. XII.

Nunc de illis creticis diebus dicamus qui in acutis febribus attendũtur. Vnde oportet ex his creticis diebus, quos diximus arcios & peryssos præuidere, atq; inuenire acutarũ febriũ manifestißimos dies creticos, & certos, & firmos, ut Hippocrates dixit ac docuit sic: Acutæ febres in 14. die faciũt crisim, non sic intelligendũ scito, ut quidam putant in 14. die omnino acutas posse solui febres, sed in 14. die, qui usq; in quadragesimũ protenditur. Est enim uerus creticus dies in acutis febribus 3. & 4. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17. & 20. & 24. & 27. & 30. & 34. & 37. & 40. Præter enim hos dies facta crisis in acutis febribus recidiuam pro certo significat ægritudinem, & non sine periculo. Si uero aliquis nos interroget, quomodo arcij et peryßi

dies

dies poßint esse cretici cõmuniter? respõdebimus sic: Arcios et peryssos dies cõmuniter creticos esse in periodicis duntaxat febribus iuxta suam rationẽ ut supradiximus, peryssos autẽ proprie in acutis febribus tantum facit crisim, dicente Hippocrate: *Febres acutæ quæ in arcijs diebus faciunt crisim recidiuis uexabuntur febribus. Quæ uero in peryssо, manẽt firmæ ad salutem. Sane ipse uoluit nos obseruare sic: Vicesimum creticum dixit esse diem, quia unus dies medius qui cõmuniter crescit, ad peryssоn numerũ magis pertinet, ut permaneat simul eius dogma. Et ideo relinquens septimum diem ab octauo rursus incipit numerare. Obseruauit autẽ maxime* Hippocrates *ista duo in his syntomata, uicesimoprimo die fit firmißime crisis si fiat cum frigore, ut in alijs creticis diebus. Vicesimo autem die sola crisis facta cum frigore recidiuã manifestißime significat febrem, & aliam sperandã crisim, talemq; finem quale residuæ principium uidimus. Hæc ergo est ratio atq; obseruatio de creticis diebus febriũ, siue periodicarũ, siue acutarum.*

De distantia creticorum, Cap. XIII.

Qvanquã multa de creticis dixerimus diebus tamẽ placuit exponere qd in utrisq; dißimile sit. Nã cretici ueri sunt peryßi dies, ubi iam adest, sine

dubio febris solutio, cretici ueri nō sunt arcij dies, ubi dubium aliquid speratur. Deinde & hoc prætermittendum non fuit in noticia humani corporis dicere quēadmodum dies cretici debeant cōputari, & ideo ordinandum credidi diligenter, ut in hoc numero horarum quidem accedentium, aut minuentiū non fallaris incerta ratione, quia dies unus cum nocte sua 24. horas dabet. Vnde si unusquisq; hora tertia utputa tāgatur uidetur ipsius diei 3. horas perdidisse. Sed non pereunt, quia cum cœperis cōputare, largiris eis ex nocte horas 3. quibus per diē minus tactus est, ut possis 12. horis completis cōputare plenißime. Simili modo uersa uice si nocte sit computata, ut si quinta hora noctis tactus est quisquā, quinq; etiam diei horas nocti largiaris. Ad hanc rationem omnium ægritudinū noctes & dies, ut non dierum magis numerū, aut noctium quam horarum secundum numerum constitutum computes, ut puta sicut in triduum unumquemq; discuti posse mōstrabimus, quia unus dies & nox 24. horas habet. Computa ergo ex hora qua cecidit in ægritudinem typum horarum 72. ut tridui compleas numerum pro dimißione horarum. Tunc enim cū bene computaueris, dies & horas discußionis poteris prænuciare. Similiter enim et si amplioris numeri dies cretici fiunt, computandi sunt ut superius demonstra-

monstrauimus. Supputare debemus ueram discußionem aut periculi horam, ut recidiuarum febriũ poßis rationes inuenire.

De Febrium speciebus, Cap. XIIII.

Febriũ igitur species discernere nemo potest, & usum ipsarum præuidere, quæ harum curabiles, & quæ incurabiles sint, uel quæ breui solui possunt, & sine periculo, & unde nascantur, & in quibus ætatibus, & in quo tempore sint, nisi fuerit intentus usu doctißimorum lectionibus. Ephemeras uero, id est, simplices febres scito nasci, aut ex calore aëris subito & spisso, & nimio, & inconsueto, aut ex frigore, aut ex mœrore, aut ex gaudio nimio, aut ex sollicitudine, aut ex cogitatione, uel timore, uel amore, aut dolore, aut ex iracundia, aut ex indigestione ciborum, uel ex nimietate uini seu potionis, uel uigilijs multis, ex labore ingenti, & insolito, aut ex nimio dolore cum sine uulnere aliquo fit, aut ex alia huiusmodi occasione fit. Hæ febres in omnibus ætatibus, et in omnibus temporibus fieri solent, quæ tamen ex proprijs signis discerni & cognosci possunt. Harum enim febrium pulsus simplices sunt, & non ualde inæquales, aut sordidi, aut difficiles, aut duri. Vrinæ eti-

am non longe à sanitate distantes, nec calor grauior, aut acer inuenitur, sicut in alijs febribus inuenitur, Post cõmotionem et impetus paroxismi primi, id est, primæ cõmotionis impetus in pulsu uenarum, & urinæ nõ sinceræ. In ephemeris uero febribus, id est, simplicibus nihil tale cessante paroxismo primo, id est, prima cõmotione inuenitur, sed omni impetu sedato, cuncta proficiũt ad meliora. Plurimis etiã eorũ quasi humor corporis calidus cum uapore, aliquibus sudor mox in principio utiliter apparet. Dolor etiam capitis si fuerit in principio mox cessat et omnino recedit ante diatritũ primũ, quod in alijs febribus nõ fit, et ipsius quidẽ qui febrit uirtus, & tolerãtia, manifestat genus et indiciũ febris. In his etiã ualida, in alijs uero mox imbecilla inuenitur uirtus, et cũ balneis lauamus ephemeros; nullus horror, uel frigus corporis in solio, uel in ipso balnei aëre sentitur, ut in alijs febribus fieri solet. Sed si animi ægritudo febrẽ cõmouerit corporis, id est, tristitia, aut cupiditas, pulsus plassus, et tenuis inuenitur, mox in principio, ut multis tẽporibus putes eum ægrotasse ex lõginqua ægritudine. Vrina sicut in cæteris rubea est, sed in his rufior, & acrior, & modica, & non tam frequẽs sicut in cæteris, econtrario uero sitim patiuntur, qui ex cõmotione uel ira animi febriunt. Nam his qui ex tristitia ægrotant, uel

cupidita-

cupiditate desiderij, exilitas corporis, & oculorum di mersio & pallor in facie euidentior apparet, hæc cogitatio diurna & sollicitudo continua facere solent, etiam uigiliæ continuæ pati ista solent, sed uultus subtumidus in illis non est. Nam graues luminum palpebræ per uigilantibus inueniuntur, & quasi humidæ & uix oculos leuare possunt. Nam tristium & cogitantium sicca & mœsta cernuntur lumina. Concaui uero oculi commune prope omnium indicium est, id est, mœrentium, uigilantium, cogitantium, sed non iracundiæ indicium: Nam huic nec pallor accidit, nec concaui efficiuntur. Sed calor ardentior & amplior de profundo pectoris exire modus procedere ostenditur, & magnitudo, & immanitas pulsus, non minuitur, atq; desidet, sicut his qui ex tristitijs uel uigilijs uel cogitationibus laborant. Ex hoc ergo indicio iratum uel indignatum ab his discernere poteris, & illos à se ininuicem ex suis signis ut diximus. Qui uero ex labore aliquo fracti feßiq; febriunt, cutis corporis eorum magis tensior & siccior, quam in alijs ephemeris febribus inuenitur. Aliquibus autem perseuerans siccitas usq; ad paragma, id est, usq; ad statũ iam declinantis temporis. Fitq; illis maxime siccitas qui plus quam fert physis laborando deficiunt & infinitum laborem sudantes perfecerunt. Etenim in

his pulsus

his pulsus minutior & laßior inuenitur. In his autem qui minori labore laßati febriunt uastior & maior est. Ita ergo & hos qui de maiori labore, & minori ægrotant, uisu discernere poteris, utriusq; urinæ croceæ uel rubeæ sunt, sed magis turbulentiores horum qui maioribus plus laboribus lassati sunt. At uero hi qui constrictione uel dēsitate & tēsione cutis febriūt, ita habitudinem corporis sui sentiūt, qualiter illi qui aluminosis lauerint se aquis, constricta exiccatáq; cute constringi omne corpus sentiunt, & quasi contrahi. Hi soli ex omnibus febribus constrictionis causa laborant. Hi stynosin, id est, constrictionem patiuntur, quos quidē & uisu & tactu facile cognoscimus, sicuti & illos qui nimio labore siccati ægrotant. Si in his feruentior motus caloris est, & primo ictu pulsus mitior sentitur, acrior uero procedenti tempore fit, & difficiliora uentris atq; urinæ obsequia sequūtur. Vrinæ non penitus rubeeæ, nec habitudo corporis minuitur, neq; oculi in his concaui ac sicci uidentur, sed magis quibusdam horum eminent foris, neq; pulsus uenarum in his minutus atq; pusillus, sicut in his qui mœroribus, uel curis aut sollicitudine aliqua, aut uigilijs, aut laboribus, aut exercitatione nimia exagitati ægrotant. Illis uero qui ex causa inguinum laborant ephemeris, id est, simplicibus febribus, pulsus fit magnus & grandis ictu atq; uelox

uelox & spissus, & calor uehemẽtior & plurimus & post temporis statum mox ex profundo emergit calor uel humor quidam sudoris non multus, & calidus, et delectabilis, & uultus in his rubeus conspicitur, & maiore habitudine, & urina eorum subalbida. Sed magis commune est omnibus ephemeris febribus, id est, simplicibus æquales pulsus habere. In paucis autem harũ febrium inueniuntur inæquales sordentes uel asperi, non in uno tactu ictum habentes. Talis itaq; est cognitio in ephemeris febribus, id est, simplicibus et diuersitas generis harum.

Cura.

Cura eorum facilis est ijs qui eas aduertunt & certißime intelligere possunt. Nam qui eas pro certo cognoscere non possunt, difficiliores & periculosæ efficiuntur, si ab ignorantibus curãtur quia grauiores omnibus fiunt, & in macronoxiam ueniunt. Vnde considератis & illis duntaxat signis, quæ in cunctis febribus id est, habitudo corporis, color, oculus, uultus, mens, animus, anhelitus, aspiratio, loquela, lingua, manus, aures, frons, cutis, schema iacentis, motus iactatio uel quies et silentium, patientia languẽtis, obsequia uentris atq; uesicæ facilia, & difficilia, & ipsa uniuscuiusq; physis, id est, domina corporis natura si calida uel frigida, sicca uel humida sit, & in qbus maxime delectabatur rebus

in sanitate

insanitate, sic facilius curabitur, quia contraria contrijs curantur. Nam si ex calore nimio feruentis aëris (ut diximus) natam febrem intellexeris, frigidis medeberis beneficijs. Si uero ex frigore, calidis, si ex sollicitudine & cogitatione, securitate & consolatione uerborum consolaberis, & amputabis. Si uero ex furore uel ira, blandis & mollibus affatibus placabis. Si ex amore, aut ex concupiscentia, promißione sedabis. Si ex mœrore, gaudia uincent. Sicut ea mœror exuperat, & famem esca & sitim potus & laborem requies, & indigestionem abstinentia, concupiscentiam uirtus sapientiæ sedat: Ergo postquã cognouerit ephemeras febres non expectabis ut in cæteris febribus diatritum primum, uel secundum uel triduum ad cognitionem febrium, sed mox securus lauacro balnei & cibo reficis, quia in his febribus ægrotantes si abstineant à lauacro uel cibo, peiorant. Est enim in his tantum febribus usus balneorum utilis, alijs uero contrarius & inimicus, præter tertianas. Sed quia alijs horum qui ephemera ægrotant, diutius in aëre balnei morari conuenit quam in solio, alijs magis in solio quam in aëre, discernẽda est inter hos ratio diligenter, ne fote, quia (ut diximus) utiliter omnibus his ad recuperandam sanitatem usum balnei cõuenire, non intuendo qui-

bus

bus & qualiter ſit adhibendum, hoc ipſum incongrue adhibendo, noceamus. Non enim leuis res eſt, aut ſine periculo febrientem uti balneo, & hoc adhiberi mox in principio, ſane cum non manifeſte cognoueris genus febrium. Illis itaque qui ex inguinum indignatione febriunt ſine uulnere, nec non etiam illis qui conſtrictione & cutis duritia laborare uidentur, diutius in aëre balnei quam in ſolio eſſe conuenit. Cæteros uero omnes memoratos in ſolio magis quam in aëre quam diu uoluerint uel potuerint continebis, etiam ſi natare in ipſa aqua uoluerint, dabis poteſtatem, imò ut reficiant hortaberis. Quos omnes ingredientes tepido & plurimo oleo mollibus & planis manibus ſufficienter perunges. Plurimum eos qui ex labore aliquo febriunt, & eos qui ex conſtrictione, uel duritia cutis, & eos qui ex inguinum indignatione febriunt debere ſæpius eos & diutius lauacro uti, & maxime ſcito cibo refici plurimo & frequenti, qui digeſtioni ſufficiat. Eos qui ex labore aliquo febriunt, etiam uino reficies ſufficienti. Non tamen illos utile eſt ita cibari ut iſtos qui ex conſtrictione cutis uel inguinum indignatione febriunt, Sed utriusq; his ſubtilis & pertenuis conuenit adeſcatio, & refectio ciborum, abſtinendos à uino autem maxime illos ſcito, qui

ex indi

ex indignatione inguinum febriuut tandiu quandiu inguinũ indignatio sedetur. Attendẽda uero in his est ut in cæteris omnibus uirtus animi eius & ætas & habitudo corporis etiam febriũ genus & species & physis eius qui ægrotat et cõsuetudo, et tẽpus & regio, & situs locorum, & cætera quæq; talia. Horum uero qui ex constrictione febricitant, illos quidem qui leuius & minus patiuntur minimeq; plectorici sunt, scio non penitus prohibendos esse à uino. Qui autem amplius id patiuntur, & manifeste plectorici sunt, omnino abstinendos esse à uino. Eos uero qui insomnietate & uigilia, uel etiam animi causa uel passione febriũt, cum laueris, humidis & succosis cibis refice non duris & corporatis, uel digestioni contrarijs, uinum tenue & album, & maxime illis qui non dormiunt indubitanter dabis, si tamen capitis non patiuntur dolorem, uel temporum pulsus non erit, quod quidem in alijs omnibus censeo obseruandum. Sed neq; eos qui ex ira, uel furore, uel ex solicitudine, aut nimia cogitatione febriũt, à uino abstinendos scito. Sed & illos qui ex furore aliquo ægrotant, tam diu à uino abstinendos esse noueris quam diu penitus furor sedetur. Si uero ex uulnere aliquo, uel pustula calidus feruor inguinũ indignatione cõmouerit, & ex hoc causa fuerit orta, sanato prius uulnera uel pustulam mox etiam febris calorq; sedabitur.

bitur. Sic ergo origines causarum cognitas amputaueris, nec causam amplius inuenies quæ opprimat hominē, sed maxime ad pristinam redibit sanitatē. Tu ergo si sapientia præuidere, atq; mēte cognoscere satageris, omnia manifesto consilio undiq; quæ facta sunt, & quæ futura sint, et quæ sint, id est, præterita, præsentia et futura cognosces. Hæc cum præuideris, scies quæ fugienda sunt, & quæ amplectenda sunt, nec causam ignorare poteris, nec incōgrue curando in peius protrahere ægrotantem ut multi faciunt indocti, causarum originem ignorando.

De acutis febribus uel sinochis, Cap. XV.

NVnc uero incipiamus dicere de acutis febribus, & periculosis sinochis, id est, quæ non faciunt anesim, id est, declinationē induciarum, sed in uno eodemq; motu perseuerant, aut in peius crescendo non desinunt ante creticum diem, id est, ante tres, aut 4. aut 5. aut 7. aut 9. aut 11. aut 14. aut satis 17. quia difficile est, ut ad 19. aut ad 20. diem peruenientes isti crisim non faciant, aut uitæ, aut mortis. Aut enim in istis taliter febrientibus, aut uincit, aut uincitur pugnando physis, et maxime in istis febribus sinochis, id est, tam acutis & asperis artifices medici probātur, peritus autē medicus cōgruis

medicinæ armatus beneficijs succurrat, & auxilietur antequã labatur et uincatur perpetuis febribus repugnando natura. Sinochum ergo sic cognosces, primũ quidem in 24. horis diei & noctis non facit anesim, id est, non declinat, nec desinit, sed in eodẽ motu permanet, aut magis acrior inuenitur, et si inæquale, aut turbulentum fecerit augmentum, scito longinquiorẽ esse futuram febrem, & non sine periculo.

Cura.

Sinochis autẽ medeberis sic: Est præuidendũ augmentum, & status febris ipsius nõ lõge à 7. die, sed circa ipsum nec tardiorẽ futurum. Et si uirtutẽ ægrotantium uideris ualidã atq; sufficientẽ contra uigorẽ ualetudinis ad statum, nec nõ etiam ætatẽ idoneam, quæ poßit sufferre impetum huius febris & uehementiam, hos tenui atq; exili dieta mox à principio curandos obseruandosq; scito. Illos uero quibus lõginquior à 7. die status, id est, post febres futurus, & uirtutes minus sufficiẽtes erunt, mox à principio ægritudinis usq; quo statũ febris incipiat facere, largiori eos & impẽsiori dieta curãdos obseruabis. Prope aũt ipsum tẽpus quo statũ futurũ febris uideris, abstineto à cibo, & parciori atq; tenui dieta hos curabis. Iam itaq; in ipso statu positos magis abstinere per paruã atq; exilẽ, & permodicã ualde dietã offerendo iuuabis. De-

inde

inde trãſacto iã ſtatu, & fracto uigore febris, reficies atq; reſumes ægrũ paulatim addẽdo impenſiorẽ dietam & longiorẽ. Sed quoniã aneſim, id eſt, requiem hoc genus febris non habet, ideo tẽpus reficiendi eos optimũ eligimus horã prandij, qua ſani ſoliti ſunt capere eſcam. Quãuis ante lucanũ, id eſt, ante matutinũ aliqui elegerũt tẽpus. Sãguinis in his detractio fit pro magnitudine febris, & maxime illis cõuenit qui rubore ſanguineo plus naturali & ſolito rubent, & quaſi ſuffectũ ſanguinẽ, id eſt, plenũ & tẽſum corpus habere uidẽtur, uel etiam uenas impletas et tẽſas. His profecto talibus auferẽdus eſt ſanguis, ſi neq; uirtus, neq; ætas, neq; alia (ut ſupradiximus) cauſa prohibeat. Et quia liquidæ atq; fluẽtes dietæ omnibus acutis febribus cõgruunt, & remedio ſunt, recte ab Hippocrate olim dictũ ſcimus, ſuccũ ptiſanæ bene coctũ illis qbus nõ acetat in ſtomacho, aut cholerã generat, uel faſtidium facit, offerimus & ſuccũ alicæ ſimili modo, & panẽ optime coctũ p tenuẽ ex aqua calidiſſima damus, & alia quæq; talia quæ ſunt facile digerẽda, et nõ cõtraria laborãti naturæ. Illos uero qui cauſon, id eſt, nimio igne laborãt, & acerrimo igne iactãtur, qbus os ſiccũ, & lingua arida & aſpera eſt, oculi igne pleni, & quaſi ardentes ſentiũtur, mox ut primũ uideris ſigna digeſtionis, id eſt, ſtatum temporis, uel uigoris,

 frigidam

frigidam aquam da bibēdam securus, & modum bibendi æstimabis, et metieris, considerans tēpus, ætatem, naturam, consuetudinem. Talis itaq; sit cura sinochorum uel causon, id est, acutißimarū febriū, eis quæ sine syntomate, id est, sine accidentijs febrium extrinsecus scilicet capitis, uel stomachi dolore, uigilijs, singultatione, & alijs quoq; talibus.

De tribus speciebus sinochi, Cap. XVI.

TRes sunt sinochorum species. Homothenus, augmasticus, epagmasticus. Quarum ab homotheno exordium facimus, qui omnium periculosior est & maior. Cui quidem nisi fuerit cito arte succursum, fiunt grauiores febres, et sordidi pulsus, & geminata ægritudo, quam sic cognosces. In initio huius febris spißi pulsus, grauiores & sordidi inueniuntur, lingua siccior, sitis acerrima, lipothomia non deest, id est, malfactio & animi angustia. Cui quidem declinatio nulla poterit inueniri usque in 5. uel 7. diem quē in uno diatrito poteris recognoscere. Cunq; recognoueris auxilio salutari succurrere, sicut in sequenti diligenter est ordinatum.

De homo-

De Homotheni cura, Cap. XVII.

PRima die usq; in tertiã cũ homotheni signa intellexeris; id est, ut nullam habeat declinationẽ intra 4. diem, id est, in primo, aut 2. aut in 3. phlebotomandus est, si uel eius ætas, uel fortitudo permiserit. Si autem ætate breuior, aut senior sit, aut ex ipsa febre exagitatus defectior inuenitur, phlebotomũ non adhibebis. Quorum ætates & causas in phlebotomo nosse conuenit, ut à 18. anno, uel 20. usq; 40. si talis ætas fuerit reperta, phlebotomandi sunt. Si uero plenioris fuerit corporis, uel sanguinis abundantiã dum sanus fuerit habuisse cognoueris, aut genere suo habuit qui sanguine abundauerit etiam à 16. anno usque in 45. annum eos poteris phlebotomare. Cui si phlebotomo adhibito, declinatiões fuerint, nihil adhibebis. Si uero declinatio nõ erit, post triduũ explicito phlebotomo 4. die talia adiutoria adhibebis, si tamen fortis fuerit. Nam & ad balneum deducendus est æger cui solium parãs cum abundantißimo oleo, ut embrocas facias, quod solium tepidißimum esse debet. Aër quoq; similiter procurandus est, quem cum ibi miseris usq; ad guttur descendat, & tandiu manibus totum corpus fouere debes, quam diu ipse poterit ferre. Quem cum eieceris de balneo, diligentius inuoluis, ne frigus sentiat. Qđ

si fortior non fuerit, ut balneorum usus sustinere possit simili modo sicut in balneo demonstrauimus, in cubiculo calido uirgis adhibitis, uel ex tegmine in lecto laxius constricto uelut balneum facis, & ibi eum ex eadem embroca diutißime foues, quãdiu tolerare potuerit, & cum foueris diligentius cum sabanis calidis extergis, ut frigus non sentiat, quem cum reficere delectauerit, reficiet ouis sorbilibus, & succis ptisanæ, uel lactucis elixis sic solutis, sine aliquo condimento, uel mistura, quæ in uiscellis (alias iuscellis) sunt, qui & si hoc minime senserit, & febris grauior fuerit, uel nulla declinatio & si in sitim exarserit, uel si recẽtem desiderauerit, primo ei negando cupiditatem bibendi incita, deinde aliquoties promitte, ut spe promißionis exardescat. Quæ tandiu differ, quãdiu eum senseris nimia siti perurgeri, uel bibendi habere ardorem. Tũc ei uas magnum & lucidum, in quo aquæ splendor appareat, plenum recenti lympha offeres in tanta capacitate, ut qualiscunq; fuerit sitis maxima febrientis satiari poßit. Sed aqua fontanea eligenda est, & leuior, & in die cretico danda. Hos autem scias ex tãtis etiam adiutorijs necessarijs ad crisim esse uenturos, id est, discußionem uel salutem percipiendam.

De cognitione

De cognitione agmastici, Cap. XVIII.

Agmasticum, id est, secundum sinochum ita cognoscis. Ab initio grauioribus agitatur febribus cui quidē per singulos dies, uel etiam horas augmēta cōcrescunt, hunc etiā intra diem tertiū quam causam habeat cognoscere te cōuenit. Si enim ad primum diatritū uenerit iam in eo reperies febres, & signa certißima, quæ quidem signa habent hæc: Cutis eorū aspera est, & asperior inuenitur, & urinā rufam habent, quibus etiam uēter per singulos dies cōstringitur, est illis pulsus ingēs & spissus, sine intermißione sordidus. Et qd' grauius est per singulos dies, uel etiā horas augmentātur, qbus nec status, nec declinatio, sed tantūmodo augmēta inueniuntur. Sudor nullus, qui nisi 7. die discusserit, aut nō euadet aut difficilē uitā percipiet.

Cura.

Hi maxime phlebotomo curandi sunt, quos cum in diatritū recognoueris, adhibebis eis clystere austere, ut squibalas relaxare poßint, quod cōficis sic: Mittis oleum & aquam, in qua elixata est bleta, aut aquam de qua coctū est furfur triticeū et siliqua, aut lixiuium, aut aquam simplicē, cui admisces mellis coclear. 4. & aphronitri coclear. 4. et nitri semiunciā, & salis triti coclear I. et ex tepido clysterizas. Et postquā fuerint

squibalæ relaxatæ, tēpera aquam cum hydroleon calidißimo quod tolerare poßint, & diligentius uapora. Vbi intingens plagellas duas sic humidas ad stomachum impones, unam leuando, alteram ponendo, et subinde oleum calidum, aut aquam calidam mitte, & diutius uapores, & tandiu uapora, donec ei humidam linguam inueneris, aut frontem humectari. Quibus etiam potiones simplices dabis tales: Seminis apij triti coclear. 2. liga in linteolo mundo, & in aqua coques, & ex ea aqua quando potum desiderauerint dabis. Catharticum etiam molle quod choleram rubeam deponat, dabis: Recip. *masticbes unc. 3. cymini aßi coclearia 2. piperis grana 20. diagridij in pane cocti scrup. 1. & cum melle ueluti electuarium tempera, exinde temperatum dabis coclear 1. Quibus etiā omnibus noctibus caput fomentandū de aqua papaueris agrestis, uel hortiui uiridis, siue aridi decocti, siue cū semine, uel sine semine eius, cum caput fomētaueris obuoluēdū est linteamine calido, ne infrigidet.*

De epagmastici cognitione, Cap. XIX.

EPagmasticus agnoscitur sic: Ab initio grauioribus febribus pulsatur, in tantū ut quisquis cum uiderit medicus, uehementer de

eius

tius uita desperet. Secunda uero die, uel tertia declinatio inuenitur, cui etiam signa propemodũ discussionis futuræ inueniũtur. Aut sudor emittitur, aut sanguis de naribus fluit. Nam prima die sitim patiũtur, secunda uel tertia sitis ipsa refrigerabitur, & post minutior inuenitur. Qui si signũ discussionis in tertium diem non habuerint, securus esto 5. uel 7. die crisim habituros. Quos cũ diligẽter cognoueris, sine aliquo auxilio medicinæ sanitatẽ promittas. Istis enim nihil adhibetur, quoniã adhibita talibus medela ægrotantibus contraria est,

Cura.

Oleum roseum frigidũ tantũmodo capiti imponatur. Quibus etiã esca uetanda non est. Nã in declinatione etiã uinũ leue & aquatißimũ dãdum est. Quibus si aliquid adhibueris, adiutorium aut escam negaueris, facis sinochum homothenum.

De distantia inter sinochum & sinochen, Cap. XX.

DVo sunt sinochus, et sinoche. Inter sinochẽ, et sinochũ quanquã sit apertißima similitudo, tamẽ inter eos ita separatur atq; distinguitur intellectus. Nã sinochus non habet anesim, sed magis augmentatur. Sinoche uero dum simili ægritudine retineat caput tãtum, tamẽ horarum, sed nõ ple

ne mundarum remiſsionē habet. Nam ſinochus ex ſanguine & felle rufo cõmixtis naſcitur. Sinoche uero ex fellis rufi abundantia concreatur.

De cognitione febris quæ dicitur cauſon, Cap. XXI.

Sinoche uero ſimili modo ut ſinochus, aut cauſon curari debēt, maxime phlebotomo, ſi tamē ætas, aut tēpus, aut fortitudo permiſerit, aut ſi nihil aliud è contrario occurrens prohibeat. Et ſi tēpus & ratio in omnibus iſtis phlebotomiam adhiberi prohibeat, tamen pro cauſa faciendū eſt ei cubiculum tēperatum, ſi ætas, aut fortitudo permittat, ita ut medietas ſanguinis deducatur, quam poſtulat cauſa, ut cauſæ ſanguinē deducendo ſubuenias, & temporibus dum non ſatis deducitur, ſeruias. Quanquā hæc cauſa ſinochis, neq; in ſenibus, neq; in pueris uenire poterit. Memineris aut in ipſo impetu febris intra tertium diem, aut quartum phlebotomū adhiberi, quia ſi cœperit eum cauſa fatigare, non poterit adhiberi phlebotomus, ne ſit contrarium. Sed ſi phlebotomus pro certa ratione nō poterit adhiberi, dimittēda eſt phyſis cum cauſa pugnare, aut certe ſinochorum cura adhiberi debet. Etenim ſinochus, aut cauſon, & ſinochē quamuis habeant diſsimilitudinē, tamen ſimili modo curantur.

De eadem

De eadem pasione, Cap. XXII.

Causon febris est denunciata ab Hippocrate, ut in acutis febribus fiat, & in prolixoribus quartanis. Nascitur autem ex cholera nimium sicca circa subtiliores uenas, quæ in hepate sunt.

Cura.

Mederi debet phlebotomo in principio curationis, & frigida potatio & frigida adiutoria in his necessaria sunt adhibenda. Viscera autem oleo & aqua calida & unctionibus quæ humectare & refigerare possunt, restaura. Frigidæ similiter infusiones capiti sunt appplicandæ. Item febris quæ dicitur causon, his signis cognoscitur quãdo fiunt: Sitis est grandis, & insomnietas, & alienatio prosequitur, & surdi fiunt, uel muti, tamẽ hæc alia signa habet, triduo ãtequam febris fiat, dolor capitis sentitur & in bucino aurium ipse dolor cũ forti ictu & tremore configitur, deinde prosequitur febris cum supradictis signis. Item cura sit ut euacuetur cholericus humor, & extinguatur, & dissoluatur. Euacuetur autẽ per sudorem, aut per uomitum, aut per uentris solutionem. Certißime autem extinguitur si bibant aquam multam, & nimis frigidam. Etiam hidroleon bibant, aut lauacrum intrent ut sudẽt sed nõ descẽdãt, nec diutius morẽtur. De escis uero nihil aliud nisi ptisanã manducẽt, & abstineãt se à uino.

De cardia

De cardiacis quos diaphoreticos dicunt, Cap. XXIII.

VEteres hãc paßionem præcipuam dixerũt. Indeq; eam cardiacam dixerunt. Nam græci cardiam dicunt cor. Verum ipſa indicat res nihil aliud eſſe, quam febrem acutam cum nimio ſudoris fluxu per totum corpus manantis, cum paruo pulſu uenarum, quæ ſigna produnt cardiacos. Hæc paßio plerunq; æſtatis tempore facile lædit. Aduenit autem in calidiora tempora, uel corpora, et iuuenes boni corporis, habitudinis, & ætatis. Præcipue hos lædunt lauacra poſt cibum, poſt cœnam uomitus, frequenter corpus in ſudorem uertunt cum animi defectione. Ex hac ualetudine fiũt cardiaci 5. uel 7. dies incumbentibus febribus, et urentibus uelut flãma ignis. Vt autẽ cœperit eſſe cardiaci, refrigerant eis ſummitates manuũ atq; plantarum, plerunq; uſq; ad cubitum, uel genua, ſiue etiam totum corpus. Venæ pulſus eſt uelox, & ueluti eleuatus, paruus, rarus, inanis. At ubi cœperit creſcere paßio, uibrans eſt pulſus, atq; rarus cũ tremore, et formicatione, incognitus atq; ſe ſubducens. Sequitur eos defectio animi, & ſubductio & nunquam dormiunt. Quibuſdam eorum ſudor nimius, & per totũ corpus ſe diffundit, multum pinguis, & glutinoſus, quem græci glityon dicunt. Atq; ſi eum teneat, uix producitur. Poſt

tur. Post hæc grauitudo corporis, & uirium, & sensus, & tremor, & debilitas, facies pallida, concaui oculi eos subsequuntur, suræ illis grauantur, ubi desinit accessio, lingua liuida inuenitur. Si quando per epiplocem laborant, uel eis ipsa passio dominatur, tincta est lingua eis, tunc frigida desiderant. At ubi cœperit passione urgeri, tunc uisus hebetatur, liuescunt eis manuũ summitates, plãtæq; gibberosæ fiunt, & ungues, & nõ in uno loco iacent, sed cum palpitatione huc atq; illuc. Primum quidem pulsus est densior, postea uero defectior. Cutis eorum corrugatur plerunq; in modum uuæ passæ. Accidentibus illis uentris solutionibus, malum signum est & aliquãdo plorant nulla præcedente causa. Ob quam causam oculorum pituitatem gignũt. Apparet in eorum oculis signum, quod onichior appellatur. Item auide conantur sæpe cibos sumere, tamen escam deuoratam non digerunt. Subinde cibis delectãtur. Hæc autem omnia signa sunt mortuorum. Aliquando fastidium patiuntur. Aliquoties per insaniam labia & linguam submordent putantes escam mordere, tunc nec potum, nec uarios cibos dare debemus. Item malum signum cum post acceptum cibum & uinũ, cũ molestia, atq; febre, & cum laßitudine corpus soluitur. Oculi rubescunt, lingua fit sicca, & aspera, præcordiorum sudor agitur, plerunq; autem & sine sudore dissoluuntur.

ſoluuntur. Vt autẽ ad melius cœperint uenire, pulſus uenæ apparеſcit. Aliquãdo enim auidi ſumunt cibum, & dormiunt, uelut quandam laßitudinem patiuntur. Fuit autem diſſentio inter medicos, quæ pars corporis maxime in eis laboraret. Et nobis placet totum corpus in paßione expeditius implicatũ eſſe, quam ſcrupuloſe quærere utrũ cor in cauſa ſit, an membranũ qđ cor tegit, aut ſtomachus, aut pulmo, uel iecur. Nõ enim hæc particulariter paßio curatur, ſed toti corpi medicatur. Quomdo diſcernitur ſudor ille qui febrium ſolutionẽ ſignificat, ab eo qui inuadit cardiacos? Iſtorũ ſudor ſatis erit calidus, in cardiacis aũt ſudor eſt frigidus, & pro amplitudine eius paßionis, et paruitate naturæ paruus pulſus, atq; obſcurior, & denſior eſt. Thorax eis grauatur, frequenter inſpirãt, neq; eſt animus. Sunt autem ex his quibus omnia uiſcera ſudant calidũ. pulſusq; æqualis eſt, atq; in ſuma cute, uenæ inſpirant, bono animo ſunt, atq; releuationem corporis ſentiũt. Quomodo ſeparamus paßionem cardiacorum à paſſione ſtomachi? Si ſtomachus in feruore fuerit, ſequitur debilitatio, anguſtia, compunctio, ac dolor, & quædam duritia in præcordijs inuenitur, uel in dorſo, ita ut in preſſura ſint poſt cibum. Quod ſi imbecilitas aſtiterit ſtomacho multum expuunt, & os humidum habẽt ſtomachi, nauſeã patiũtur, humores reijciũt, nõnũquam & cibum

& cibum sumptum, manus infrigidantur uel pedes, et plerunq; recalescunt. Cardiaci uero multum sudorem sentiunt, neq; grauantur post cibum, neq; reijciunt, rigorem summitatum manuum atq; plantarum æqualẽ habent, sudorq; eis plerunq; crassus adest, mali odoris. Eis autem qui pressura stomachi sudant, tenuis sudor oboritur, semper fit autẽ subductio animi, uel stomachi cum incipiat accessio fieri. Est autem cardiaca passio defluxa, atq; acuta, & ualida eo quod strictura quædã his non desit, & extensio præcordiorum & quibus est impetus.

Curà.

Hos autẽ curare oportet cũ magna discretione, tamen genus curæ quod adhibemus sic operemur ut his adiutorijs utamur quæ expediunt. Multi autores dicũt eos incurabiles esse, sed tamen aliquãdo curantur sic: Iacere debẽt loco refrigerato, et ũbroso nõ satis lucido ut constringantur. Tunc & flabella apponatur, & aqua subinde aspergatur, & odores boni ad nares adhibeantur, & folia uitis, mirtæ, quercus, pini, lentisci, maligranati, & rosarum, uel his similia stramẽtentur. Item operiantur lanis quæ non habent floccum calidũ soluunt corpus. Stratus non strictus, sed latus fiet, ut subinde uoluant, & deinde fricare debemus

pedes

pedes, ac plantas, quæ frigidæ sunt. Non debent aliqd tædiosum cogitare, in ipso impetu accessionis foueamus ex oleo frigido, & melle, & flabellemus, & spongiam frigidam intinctã expressam ceruicibus applicemus. Post hæc foueamus totum corpus & stomachũ spõgijs frigida intinctis, aut lacte, aut aceto. Subinde pannos in succis herbarum tinctos, aut arnoglossæ, uel poligoniæ, aut portulacæ, uel ayzon, uel myrtæ, uel rubi mollis, uel maligranati, cauliculorum decoctione iam infrigidata, apponimus & succum hypoquistidos uel acaciam ex pusca solutam, uel omphacium, uel etiam in oleo uiridi, aut lentiscino, & uentri, & pectori, & stomacho, & uentris orificio appone similiter. Quod si sudor perseuerauerit, simplasma adhibeatur, quod fit ex puluere gallæ, thuris, myrtæ siccæ foliorum, & aluminis sicci, & omphacij sicci, plumbi usti & loti, gypsi, & cretæ samiæ & malleorum cauliculorum, & maligranati, quem in nocte bis uel ter siccum corpori aspergis, & sic fricato corpore, de istis cataplasmabis, uel omnia adiutoria sicca & frigida adhibebis. Item manna, thuris, cum oui albugine ad mellis spißitudinem mista corpus ungatur, & cataplasmata adhibenda sunt staltica. Vbi minuitur cariotam tritam cum oleo uiridi, uel myrtino uel lentiscino, aut rosaceo uel polentam tritam similiter cum pusca admistam adhibemus

hibemus. Item mala cytonia cocta cum palmulis, & mista acacia, aut alumine, aut hypoquistidos succo, uel rore syriaco. Item de suprascriptis herbis cum pane sicco cataplasmabis. Sic cataplasma imponatur, ut spisse subinde renouemus. Itē palmulis, & polline seminis lini cataplasmentur. Ponamus etiā odoramenta naribus, panis assati fumū, mala cytonia, myrtam, & his similia. Recentem uero damus non satis frigidam, mellis partē unā, aquæ partes 2. ad mellis spissitudinem redactas, damus per triduum coclear. singula. Vt autem ad declinationem uenerit passio, mulsam damus coctam in modico uino, pultes, oua sorbilia. De pomis uero pyra, aut cytonia. De auibus, pullos columbinos, palumbos, perdices, anseres, hæc saginata omnia: stomacho indigestibilia sunt, de quadrupedibus, rostrum porcellinum, aut cerebella, aut hœdina caro uel caprina. De mari uero, locustas, mugiles, purpuras, lupos. De oleribus uero, intybam, plātagines, sparagos. In declinatione autem damus uinum album, leue, de uase in uas trāsfusum. Bonum signum est quando pulsus uenæ surgit, sudor minuitur, frigus auertitur, somnus sequitur. Quando ista omnia sunt, uinum accipiant, & post epithematibus corfortentur constrictiuis, & cucurbitis in ore impositis uentris. Quod si aliquid remoratum fuerit,

clysteria inijciantur, maxime si pernitiosus est fluxus uentris. Id si fuerit, succus lenticulæ per clysterã inijciatur. Vtantur post tertium diem lauacro.

De eisdem cardiacis, Cap. XXIIII.

Cardiacos etiam heleni diaphoreticos appellant, licet quam plurimorum sententiæ ita diffinierunt: Sicut in hac eiusdem professione nominis attestatur, cordis uitio hanc ægritudinem fieri, quibus in hoc non dabo assensum. Nunquã enim claruit manifestum quod indicium tẽtari in aliquo natura cordis intelligatur. Est autẽ totius corporis & uirium plena resolutio, quam cardiacã diaphoresin appellamus, quæ cum sudoribus uiscosis, & frigidis perseuerare interemptis uiribus manifestatur præcedentibus acutis febribus, et flammarum interiorũ ardoribus quos aliqui causon appellauerunt. Hæc igitur paßio frequentius in iuuenibus, quam in cæteris ætatibus euenire consueuit in augmento ægritudinis, id est, circa diem septimum, & hoc quam maxime tẽpore quo ætas, uel æstus calidior incãduerit.

Cura.

Licet in omnibus paßionibus generaliter præmoneatur ad maiorũ ægritudinẽ neceßitates gubernandas tem-

das tẽporibus seruire debere: attamẽ magna ui, & periculo interposito, dum sudoris illius emerserit iniquitas, cum uirium defectu, & ex eo præsens est uitæ periculum, tunc confusis prætermissisq; tẽporibus rationabilibus adiutorijs circũuallantibus immineamus. In cubiculũ frigidũ, nunc lectũ straminibus ueteribus lineis disponamus, nunc flabella, nunc pannos cũ nardo & uino infusos præcordijs ordinate præponamus. Cataplasmata uero frigida et stiptica imponẽda sunt eorũ præcordijs, ex strigno, & coniza, uel rubo, aut marrulio, & dactilis, et caducis mali granati, uel inantis. Certissimũ enim est singularũ specierum quenquã medicum merita cognoscentẽ, etiam temperiem, aut cõmestionem adiutorij posse disponere. Faciẽ ergo illorum ex pusca frigida, uel uino stiptico fomentabis, & puluere aspergis mẽbra sudãtia myrtæ, uel rosæ folijs siccis tusis & cribratis, & manna thuris, galla, omnibus tusis singulariter, & cõmistis cum uino stiptico, & eius fecibus simul mistis. Omnibus uero odoribus bonis, uel thymiamatibus uires labentes, & membra deficiẽtia reparabis. Articulos quoq; eorum oleo cucumerario, uel nimis uetusto, misto puluere nitri, uel piperis, pyrethri, adarcis, aut urticæ seminis defricabis, infundẽs calore ignito, merentẽ calorẽ reparare quatenus ualeamus, nutriemus succis

modicis, & frequentibus, frigidis tamen, quibus sudoris facilis nimietate uires emorientes exuscitētur. Nutriendi sunt cibis præ omnibus ratione ministratis, et nutriēdi sunt similiter ex alicæ, uel ptisanæ succis, in quibus ungulas porcorū in plenam usq; eorum coctionē coqui suadeo, aquam frigidam subinde per interualla subministrabis. Et si ætatis adhuc uapor calidior coēgerit, etiam niuatas non aspernabo.

De typicis febribus, id est, quotidianis, Cap. XXV.

Nunc dicamus de typicis febribus, quæ cum frigore atq; tremore, & rigore accidunt, & cum calore recedunt. Quotidiana uero febris, siue per diē, siue p noctē fiat, hæc indicia habet. Nunquam cum tam acri uel ingenti rigore incipit, ut tertiana, & calor subhumidus inuenitur in quotidiana febre, & quasi cum uapore aliquo, & cōtinuo, & diu manente, tactu manus, pulsus prænoscitur ictus, quia pulsus uenarū minor inuenitur in quotidianis febribus, quā in tertianis, in tantū quantū quartanæ minores pulsus patiuntur à tertianis. Et quantum quotidianæ febres minorem sitim habent à quartanis, tantum quartanæ à tertianis. Alio indicio quotidiana differt à tertiana, quia in tertianis os, lingua, & omne

corpus

corpus siccum est. In quotidianis habetur humidum corpus, & quotidiani uomunt phlegma, & itaq; per uentrē egerunt frigidiora, & indigestibiliora, & aquatiora, et sunt phlegmate plena. Quia corpora eorum qui quotidianā patiuntur febrem, phlegmate & indigestis humoribus plena uidētur. Nam in ætatibus, & natura frigidis, & tēporibus, & locis humidis ac frigidis quotidianas febres maxime nasci uidemus. Iuuenē calidum & siccum corpore à quotidiana febre nunquā uidi correptum. Quia aut pueros paruos ætate, aut senes pigros, ociosos, & inexercitatos, à quotidianis uidemus proprie corripi. Vnde nec sudore iuuantur, nec cum declinantur omnino sine febre sunt. Vrina nanq; corū qui quotidianis febribus laborant, aut cādida & tenuis uidetur, aut spissa, aut turbulenta. In tertianis uero crocea satis, aut rubea, & quasi sanguinea. In quartanis diuerso colore, maxime pallida, uel fusca, aut indigesta apparet.

Cura

Curabis ergo quotidianam sic: Oxymel dabis post primam diem, id est, cum medium causæ tempus uideris, dabis & diuretica quæ urinam prouocent, etiam escas, & cibos calidæ uirtutis, & qui phlegma incidant, & deponant, & temperent uentrem frequentiori obsequio. Maxime dabis quæ os uentris purgēt,

deinde facis de radicibus uomitum, quæ dantur cum oxymelle, & alia quæq; talia simili ratione facies, & media ipsius uiscera embrocabis & cataplasmabis, medicina calidæ uirtutis: quod Recip. croci, mellilotl, floris camomillæ seminis lini, ana. drach. 1. pollinis hordei unc. 2. Item adipis recentis porcini drach. 3. uitelli ouorum 5. ceræ lib. 1.

Item de cognitione ipsius, Cap. XXVI.

ITem ad quotidianã febrem: si negligentia medici non fuerit, hac ratiõe curabis: Quotidiana febris (ut diximus) ex phlegmate fit, quia nimis est frigida. Ergo indoctus medicus dum putat omnes humores esse calidos, dabit eis frigidos cibos dicens: Extinguere uolo febrẽ. Quã quidẽ non extinguit, sed spiraculũ uitæ dat, mittens calidã super calidã, et frigidã super frigidã. Ergo doctus medicus ista non facit. Sed cum febris quotidiana fuerit, dabit ei cibos calidos, sicut est piper, ruta, cyminũ. Dabit in potu ante accessionem uinũ subtile, albi coloris, & modicum temperatũ, & calidum, generaliter autem in accessione nihil ei dabit, sed ante accessionem, & post accessionem. Et cum manducare uoluerit, dabis ei pullum habentem piper, & cyminũ. Dabis & pedes lacten-

des lactentis aceto coctos, & pulegio. De pecudibus dabis lac bibendum bene coctum, & siliginis buccellas, habentes oleum modicũ. Quod si sitierit, facis aquã coctam cum radice feniculi, & apij seminis, & anethi, petroselini, & anisi. Si taliter omnia feceris, in paucis diebus liberabis ægrotũ, quia (ut diximus) calida dantur in quotidianis.

De tertianæ ueræ cognitione, Cap. XXVII.

Tertiana aliquando est uera, aliquãdo non uera febris. Vera enim si est, mox è principio cum ingẽti horrore nascitur, & frigore, & tremore, sed non tandiu tenet rigor quã calor. Nam cito frigus uertitur in calorẽ, & tenet calor diutißime. Pulsus erit ingens, uehemens, citatus, & creber, ætas hominis iuuenis, & felliti, id est, rufi fellis abundantis, tempus calidum & siccum, & locus talis & aër, sitis uehemens, uomica fellita & crocea, & sudor, & motio iterum talis ut prius erit, & post triduum cõgruentibus horis, ex his omnibus tertianam poteris cognoscere ueram.

Cura.

Curabis uero lauacro frequenti, et tẽperato, cum olei abundãtia, et aqs dulcibus nõ salsis, et ideo nec nitro, nec sapone cũ lauãt utãtur, talia enim desiccãt, sed

dabis ea quæ humectant & infrigidãt diutius, & frequentius, quia cõtraria contrarijs curãtur. Rufum enim fel calidum est & siccum, & frigidis, & humidis delectatur rebus. Ergo & obsequio uẽtris, & urinæ purgandus est hic humor talis. Quod quidẽ à se frequenter facit, quia cõmouet uentrem & urinam, si uera est tertiana. Ergo molli clystere curabimus uentrẽ: urinã uero dato apij decoctiõe, aut anethi, prouocabimus. Et cum uideris signa digestionis post tertiã cõmotionem, etiã absinthij põtici decoctionẽ addito melle modico dabis bibere. Nã maxime stomacho hoc etiã utile est, et si naturaliter satis balneo delectãtur, bis etiã lauẽt in die. Et ut natent si delectẽtur, hortare. A uino autẽ omnino abstineas, quãdiu uideris digestionẽ fieri causæ, tunc dabis uinũ albũ tenue, aquatum. Cibos uero dabis quibus poßit humidari, & refrigerari corpus eorũ qui in tertiana laborant febre, id est, ex oleribus, bletas, atriplices, & succũ maxime ptisanæ, & alicæ sorbitiones. Pisces etiam aspratiles, & non assos, neq; frixos. De uolatilibus dabis ea maxime quæ facile digeruntur, molli & tenui carne, gallinaceorũ etiã ascellas, & cerebella, & testiculos, & ungulas porcellinas dabis, & oua apala, & horũ similia quæ facile digeruntur. Dabis etiam poma quæ non digestione difficilia sunt, à melle omnino abstine

& dulcia

& dulcibus, & sinapi salsamentis, & ab acrimonijs omnibus, à leguminibus, et à uino ualde ueteri, & calidiori natura.

De non ueræ tertianæ cognitione, Cap. XXVIII.

NOthus triteus, id est, non uera tertiana in hoc discernitur ab illa quæ uera est. Nã uera tertiana ut multũ, in septem periodis, id est, septẽ uicibus motionis suæ digeritur, & sine periculo est. Hæc autẽ non solum cito non digeritur, sed etiam si non diligẽtissime mox à principio cognita cũ rationibus cõgruis obseruetur, euidens periculũ est, nec facile quibuslibet remedijs postea artifex cõtinebit eam, si eã diligẽter non præuiderit. Vnde ualde attendendũ est, ut ex proprijs signis earũ ueram & nõ ueram tertianã cognoscere possumus, quantũ intra se signis discrepant, tantũ in cura distant. Hæc aũt non uera, neq; impetu, neq; calore ueræ tertianæ similis est, nec pulsu, uel sudore, nec facit uomere choleram sicut illa quæ uera est, sed sudor paruus inuenitur in hac, & quædã humectatio, & cũ uapore raro, & lente exhalante, & diu tenente, & cum iam uidetur declinasse, non tantũ purus, aut sanus inuenitur pulsus, sed sordẽs et adhuc aliquid in se retinens febriũ quæ paulatim addẽdo, in peius crescẽdo, in tantũ durescit,

ut intr a ſepem dies putetur eſſe, ſi ipſi febrienti tantũmodo credamus multorũ menſiũ cauſa. His itaq; & talibus ſignis ueram & non ueram tertianã diſcernẽdo proprijs curis diligens, & doctus medicus curabit ſine periculo. Nam maxime obſeruabis, ne incongrue æger tractus in peius & in lõginquum, & non ſine pericculo protrahatur. Nam quantum cauſa creuerit, in tantũ uires eius qui patitur minuẽtur. Amiſſa enim uirtus, ualente cauſa, non ſufficit uiuere æger. Ideoq; cõuenit ut reſpicias ſemper ad ægritudinẽ, & impetum cauſæ, et ad quantitatem uirium eius qui ægrotat, & ad qualitatem morbi; ne lapſum non reficiendo ciborum refectione, ſed forte nimis in initio abſtinẽdo ad periculum ducas. Sed ita fac, ut cõgrua collatione beneficiorũ medicinæ aßiſtere ægro gaudẽte natura fruatur. Hunc non ſolum in hac cauſa modum conſiderando tradimus, ſed in alijs ſemper omnibus cauſis. Scio enim quendam incipiente autumno à notho tritco correptum, uſq; ad primum ueris tempus non poſſe curari, & in tantum extenuatum, ut dubitaremus de eo, quia & ipſe non conſentiens præceptis medicinæ, aliter quam conueniebat, ſe habebat, & tempus hyemis cauſæ contrarium, ægritudinem in peius protrahebat. Nam & ſplen ipſius in magnitudinem excreuerat, uiſceraq; protenſa ſto-

machi

machi indignatione, & grauiores ægro causas minabantur. Nã uultus pallido tumore mutatus, uirides oculi, crurum tumor, pigrũ hydropẽ ostendebãt, Cæterum corpus exilitate et ex longinqua ægritudine confectũ macies lassauerat. Cuius exemplum ideo proposuimus ut sciamus cuius periculi sit non uera tertiana, si à principio cognita, & congrue curata non fuerit.

De duobus tertianis, Cap, XXIX.

ERgo nothum triteum, id est, non ueram tertianam qui patitur, mox à principio abstinẽdus à lauacro est. Et tam diu abstine, quam diu signa digestionis causæ uideantur. Neque quotidie cibetur, sed alterno die sufficit ut reficiatur succis optimis, et sorbilibus benefactis, et digestiorijs. Quiescat silẽtio, et molli lectulo iaceat. Media eius uiscera fricẽtur, id est, stomachus, et præcordia cataplasmẽtur, et embrocentur. Clystere utantur non satis molli, & si sanguinis detractionem uideris necessariam, considerabis mox à principio indubitanter unde putaueris utile esse auferes quantum conuenit. Omnis ratio dietæ ipsius non sit perfrigida, & humida sicut supra diximus in ueris tertianis. Sed hic quidem habeant calidum aliquid, & quod incidere posit originẽ causæ,

id est,

id est, succum ptisanæ piperatum. Sed etiam interie ctis diebus hyssopum, origanum, uel etiam spicam nar di infusam in mellicrato decoques, mellicratum sic con fice, mellis partem unam, et duas uini coque ad spißitudinē, et ad iecto pipere dabis bibere, et alia quæ urinā possunt mediocriter mouere. Præter illa quæ uehemē tißime, & nimium siccæ uirtutis sunt, & nimij caloris, id est, quæ nimium calefaciunt, & siccant, sed quæ mediæ uirtutis sunt dabis. Vnde maxime absynthiū pō ticum transacto iam septimo die, ex aqua cali da dari conuenit. Multis etiam oxymel datum profuit. Nec nō etiam utendū est illis medicaminibus hypelatis, id est, solutiuis, quibus non frequenter usi sumus. Vtilißimū his probauimus, ut uomant post cibum. Quo facto multos mox scimus sanatos.

De quartana uera, Cap. XXX.

Quartanam uero febrem non tam dificili ratione cognoscimus, quia euidens est. Nam duos integros dies puros & quietos habet. Quarto die semper mouetur, & pulsus eius rarior, et segnior, habens inæqualitatem. Calor non longe minor est à supradictis febribus, quia melancholici quartanarij fiunt, & tempore autumnali, et aëre mutato et inæquali, id est, non salubri naturali ratione, & ex quo hic humor in corporibus mouetur, & splen maior & craßior

& craßior fit & extra naturæ modum. Fit quartana frequenter ex febribus non bonis, & indigestis, et male curatis. Nam istis febribus sicut in tertianis uomitus fellis rufi non inuenitur. Id enim proprium est tertianis, & cum declinauerit, adhuc pulsus inuenitur sordens, lassus, segnis, & rarus, & tardus etiam ad opeera faciendum.

Cura.

Curabis ergo quartanam sic: Mox à principio diligenter præuideas, ut mediocriter & quiete ac patiẽter agas, neq; medicamẽ aliquod temere des, neq; purgationem uentris, uel detractionem sanguinis facias, nisi forte uideris nimiam sanguinis esse abundantiam & cum ferieris uenam, statim respice intente fluẽtem sanguinem. Qui si erit niger & spissus securus auferes quantum causæ putaueris conuenire, uel ætati, aut uirtuti eius qui patitur. Rufus uero & tenuis, id est, liquidus si fuerit, mox retine, & stringe uenam: non enim conuenit in his talem auferre. Tangenda uero est in hac causa uena in brachio sinistro, quæ est mediana, cum opus fuerit, & dieta adhibenda est utilis, & digestoria, quæ non inflet, uel tendat stomachum, sed quæ temperet uentrem, & prouocet. Nec non etiam interdum clystere in initio utendum est molli, postea acriori, ad deponendũ humorem. Abstinendos eos scito à porcina

to à porcina uel bubulina, & caprina, & carnibus his similibus quæ grauant digestionem, & ab omnibus frigidis quæ grauant stomachum. Pro qua re nolo ut existimes hanc superfluam esse dietam, quã nos regulã uiuẽdi dicimus. Dieta enim medicina est, et pars medicinæ. Nam cum dicimus digestibiles cibos dandos, et non incongruos, nec non etiam dum offerimus cibos frigidos, aut calidos, humidos, aut siccos, necesse est ut sint congrui ut contraria contrarijs dũ medentur medicinæ præbeant auxilium, quoniam contraria contrarijs curantur. Et sic quia hæc causa frigida, et sicca est, calidis & humidis delectatur rebus, & quia ad dietã nobis redeũdum est, ideo obseruare debebis sic, ut ab omni iracundia, uel alia qualibet animi commotione, sic & ab omnibus cibis qui melancholiam nutrire uidẽtur abstineas. Nephas enim est augere malũ. Nam cũ difficilius certis & probatißimis medicaminibus adhibitis hæc causa curari poßit quanto magis non curatur, si quartanarijs ea quæ melancholiam nutriũt adhibeantur. Vnde ipsa causa nascitur si requirãt, ex melancholia diximus illa esse. Et diligenter illud caue ne patiens frigus sentiat, et ideo obseruare debes à cõstrictorijs cibis, quia anathymyasin faciendo ex constrictione, in peius existentem causam faciunt. Obseruabis etiam ab omnibus frigidis & humidis cibis.

Vino

Vino autem utendũ est tenui, albo, & mediocriter naturali uigore calido. De uolatilibus uero uel auibus dabis, sed quæ tenuiorem & sicciorem habent carnẽ. Vtendũ illis maxime quæ non aquosis uel palustribus gaudent locis, & piscibus qui facile digerãtur & nihil fluidum habent, sed siccioribus carne. Salsamentis quoq;, et sinapi, et alijs calidis digestorijs rebus. Dandum etiã his interiectis diebus antidotũ diatritonpipereon, & diaspoliten, aut certe piper tritũ ex calida aqua. Hoc etiam si quotidie detur, ut bibant, recte datur: deambulatio & perfricatio blandæ manus fiat, & si aliud aliquid est consuetudinis, non penitus prohibendus est, & subinde utendum. A lauacro autem si non omnino potuerint abstinere sine tædio sui, sola perfricatione aut deambulatione utentes, non mediocriter iuuabuntur. Et si non ualde uehemens ipsa quartana est, etiam si exercitatione consuetudinis utantur utiliter faciunt. Hæc talia utiq; fieri conueniunt in principio causæ eius, usq; dum ueniat ad statum causa. Cum uero status erit, tunc abstine ab omnibus his & dieta utere quam subtili, & pertenui, & quietem adhibe, & ociositatem prolixiorem, & medias tunc corporis partes cura cataplasmate, & embrocis calasticis. Deinde utere diureticis, & cum manifeste uideris fieri signa digestionis causæ, tunc etiam dabis

purgatoriũ

purgatoriũ qđ' melãchol.cũ purget humorẽ nõ semel, sed quoties putaueris conuenire. Vedandus est ab esca uel à cibo contrario: uomitus uero sæpius adhibitus, si nihil sit qđ' ecõtrario prohibeat, elleborũ albũ utiliter dabis primum radice fixum & abstractum. Deinde si sic datũ nihil ꝓfuerit, etiam ipsum elleborum (ut ipse nosti) dabis. Qui uero uomere non libenter habent aut non possunt, hos fortiori purgatione purgamus: & refectis interiectis diebus paucis, theriacam diacidnes accipere suademus, & alia quæq; talia, quorum ad has febres laudantur beneficia, ex quibus omnibus probatißimum est nobis hoc antid. quod opium quirinatium recipit. Qui uero mox, in principio aliquid tale dederit, non proderit, sed maxime oberit. Nam ex una quartana duas facit, & ex duabus tres, aut ex leui fortiores, & ita in summum periculum hominem deducit, & facit ut non poßit uita esse copiosa. Id etiam in alijs typicis febribus obseruabis, ne quid tale mox in principio des antequam uideas pesson fieri causæ, id est, digestionem, antequam in statu ueniat causa, tunc enim proderit datum, ante uero oberit. Nam scio ego quendã medicum hoc ignorantem, dedisse homini tres quartanas habenti, antequam statum faceret causa, uel signa digestionis ostenderet, medicamentum quod dicitur diacidnes, et ab ea hora in peius tractus est, in tantũ

ut muta-

ut mutaretur in sinochum, nec ei postea potuit succurrere, sed ita occidit.

FINIS.

GARIOPONTI MEDICI VETUSTISSIMI LIber Septimus.

De typicis febribus.

QVanquam typicarum febrium signa, curationesq; rationabiliter quidem, et non confusæ omnia dicta sunt, melius est tamen diuisiones & cõiunctiones diligenter ostendere, quare omnium causarum supra scriptarum febrium, quæ ueræ, & non ueræ, uel quomodo sibi iungantur breuiter pandam.

Qui, & in quo tempore fiant, Cap. I.

QVotidianarum causa uerarum hyeme tenet, & in principio ij cum febrire cœperint, &

cutis eorum sudorē emittit, sic ut sudor uideatur, non tamen amplius effluat. Nam secunda die typum patiuntur, post uero typus recedet, & accedūt leues horrores. Sūt alij qui nec frigus, sed nec horrores habēt. Aliquibus etiam nec secunda die frigus accidit, sed leuem sentiunt typum, quibus horis uariando in ascensum pergūt. Vtputa non in uera quotidiana, sed in prima hora tenuerit aliquem. Secunda uero die hora 2. tāgitur. Similiter 3. uel 4. die, uel cæteris incremētis dierum, horæ ascendendo uariantur. Siquidem & alio indicio, uel signis possunt agnosci. Quia in quotidianarijs (sicut supra dixi) agnoscuntur, ut horis suis nascantur, scilicet non immutatis. Quia quidē post frigus typicū calore purgētur acriori, & post febres sudorem in capite, & in pectore habent. Aliquoties & per totum corpus sudant, sicut tertianarij pati solent, aliquibus etiam sitis accidit: urinam uero albam habent, stercora uero phlegmate mixta egerunt, quæ subalbida aliquoties, & pinguia inueniūtur. Nā hæc causa nascitur ex phlegmate, his etiam facies subtumidiores sunt, & ambarū partium laterū inflatio sequitur. Pedes etiam tumidiores sunt, sed non omnibus intumescūt. Hi uero qui hoc morbo laborāt, frigidioris & humidioris naturæ sunt, maxime si tēpus humidū, aut frigidū occurrerit. Nā & in uerno tēpore quāuis calidū & humidū sit, tamen possunt homines hac cau

sa teneri, propterea quod habet humiditatis partem. Sed quia maxime hæc causa cōsurgit hyemis tēpore, qđ ea frigida et humida sit. His ergo cōcurrentibus, cum tēpus, & aër, & humores corporis uirus malum miscēt, quotidianarios faciūt, qbus nisi medicinæ arte succurreris, tunc quotidiana ipsa in macronoxiā uertetur. Quod cum contigit, necessario quartanarios facit. Ergo ante succurrendum est, nc ad tantū malum quartanæ ueniant causæ.

Cura

Quotidianarijs uero in initio causæ oxymellis simplicis dabis ex melle & aceto per triduū bibere, per singulos dies coclear. 4. qbus utiliter et radiculas oxymelle infusas pridie ieiunis edendas dabis, ita ut eis cōtinuo uomitus ꝓuocetur. Quod si minime profuerit, oxymelli addis piperis grana 20. & sic p singulos dies utātur. Quibus p singulos dies potionibus acceptis simplicibus, urinā ꝓuocabis sic: Mitte in calidā radices sparagi, aut ipsos ramusculos, similiter apij, et anethi, aut si omnia non fuerint, uel unam mittes, et tandiu coquantur donec color aquæ praßinus fiat, & quoties bibere uoluerint, utantur. His etiam uenter deponendus ex cathartico phlegmatico, quæ si minus ualuerint, philonium, aut adrianum in modum fabæ, si uires pmiserint, cum mulsa dabis. Si autem ex ipsa causa laßior fuerit, uel ætate senior, aut puerulus, ut

uirtutes adriani, atq; philonij ſuſtinere nõ poßit; pro modo uirium antidota ſunt deducenda, & in breui tempore curabis. Quorum ſtomachus curandus eſt fomentis calidis, id eſt, ex oleo calido, cui admiſcendũ eſt dum coquitur abſinthium ponticum, & anethum. Hi ſalſum, & erucam comedãt, aut raphanos, aut radices. Quibus conditum utiliter datur, ita ut in calida ſupraſcripta conditum miſceas. Melius ſi condito ad das ſpicam nardi, piper, & ſemen apij, & ſic bibant, qui quidem à lauacro abſtinendi ſunt: ſed in hac cauſa plus cathartica adhibita aßidue proſunt, uehementius, & ſi ſemel in hebdomada, aut duabus uicibus, ſi uires permiſerint, ſumantur.

De quotidiana non uera, Cap. II.

Quotidianarius non uerus ſic intelligitur, quia cum horis per ſingulos dies uarijs deſcendat, & aſcendat, utputa ſi 5. hora aliquem tenuerint, alia die 4. hora teneat, tertia die in 3. hora. Et ſubinde per ſingulos dies alijs horis aſcendat. Nothi enim quotidianarij in 24. horis diei, noctisq;, uix hora una, aut duabus, aut multum tribus requiem patiũtur, quia quotidianarij nothi non ex phlegmate dulci hoc morbo tenẽtur, ſed eorum phlegma

acrius

acrius inuenitur,ideoq; & frigus non patiũtur,quod ueri quotidianarij habent,sed habẽt leues horrores. Cætera signa prætcr horarum ascensum,aut descensum,omnia cõmunia habent. Sed hi maxime in autumno,aut circa autumnum tenentur, quamuis, quolibet tempore hoc morbo teneri poßint.

Cura.

Quos fomentis curabis, sicut supradictum est,& cataplasmate,quod fit ex polline seminis lini, & hordei,fœnugræci,& melle,& aqua,& inde stomachũ calidißime per triduũ uaporabis. Quibus cathartica adhibenda sunt,quæ phlegma deponant, & cholerã rufam,Et his oxymel necessario detur,cui admiscendum est piper,pulegium,& hyssopum,origanum,et thymus,& ex inde coclear.3. ieiunis per singulos dies dabis.Radices etiam dandæ sunt, sicut supra monstrauimus, & uomicam prouocabis. Vrina quibus ut supra mouenda est.Sed hi conditum non accipiant.

De cognitione duarum quotidianarum, Cap. III.

Quotidianas duas sic cognosces,quod bis in die tangãt, sed utrum ueræ sint ambæ, an non ueræ,uel si una uera, & altera non uera,ita intelligi potest. Si ambæ ueræ sunt, horis suis

non mutatis typo ipſo, uel febre patientes tenentur. Quod ſi ambæ ueræ non fuerint horis ipſis typicis uariatis tanguntur, & non illis horis quibus ſolent. Quod ſi una uera, & non uera mixtæ fiunt, quæ eſt uera hora ſua cognoſcitur. Non ueræ autem acceſſionibus horarum uariantur, ut ſi quenquã tenuerit hora tertia, alia die, aut ſecunda, aut quarta tenet eum.

Cura.

Quotidianarum diuerſarum curationes ſuperius oſtendi, id eſt, ueræ & non ueræ. Ergo ſi ambæ ueræ ſunt, earũ adiutoria adhibebis. Si autem ambæ ueræ non ſunt, ſimiliter earum impende medicinæ auxiliũ. Si uero una uera, & alia non uera fuerint, ſingulis ſub hora ipſarum acceſſionum ſua offeres adiutoria, & etiam ſuccum hunc, quamuis omnibus quotidianarijs neceſſario detur, uidelicet ex ſucco ptiſanæ calicem implebis unũ, cui admiſcebis piperis grana 50. & ſeminis apij drach. 2. et ſalis triti cyathum 1. Hoc accipiatur quouſq; cauſa accedat in melius. Poſt uero ex omnibus ſpeciebus iſtis quæ ſuccum accipiunt: mediam tamen ſupradictorum partem mittis, & quomodo cauſa requirit, ſubinde paulatim deducis ex omnibus ſupraſcriptis, & ſic uſq; ad perfectionem ſanitatis detur.

De tertiana

De tertiana simplici, & non simplici, Cap. IIII.

TErtiana aliquando simplex est, aliquãdo non simplex, aliquando uera, aliquãdo notha. Tertiana uero quæ uera tertiana est, sic intelligitur: Ab initio frigore nimio exagitantur febrientes, ut ijs horis quibus aguntur de frigore cõplicentur & tenẽtur frigore & febre horis 12. Quibus recedentibus, sudor cõsequitur, et lytopericia alijs 12. sitis nimia non deest, lingua siccior, ut loqui pene non possint. Vrina rufa consequitur, uentrem facilẽ habẽt, & insomnietatem patiuntur, & tantam æstuationem, ut nudare se uelint, & in recentem submittere se desiderant, & hoc maxime est intuendum, ut tempus & corpus intendas. Nam æstatis tempore hæc causa cõsurgit, & maxime iuniores, & callidiores, & corpore sicciores tenet. Nã hi cum sani essent peracriores fuerũt in quolibet exercitio, & calidiores animo (aliâs omnino) solliciti, cogitãtes assidue, cholerã rufam nutriũt, unde hæc causa nascitur. In die inter diem tanguntur non immutatis horis.

Cura.

In primo, uel secundo, si fortes fuerint phlebotomãdi sunt in uena brachij dextri, quæ est iosana, quæ ad hepar ptinet. Dabis ptisanæ succi lib. cui admiscẽda sunt hyssopus, origanũ, piper, mel, & aceti parũ.

Et hæc catapocia dabis post 7. dies: quæ Recip. aloës, scāmoneæ, colocynthidæ, succi absinthij æqualia pondera, confice cum succo caulis ad modum ciceris, & dabis secundum uirtutem, prima uice 7. secunda 13. tertia 21. Quod si neglexeris, mutantur in quartanarium. Quibus quotiescunq; bibere uoluerint, dabis mulsam in qua decoxeris spicam indicam, & piper. Item potandum semen apij & anethi decoctum in mulsa dabis. Item post 7. dies absinthiū ponticum in calida coctum utiliter dabis bibendum. Oxymel etiam ieiunis cum calida, et pipere datū, mirifice prodest. Catharticum etiam lene adhibendum, quod cholerā rufam deponat. Vomitus etiam post escam prouocandus est, unde maxime multos curatos constat. Nascitur hæc causa ex putridis choleribus rufis.

De signis tertianæ non ueræ, Cap. V.

TErtianæ nothæ signa hæc sunt: Autūni tempore hæc causa tangit ambarum partium hypochōdria, id est, iecinora inflata sunt cum dolore. Quibus cum in acceßione dierum creuerit, uultu sub tumidiori efficiuntur, nulla accidēte siti. Vrinam habent subalbidam, uentrem sine solutionis obsequio, uomunt etiam aßidue phlegma choleribus mistum

mistum. Quorum signa præcipuæ intuēda sunt. Qui cum die inter diem febrem patiuntur, tamen non horis suis quotidie cōmouentur, sed uariando aut horis descendit, aut ascendit. Hi sicut ueri tertianarij non sudant: ueri enim tertianarij sudore agitantur. Nascitur quam plurimum hæc causa in infantibus, & declinantibus ætate. Hæc enim causa si autumni tempore quenquam tenuerit, & non ei medicinæ auxilium succurrerit, in macronoxiam uertitur, ut omni hyemis tēpore ex hac ægritudine carere non poßit; exinde in accidente moritur tempore.

Cura.

Tertianarij nothi in initio, uel usq; ad declinationem à lauacro sunt abstinendi, quibus etiam si signa bona futuræ digestiōis cognoueris, lauacrum tamen raro offeres. Hi etiam dum in causa sunt non quotidie reficiendi sunt, sed reficiantur anethica die escis calidis, & pepticis, id est, digestibilibus. Vtere succo ptisanæ cum pipere, & melle cum aceto paruo. Quorum uiscera calefacienda sunt ex oleo, in quo anethū & absinthium decoctum est. Quibus clysmata nimis fortiora adhibenda sunt, sicut frequēter scripta sunt. Qui si iuuenes fuerint, aut sanguine abundauerint phlebotomandi sunt, ita ut magis uena eorum euentet, quam plurimum sanguinē educat. Quibus si phle

 botomus

botomus minime profuerit, clysma eis adhibebis tale: hydroleon, & mellis modicum, et aphronitri, scrup. 5. Vrinam eis conuenit prouocare, ex petroselini, & fœniculi semine, et anethi semine elixis, quorũ aquam bibendã dabis. His etiam cathartica danda sunt, quæ choleram rufam & phlegma deponant, & uomitus prouocandus est sic: Olei partem unam, aquæ tepidæ partes duas, salis coclear 1. insimul misce, & dabis ad bibendum quantum satietatis fuerit, et mittis pennam in ore, ut reijcere poßint. Quod si hoc adiutoriũ uomitum non prouocauerit, dabis calcucecaumeni unc. 2. tritas cum lacte caprino calefacto calicem 1. ut post deambulationem ex se reijciãt. Præterea cum febrire cœperint, & sitierint, dabis eis frigidãbibere. Qui quotidie recedentibus febribus balneo utantur dulcis aquæ, sed maxime in solio plus fricẽtur quã in aëre. Vtantur etiam ptisana, & cum causa ex parte refrigerauerit, ut non tam grauiter ex eadem causa grauentur, aquam calidam in qua absinthium decoctum est ieiuni bibant, quibus dare debes catones, id est, atriplices bletas, aut maluas, uel lactucas, aut cucurbitas, oua apala frigida, & poma diuersa, celsa, & cætera his similia. Vinum album, & leue, nec mireris quod typum diximus frigidis esse curãdum. Celerato enim malo accenso, frigore perungẽtur. Hi

enim ex coleribus rufis hanc causam patiuntur.

De signis tertianæ ueræ, & nothæ, Cap. VI.

Tertianariæ duæ, uera scilicet et notha si se se cõiunxerint, his sigis cognoscũtur. Quia uera diebus suis tangit non immutatis horis: notha uero suis uariatis: Verbi gratia, si una die tanguntur hora nona, & altera die hora 6. tertia die sicut prima die tanguntur hora 9. Quarta iterũ die quinta, aut hora 7. tanguntur. Sic ergo fit ut intermissa die, nona iterũ tangantur hora, sicut tertianarij ueri, & si 5. die hora 6. non tacti fuerint, intelligis hæc signa non ad ueram tertianam pertinere. Vnde intelligere conuenit ex uarietate signorum feb. duas tertianas esse coniunctas. Si uero quotidiana tertianæ se coniunxerit, sic intelligitur, ut tangantur sicut quotidianarij, ut diem intermissum non habeant.

Cura.

Cum duæ tertianæ commistæ fuerint, ita curandæ sunt, ut in diebus suis secundum disciplinam feb. unicuique sua adhibeas adiutoria, ut die tertianarij ueri suum adiutoriũ adhibeas, & die tertianarij nothi, suas offeras curatiões, quia quẽadmodũ per singulos dies diuersarũ signa uariãdo mõstrãtur, ita etiam

& curæ

& curatio non una adhibenda, sed utrarumq; causarum diebus suis conueniunt adiutoria.

De signis ueræ quartanæ, Cap. VII.

TEtrartei nigris coloribus abundant, unde hæc causa contingit, maxime eos tenet qui mediam habuerint ætatem. Nam senes & pueros si tenuerit, non diutius laborant. Quæ si uera & integra quartana sit, his signis cognoscitur. Primo de quo tentantur, nimium tremorem, & febres acriores patiũtur. Sitis nulla, pulsus ingens, fortis, spissus, qui cum decẽ periodos expleuerint, declinationem eiusdem frigoris patiuntur, & febres augmentantur. Ventrem constrictum habent. Quorum urinam suscipere cõuenit, & cum resederit, inspicienda est, cuius colorem subnigrum inuenies. Tumidum etiam splenem habent, uultum & oculos subtumidiores, hi etiam recedentibus febribus sudant.

Cura

Siue in initio, siue in quolibet tempore, si nulla grauabuntur laßitudine, phlebotomandi sunt, quorum sanguis tandiu currat, donec niger color in rubeum cõuertatur. Quibus post tertiũ diẽ clysteriũ austere adhibere per triduum debebis, & escæ calidæ, &

calidam

calidam uirtutem habentes, uel quæ uentrem deducant, offerenda sunt, ut est lapathiũ decoctũ in patina, siue malua, uel bleta, quibus ut uirtutẽ calidã facias, piper adhibebis, conditum etiam piperatum offeres, à porcina, & bubulina abstineãt, uino albo & leui utãtur. Pisces aspratiles, & salsamenta comedãt, & sinapi, & cætera talia. Quibus ieiunis piper cum calida dabis, abstinẽdi sunt à balneis. Quibus manus defricari debent manibus puris, quorũ splen oleo calido primũ fomentandus est, in quo decoctæ sint capparis radices, & absinthiũ, & anethum, cataplasma etiã spleni tale facis, quod Recip. aristologiæ rotũdæ & coriũ radicis hederæ, sinapis ana. unc. 1. caricas. 20. cõficitur sic: Caricæ die & nocte in oxymelle infundantur, & sic extra terãtur, & cum puluere admisceantur, dehinc in eodem oxymelle omnia mittantur, & usq; ad sufficientiam decoquantur, & ita cataplasma impones, ut duritia splenis soluatur. Quod si minime profuerit cathartica adhibẽda sunt, quæ nigram choleram deponant. Hoc frequẽtius facias, & post cathartica diatritonpipereon, & philonium uel adrianũ, frequenter ieiunis dare debebis. Qui etiam calidam aquam si in usu habent, bibere si uoluerint, bibant. Epithimũ, & cyminum, & hyssopum creticum in coctura addes calidæ, & sic bibant, & post escas

uomicam

uomicam prouocabis, & radices in oxymelle infusas per triduum ad satietatem comedant. Et post comestionem, oxymel ipsum cum aqua calida bibant, ita ut potu satientur, & sic uomicam prouocabis, quibus helleborum album sic dabis: Tolle raphanũ, & perunges ex helleboro, ita ut helleborũ intra radices coniunctum una die maneat & eo sublato ad satietatem dabis radices, ut manducẽt, & uomitum prouocabis, quibus etiam oxyporium adhibebis, & maxime calida frequenter danda sunt.

De quartana non uera, Cap. VIII.

Quartana notha maxime pueros et senes retinet. Nam urinam habent albam, & post febribus & frigore perurgentur quarũ horæ suum ordinem non seruant, & per singula lustra horas deducunt & adducũt. Sitis eos tenet. Hæc causa nascitur ex phlegmate, & choleribus nigris.

Cura.

Si fortes fuerint, in manu sinistra de uena splenis phlebotomandi sunt, quibus etiam apophlegmatismata adhibenda sunt sic: Mitte staphisagriam tusam in dulcoribus calicibus duobus, & aceti uno, ubi fundis etiam hyssopum, & thymũ, per triduum coquens, & dabis

& dabis ut gargarizent in ſole, aut in balneo, ad heminæ dimidium modum, quia ſatis iuuantur. Catharticum etiam dabis, quod phlegma deponat: Rec. pulegij; piperis, drach. 4. cymini, drach. 3. cocognidij, lacteridos, ana. drach. binas euphorbij. drach. 1. mulſam quod ſufficit, & cætera quæ phlegma deponãt. Vomica etiam ieiunis, & poſt cibum eſt prouocãda. Ieiunis etiã ſemen apij, & piper cum calida aqua bibere dabis. Quorum ſplen ſi in tumore fuerit, curabitur ſicut ſupradiximus. Quibus etiam antid. dipoliſten dabis. Si uero hæc adiutoria minus profuerint, theriacam eis dabis in ipſo impetu. Philonium ſimiliter dabis & adrianum, ut ſupra. Quibus ſuccum ptiſanæ quotidie dabis, & piper admiſtum. Ventrem etiam per ſingulos dies per clyſterem deducis. Et ſi hæc omnia minus ualuerint, helleborũ albũ per triduum in aqua infundes, & cum eadem aqua philonij, drach. 2. dabis.

De quartana duplici, Cap. IX.

QVartanarij duplices cum in quartana ſimplici ſanos duos medios habent dies: primo etiam & nouiſſimo febriunt in duplici quartana biduo ab initio febriunt, in medio habent unũ diem ſanum, & biduo iterũ febriunt. Sic duæ quartanæ con

iunctæ

iuncte ueræ, per typos ipsos & horas suas agnoscis. Si ueræ non sunt, in horarum accessione uariantur. Quod si una cardinalis non ueræ misceatur, una die & una hora non agnoscitur, sed in alia uaria cõmotione, hæc duarum quartanarũ sunt diuersa indicia. Si quartanæ ueræ notha se cõiunxerit, aspicies secundum disciplinam suprascriptam, ut scias quæ dies sit quartanæ ueræ, & nõ ueræ, ut horis accessionũ suarum, uel dierũ, sua adiutoria adhibeas, ut si in die horas suas seruauerint, catharticum des, uel adiutoria ueræ quartanæ. Si non seruauerint ordinem, adiutoria quartanæ nothæ adhibebis, ut eodem die talem des medicinã, prout est causa, aliud in crastinũ, quia quemadmodũ quartanæ subiungũtur. Ita etiam adhibenda est duplex curatio, ut in die uniuscuiusq; febris ei adiutoria offeras.

De planetis, Cap. X.

Planetarum febres quotidiano typo similes sunt. Nam frequẽter medici in his falluntur. Quanq̃ signa planetarũ interdũ diligẽter ostenderim, tamẽ rem nimiũ necessariã credidi adijciendã. Scire te cõuenit planetas esse febres, quæ nullius febris, uel typi habuerint indicia. Vnde si super signis, nullã periodicã febrẽ cõprehenderis esse, reco

gnoueris

gnoueris esse planetas. Nam quæcunq; febres uariando se, suum genus aut speciem non ostendunt, profe= cto febres erraticas, quas græci planetas appellant, se esse demonstrant, & qui pro certo eas intelligere non possunt, existimãt amphemerinas esse, id est, quotidianarias. Nam planetæ febres quotidie bis tangũt, ut putentur duæ quotidianæ esse coniunctæ. Sed inter quotidianas coniunctas & planetas, hæc habetur distantia, quia quotidianarij necessario typum patiuntur, planetæ sine typo sunt. Sed maxime hæc signa habent, quæ aliquos bis, & ter, & quater in die tãgunt, & non diu ipsæ febres retinent ægrotantem, ut pos= sint habere inter se interuallum sanitatis, aliquoties habent & diem anethicum, id est, sanum. Dum enim tangunt & bis, & ter, & subito semel in die tãgunt, & in tempore redeunt, ut bis, & ter tangant. Sunt etiam quibus typus leuis accidit, sed non semper, nec omnibus accessionibus, sed ne typo ipso accedẽte medicus fallatur. Ex tanta uarietate accessionum intelligis planetas esse febres, quas latine erraticas diximus. Quæ febres diuersis humoribus infestãtur, quia quẽadmodũ ista febris uaria & instabilis est, ita etiã corpus eius de omnibus uarijs humoribus infestatur. Vnde necesse est ex ægritudine hac ut quartanarius efficiatur, nisi ei auxilio medicinæ fuerit succur=

Ff sum.

ſum. Dum enim cholera nigra & rufa, & phlegma inter ſe contendunt, & exuberant, tunc planetæ febres naſcuntur. Sed dum humores hominũ in corpore exuberāt, qui uicerit, obtinet cauſam. Sed quia paulo cholera nigra obtuſior & fortior eſt cæteris humoribus, quoniam eandem choleram cæteros humores obtinere neceſſe eſt, quartanarium cum uicerit facit. Ergo ne ad huiuſmodi tam ſæuæ quartanæ ueniāt cauſam, auxilio medicinæ congrue ſuccurre.

Cura.

Præcipuum & magnum auxilium eſt catharticum dare, diuerſam cholerā & phlegma deponens, quod etiam tu medice qui naturam pigmētorum noſti, colligere poteris, ut intelligas quæ pigmenta phlegmaticos, & quæ diuerſos cholericos ſoluant, ut ex diuerſis pigmentis unum catharticum facias, ita ut temperatum ſit. Quāuis cathartica tamen ſtomachica danda ſunt. Quibus utiliter detur ſuccus ptiſanæ, cui admiſcebis diagridium modicũ, & piperis grana 20. & epithemi, quod ſufficit. Quod ſi epithemũ non fuerit agaricum mittis, melius ſi addas ſemen balſami, ſed ex omnibus modice mittis, ne aut plus faciens homines turbes. Quibus dabis piperis grana 20. uel ſi ætas minor fuerit, paulominus ipſum catharticũ, pro ut uires

ut uires ætatis prospexeris, dabis. Omnia enim medici est præuidere & temperare utiliter cõuenit, etiam epithemata adhibeantur stomacho ante horã accessionis, quæ calido uigore utantur. Sed in omnibus nihil præponendum est cathartico, quod humores qui febres nutriunt deponat, & cum detracti fuerint, necesse est ut etiam febres amputentur. Isti mane comedant, & ab omnibus quæ melancholicũ nutriunt humorem, cibis abstineant.

FINIS.

GARIOPONTI MEDICI VETVSTISSIMI LIber Octauus.

De Sintomatibus febrium, Prologus.

NVnc diligentius, & ualde consideremus, in quantum possumus perpensemus, quale, & quantum ipsa febris iuxta suam speciẽ, uel quale iuxta suum

genus sintoma afferat ægrotanti periculū. Non enim mediocriter laborat, neq; periclitatur, qui ex febribus & sintomate, id est, dolore aliquo, et uigilijs consumitur, cum una res ex his per se tātum si sit aßidua, sufficiat extinguere hominem. Vnde præuisa & intellecta utriusq; uirtute, hoc est, quales sint febres, & qualia sintomata earum, & si qua uehementiora, & peiora sunt, ad ea magis attendas, ut cum omni diligētia cures, sicut doctus artifex, ne sis omnino piger, aut negligens, atq; non curans. Vtputa si sit febriens quidam plectoricus, quod est abundans corpus malorum humorum craßitudine, & ex eorum indigestione compungatur, uel cōmordeatur, & ipsum os uentris quod dicitur stomachus, ex congestione indigestorum, uel pinguium humorum comprimatur, & suffocetur, uel concludatur, ita ut nullam habeat exhalationē: Et si etiā plectoricus aliquos corruptos uomat humores, aut per humoris abundantiā laborans natura clausis horum meatibus non inuenit iter apertum, & liberum egestionis, et periclitetur angustijs, quid in hoc facere conueniat nos uideamus, utrum ad causam & ad impetum febris attendamus, aut tantum purgabimus nimietatem, ut diximus plectoris. Quod si fecerimus, non sine grandi malo faciemus, aut ante magis os uentris plenum, & laborans humoribus

ribus purgabimus, etiam cum id factum bene prius ui derimus, tunc melius totius corporis purgationem fa ciemus. Mihi uero sic fieri utile esse uidetur, ut antid. id quod grauius est de pluribus obtineamus, & sic postea id quod leuius est, facilius curabimus. Nă scimus multos medicorum ignaros, non ad hoc respicientes, & incongrua facientes, plurimos hominum extinxisse, multosq; grauißimo periculo subiecisse, aut certe in macronoxiam misisse. Quia antequam laborantem, et plenum stomachum corruptis humoribus, & craßis purgarĕt, & corroborarent, ausi sunt contra rationem totius corporis facere purgationĕ. Sed si cum fluxu uĕtris febriat, qui plectoricus est, non est alia aliqua adhibenda purgatio extrinsecus, etiam si non illa purgatio tanta sit, quæ fit sponte per fluxum uentris, quantum causa postulat, tamen sufficiat, quia fluxus naturalis est, frequenter enim ipsa sibi physis medetur, quæ est domina corporis. Nam sæpe multi non intelligendo existimăt debere eos qui talia patiuntur, pluribus & maioribus purgationibus indigere, & ausi sunt, hi aut sanguinĕ detrahere, aut uentrem sponte fluentem, dato medicamine amplius prouocare, grauißimisq; eos periculis magis lædendo affecerunt. Sed si quis etiam plectoricus corruptis humoribus contorqueatur, & hunc purgari medicinali

ratione necesse sit, nec tunc tantum demere uentris se mel, aut sanguinis conuenit, quantũ ipsa causa, uel ple nitudo plectoris postulat, sed sint aliquid ex sintoma te relinquentes, sudorẽ frequenter irreprehensibilẽ cõmouente, aut uigilias inferente, & uirtutẽ ægrotã tis cõmouente. Ita ergo considerandũ, & maxime ca uendũ est, si uigilijs cõtinuis, uel etiam aliquibus labo ribus æger afficiatur, alio quolibet sintomate non ue hemẽter, & multa purgatiõe, uel sanguinis detracti ones facere cõuenit, nõ enim ad hoc sufficit æger. Ar bitrandũ etiam hic & quasi sintoma aliquod accipi= enpũ ad curationẽ ægritudinis, si sit aër uehemẽs, sic= cus & calidus, sicut præsenti anno factũ uidimus, in= cipiente ortu canis, uel arcturi, atq; syrij stellæ, quod tẽpus incipit à 15. calend Augusti, & extẽditur usq; in nonas Septẽbris, & usq; est numerus dierum 50. Vnde qui hoc tẽpore sanguinẽ detraxerint, finem ui= tæ fecerint, eo quod medici ipsorum causas tantũ attẽ dentes, tẽporis rationẽ ignorantes, sintoma causarũ non uiderunt. Ita ergo sintoma fit ægritudinis, sicut frigidum satis tẽpus sit & humidũ. Ergo simili ratio= ne nec tunc utile est detractionem sanguins fieri, nec uentris, quia non minima fient ex hoc pericula. Perie runt nanq; illi in sicco, & uehementer ignito, ut dixi= mus tẽporis aëre, ablato irratiõabiliter corporis quo

sustine=

ſuſtinebãtur humore, ſiccati nimium & areſacti ſubi tis anguſtijs animã exhalarunt. Similiter & illi qui ni mis frigido aëre tẽporis, amiſerunt per aliquã purga tionẽ, uel detractionẽ ſanguinis naturalẽ corporis ca lorem, ſubito ex nimio frigore cõſtricti mortui ſunt. Quia pari ratione nimiũ frigus, ut nimius calor occi- dit. Ita ſiccitas multa, & multus humor necat. Quip- pe ſi in frigore nimio auferas ſanguinẽ, aut in tempo re calido exicces ſatis, nonne contraria, & in conſi- derata ratione occides? Ita ergo & locorum poſitio, & regionum ſitus, & aër conſiderandus eſt à nobis, quia neq; in nimum calidis, aut nimium frigidis locis, uel regionibus, auferendus eſt ſanguis, aut uẽter pur gandus, ſed temperandus ex hac ratione, ad utilita- tem curationis ægroti. Nam ſi ſit calidus locus, cali- daq; regio, calidum tempus, abſtineamus à retrahen dis humoribus, id eſt, per uenas, & per uentrem. Similiter & in frigido loco, & regione frigida, tem- pore frigido, quod minime facies. Conſideranda er- go eſt & phyſis, id eſt, natura ægrotantis. Nam multi neque nimiam ſufferunt exhauſtionem, neque ieiunium ferunt, id eſt, nec abſtinere poſſunt à ci- bo longum, quia ſunt aliqui, qui mox amittunt uirtutem corporis exhauſti per uenam, id eſt, per uentrem, & aliqui ex ieiunio ſtomachum in uitium

mittunt & fastidium incipiunt pati ciborum, & si quid coacti & cõpulsi acceperint, digerere non possunt, sed aut mox uomunt idipsum, aut non digerẽdo grauãtur in peius, hoc incipit esse iam sintoma. Ergo in hac parte cognitionis physis ipsa, id est, natura corporis eius qui ægrotat, ponenda (ut dixi) & considerãda est. Quotquot enim calidi & sicci natura corporis sunt, hi omnes si uehementer, & nimium purgentur, facile & non mediocriter læduntur. Quia et consuetudo non parua res est, decet ut consideretur, & in hoc, id est, in exhauriendo, et in alijs omnibus, & in cæteris rebus. Secunda enim natura est consuetudo. Nam illi qui plurimo utuntur cibo, & purgari soliti sunt, illos ne metuas, etiam uehementi purgatione uentris, & detractione sanguinis exhaurire, maxime si alia testentur, his purgationem fieri manifeste debere. Istos uero mediocriter exhaurias, qui antea leuius purgati sunt, nec dum uehemẽter pertulerunt purgationem uentris, uel detractionem sanguinis. Alios uero horum aut facile exhauriẽdos censeo, nisi prius diligenter omnia perspexeris & id fieri exposcere causam, atq; postulare cognoueris. Ad hoc ergo ualetudinem corporis, uel qualitatem considerabis quia alij sp[illegible]sso, & cõstricto sunt corpore, ac ualido, & non facile sentiũt molestiam. Vnde hos tales

corpore

corpore non uerearis semel, & uehementer purgare, si erit necessitas, aut detrahere sanguinem, quantũ causa postulauerit, & si nihil aliud de diuerso sit, ut solet, quod prohibeat. Illos uero qui fluido & molli corpore sunt, & imbecilli quidem, & facile uincũtur ab omni re, nec ferunt molestias, hos minime exhauriendos censeo, etiam si id fieri manifesta causa postulauerit, non solum detractionem sanguinis, sed & alijs etiam quibuscunq; purgatorijs, uel medicaminibus mediocriter, & non semel, ut diximus, & uehementer in his utendum censeo, quia mox uicti malefiunt, atq; deficiunt. Vnde partim paulatim melius utimur, & sine metu atq; periculo. Simul considerãdum eadem ratione, & in illis est, qui aut nimia mole corporis grossi, uel pingues sunt, aut nimia exilitate pertenues, & macilenti satis sunt. Quia in his detractio sanguinis de uena nimia, & purgatio uentris uehemens, nec facilis est, nec sine periculo fit. Est enim in his quasi sintoma, prohibet id fieri habitudo corporis, & ætas ipsa. Nec enim pueri, nec senes postulant hoc sibi fieri, nec gaudent, si facta fuerit, sed tristes et periclitantes erunt. Sed ut diximus uniuersos iuxta rationem causarum considerantes, diligenter exhauriemus, non semel, nec uehemẽter, sed partim & moliter abstinendo à cibo, mediocriter ieiunis utimur, in

tempore suo cibum dantes, & potum. Curandus est stomachus cum fricationibus rationabilibus, & clystere non uehementi & molli, & congruo, atq; tēperato. Omnibus medicinaliter utimur embrocis, & fomentationibus, & lixoperitis, & cerotis, & cataplasmate salubri, calidis fomētis, etiā cucurbitis, lenibus, uel cum foco, uel scalpello, ut ratio causæ postulauerit, nec non et lauacro utimur tēpore cōpetenti, nihil omnino incōgrue faciētes, ne lædamus potius, quā iuuemus. Phlebotomo uero utimur, si grādis & matura fuerit causa ex uitio sanguinis, & ætas, & tēpus pmiserint, & uirtus ægrotantis. Clystere uero utimur si uenter non obsequitur, & decocta febribus uētris egestio, in his squibala constricta augmētant ægritudinē. Fomētationibus & embrocis ea loca curabimus, quæ patiūtur, aut gargarismate simplici, uel electuarijs tunc utimur, cum tußis, aut singultatio ægrotātes infestauerit, & si phlegma collectū in stomacho senserimus, succū ptisanæ addito oxymelle dabimus, aut apium bene coctū, si urina difficilis erit, cataplasmis utimur, ad incidendas febres, id est, lini semine, ex aqua in oleo roseo tantū decocto, aut si senserimus medias partes stomachi indignatas, & in feruore positas, addimus fœnugræci pollines, & hordei, & tritici, & oleum dulce, his addimus etiam & mellis quod

sufficit,

sufficit, & sic utimur etiam cucurbitis sordidis, & paragoricis. Horũ omnia tẽpora obseruãda sunt, ut quãdo declinẽt, & quãdo cõmoueantur causæ, sciri possint, quia talia horum in declinatione fieri cõueniunt. Cibis maxime leuibus, id est, succis ptisanæ utimur, cũ febris accẽditur. Deposita enim & transacta febre, paulatim addimus cibos bonos, et digestorios ad recuperandam sensim uirtutem ægroti, & ad confirmandam sanitatem.

De dolore capitis, Cap. I.

Si quis doleat capite sicut solet, & sit abstinens à cibis, et cordis pulsum patitur, impera ut uomat. Qui uomet cholerã, aut phlegma, aut utrunq; nullo aũt euidẽte signo, circa uentrẽ causæ alicuius exiſtẽte, unde posſit p anathymasin dolor capitis cõmoueri, præscire tũc demũ, et cõsiderare diligẽter debemus, ne forte nimietas exuberatiõis alicuius humoris, enfraxin meatus alicuius, aut feruorem fecerit locorum eorum qui sunt in capite. Id autem sic poteris cognoscere, si interroges, an totum caput doleat, atque tendatur dolore, an nimia aliqua capitis parte uehemens insederit dolor. Deinde interrogabis, utrum ipse dolor cum grauitate sit, id est, quasi pondus aliquod grauet caput, aut tendat, aut configat, aut pulset. Nam si cum pondere capitis

dolor,

dolor erit, significat abundantiam humorum. Si uero cum cõfectione, uel compunctione humorum feruentium, significat acerrimam exhalationem, uel uaporationem. Si autem cum pulsu, & quasi cum percußiõe, calorem & feruorẽ significat. Si cum tensione, id est, quasi tendatur doloribus caput sine pondere, & pulsu, indigestiuæ uentositatis copiositatem significat, et tumentis spiritus abundantiam. Si uero tensio ipsa capitis cum pulsu erit, feruorem atq; indignationem significat, & membranarum quibus cerebra inuoluuntur. Si autem cum pondere tensio erit capitis, abundãtiam significat humorum infra ipsos sinus mẽbrorum congestam, atq; cõstrictam. Cum ergo omnia ista definita ratione manifeste cognoueris, inquire, & considera rursus causam, id est, originem quæ id facit. Ipsa enim causa uniuscuiusq; paßionis, curationẽ sui ostendit, id est, si abundantia & nimietas exhalationis, uel uaporationis feruentium humorum erit, præuide & cognosce, ne per nimietatem febrium ebullierint humores, uel biles, qui à stomacho effusi, uelocius caput cerebrumq; petierint, aut propter infirmitatẽ partis capitis, aut propter nimietatẽ & abundantiam humorum in toto corpore, qui totum corpus pondere suo grauant, et hanc quidem non difficile curabis purgatorio, et euacuatione totius corporis. Illam

uero causam quæ per imbecillitatem in parte capitis fit, curabis non tantum in ea parte, sed etiam per antipasin congrue facies, si acri utaris clystere, & ligaturis constringas pedes, & blandis confricabis manibus, & necesse erit aliquid detrahas sanguinis ex alia contraria parte. Ipsam uero partem sic curabis: In eodem tempore quo antipasis fit, embroca capitis utaris, quæ posit abigere & repellere causam à parte capitis, deinde alijs adiutorijs, quæ poßint purgare & euacuare, sic etiam postremo quæ poßint confirmare & corroborare. Repellit & abigit oleũ uiride recens, & nouum, nec non & oleum roseum idem facit, & per seipsum, & cum aceto mistum, & quæcunq; sunt sibi uirtute similia, id est, oleum in quo papauer fuit infusum, & frõdes, uel summitates oliuæ tenerrimæ & per quã molles, & hederæ grana, mentha, & sisimbrium tenerum & uiride. Vtendum est uero his tepefactis, si aquosus, uel frigidus humor in capite abundans sentitur. Si uero calidus & cholericus, frigidis embrocabimus caput. Euacuat uero & purgat atq; detrahit humores, calẽs oleum, ipsum per se tantum, id est, purum & magis id facit si sit uetus, aut si anethum in eodem oleo bulliat, aut radices cucumeris agrestis. Nam isto tali oleo fomentando curabis mediocriter, & non ualde spissos & acres humores. Cum

res. Cum ergo crassiores & satis spissos humores uo lueris purgare, des quoq; infusum serpillũ, desuper oleum uel pulegiũ, aut neptã, uel mentham, aut sisimbriũ, quia hæc talia & uehemẽter purgãt, & uirtutẽ tribuunt, et laxata reficiunt mẽbra. Vnde oportet uti his continuatim usq; ad sanitatẽ completam, et si necesse erit caput purgari, per palatum & nares id faciemus, & sternutationẽ prouocabimus, & in balneis aëre siccis caput sabanis diutissime perfricabimus non utentes oleo, nisi sale, & nitro, & sinapi. Hæc ergo cura dicta est capitis ægrotantis. Nam quia ex nimia febre dolor capitis fieri solet, frigidis effectu, atque uirtute embrocabimus, id est, hydroleon, uel oxyrhodino, hoc est aceto & oleo roseo, uel ex papauere confecto oleo.

De signis doloris capitis, Cap. II.

PEr quantitatẽ febriũ capitis dolores esse diximus, maxime in qua parte incubuerit febris. Venas ergo eius in quo ascensio eius febris est, extẽdit cum dolore capitis, unde græci sintoma dicũt. Quoniã & augmente febre, augetur dolor capitis, & laxante, laxatur. Quanquã eam passionem ab ipsis audiamus, qui eam patiuntur, tamen manifesta hæc eius passionis sunt signa qd' in initio eius

sæpe

ſæpe grandis grauedo eſt. Et cum paßio grauis eſſe cœperit, manifeſtũ eſt tunc magis caput cõmoueri à febre, & dolorẽ reddere. At ubi augmentũ eius uires acceperit fit manifeſtus dolor, atq; grandis maxime tẽporum. Deinde totius capitis ſequitur dolor, tamẽ oſtenditur quædã agnitio in facie, quã græci pyroſin proſopum nominãt, quia nonnunquã oculi eorum ru- beſcunt, & genæ. Palpebræ uero tardius mouentur. Tacent plerunq; & tumeſcunt uenæ, piget eos loqui. Oculi quoq; eorum non clare cernũt, uix audiunt, nau ſeant, albumen quoq; oculorũ foris uerſum oſtẽdunt, uel intumeſcũt ubi dolor cœperit minui. Nonnunquã ſubito et ſine ratione, deſinit dolor capitis, ex qua re ſuſpectio eſſe debet, ne fiant illa quæ græci paracopẽ dicunt, aut obliuio mentis, id eſt, lethargia, uel cata- phora, quæ alienationis ſigna ſunt mentis, id eſt, phreneſis.

Cura.

Oportet his hæc adiutoria adhiberi, id eſt, molli- bus manibus, atq; calidis caput continere, atq; fron- tem, nec ſint ualde conſtrictæ manus, ut eadẽ res hãc paßionem poßit augere, uetãduſq; erit ualde aẽr lu- minoſus. Locus enim lucidus ſi erit oculorũ acies per cutiens irritat dolorem capitis, cui cum in ſtatu erit, oleum calidum adhiberi iubemus, nec ſatis calidum,

nec

nec satis frigidum, quia intemperantia lædit. Quod si se addiderit dolor, oleo camomillino caput perungatur, aut mulsam gargarizent. Quod si perdurauerit dolor, foueatur caput ex elixatura seminis lini, aut maluæ. Si uero increuerit dolor maximus, acacia, aut creta ex aceto, aut cum aqua trita, frontem, & tẽpora perunges, aut apposito uermes terrenos cum pipere. Quod si febres interiores erunt, & magnus increuerit dolor, sanguinem de uena emittere debes, aut cataplasmabis, aut accipiãt elixaturã anethi, aut absinthij põtici. Quod si adhuc perdurauerit dolor, preßius erit caput tondendum, & cataplasma adhibendum capiti, ex lini semine, & hordei polline, & fœnugræco. Si uero omnia contempserit, cucurbita erit adhibenda, cùm hypolaupadio, non satis ignita in medio capite, scarificatione moderata adhibita, id est, ut non minus aut amplius incidatur. Post hæc cerotario uti debent. Quod si hæc omnia obseruaueris, ad plenißimam cum sanitatem perduces. Sane si febres non sunt, chirurgia est adhibẽda. Quod si inter est nausea, oxymel accipiant, & uentrẽ prouocent.

De parotidis in febribus, Cap. III.

IN febribus parotidæ nascuntur, propter earum magnitudinem febrium, uel quia in ipso impetu frigidam

frigidam aquam uel bibant uinum plurimum, aut ex perfricatione, uel si immoderate se abluant, uel si plurimum loquantur, uel si dura aßidue manducent, aut frangant, aut multnm disputent, ex his enim omnibus causis phlegmon fit. In febre plurimæ gignũtur parotidæ circa auriculas, unde & parotidæ sunt dictæ.

Cura.

Plures uero harum modos diuersos dicunt, & uarias adhibent curas. Nos autem communes quoq; impetus communi curatione curabimus. Nam quamdiu in impetu est causa, tegimus lana mũda & molli. Dehinc cum cœperit impetus febrium diminui, fouemus oleo dulci & calido aures, & ex eo oleo ibi aliquid infundimus, nec fasciamus lana foramina auriũ. Extendit enim dolores aurium constipatio, & tandiu fouemus oleo ipso, donec mitigentur. Quod si non mitigaueris, cataplasma adhibendũ erit, id est, mulsa, uel hydroleon, siue decoctio fœnugræci, ucl lini seminis, aut maluæ com stione. Mittimus & oleum calidum, & pollines hordei, & ex eo cataplasmamus, ita tamen ut oleum & mel misceas. Tunc si diutius dolor permanebit, opponamus ei pannos lineos tinctos in calida & oleo. Quod si impetus & dolor permanebit, piriasis erit illis adhibenda, id est, spongia in aqua calida, intincta, & expressa. Deinde cucurbitas

adhibemus, ut nõ satis constringant. Vbi non declinã uerit duritia, cataplasmabis ex farina hordei & mulsa. Vbi autem minuitur duritia, creta argentaria, aut succo de immaturis prunellis, id est, acacia ex aceto cõspersa de penna linimus. Vbi duritiã inuenimus, cerotum est adhibendum ex oleo dulci limpido cum achanti radice, uel adipe porcino recente. Post hæc apponendum erit malagma diaquilon, uel diasansucum. Quod si duritia permãserit, dissoluere debemus humorem ut remollescat, & corrũpatur, apponentes triduo nasturtij semen tritum & hordei in mulsa coctum, quousq; duritia illa ut superius diximus, ad maturitatem humoris ueniat. Et tunc chirurgia erit adhibenda in rotundo, & locum incisum curamus sicut in omnibus uulneribus exigit. In omnibus autem temporibus curare debemus, ut cibos omnes molles, & sorbiles accipiant, & alicam ex mulsa gargarizent.

De linguæ asperitate, Ca. IIII.

PRopositum est dicere de sicca, & aspera lingua & usta in febribus. Differunt equidem febres à se, quia alia magna est, & alia leuis. Nam quando leuis est siccatúrque lingua, sed quando augetur, ásperatur. Quando cœperit in statum crescere, inflammatur, atq; uritur lingua, quã causon græci dicunt.

Cura.

Cura.

Ergo hæc prima causa collutione oris in tempore adhibita, soluitur, & si siccitas, aut asperitas permanet, signum est hoc quod ex intimo linguæ incēdium seu siccitas, uel asperitas uenit, id est, ex interioribus membris quæ linguæ sunt connexa unde impetus nascitur, & cum ipsa sunt in impetu, necesse est quoque quod nexum est signa impetus gerere: ex hac enim causa quam uidemus, illam quam non uidemus ratione perspicimus.

Cura.

Linguæ autē asperitatem ita humectari oportet: Dabis aquam continere in ore, uel lini semē, aut pusillum in linteolo ligatum decoquitur, & cum eodem linteo ut est ligatum linguam fricabis, & sic semper infundes aquam mundam, & lauas, spongiaq; detergis, seu ex oleo roseo cū melle misto infundis, uel portulacæ succum dabis in ore tenendū, & libanotidos in mulsa decoctum, necnō & damascena, maximeq; ossa eorum, cum lactucæ uel caulis succo.

De perielcosi. Cap V.

Perielcosin passionē latine possumus dicere nimiam sitim, cum ardore febris. In initio hanc passionem his signis comprehēdimus, Primum quod

 phlegma

phlegma pectoris eorum uritur, talique anhelitu redundat, hi quoq; uehementer sitiũt. Accidit hæc passio strictis febribus, uel illis qui epiploce laborant, quibus maxime respicere debemus, si cum strictura cœperit augmentũ habere, tunc debemus in oleo calido, uel decoctione fœnugræci, non tamen spissa, uel multum aquata, uel decoctione maluæ intingere pannos laneos molles, uel lineos, aut spongias molles, & eas opponere præcordijs & thoraci, & si poßibile erit etiam per dorsum eas immutare aßidue & dare operam oportet ne frigescant.

Cura.

Tunc cõspicis quod contrariũ habet corpus, deinde adhibebis hæc laxamenta superficiei corporis, id est, plagellas in calida, & oleo intinctas, in qua calida immittis rosam siccam, aut lini semen. Et iterum post hæc aqua calida labia, uel os, & linguam ægri lauato, adhibebis cucurbitas uacuas, & loco iaceat æger lucido, & pensili lectulo. Cataplasma erit adhibendum: quod Recip. palmulas pingues, & oleum, & aliquid mellis, atq; aquæ, & pollines hordei, lini seminis, fœnugræci, altheæ radicis, aut folia, & conficitur sic. Palmulæ bene tritæ, oleo, melle, & aqua ferueãt, & sic althea optime trita, et pollines omnes cõmisceantur, & ita calida per triduum stomacho imponatur.

natur. Post hoc cucurbitæ tractus adhibeatur, nausea prouocetur, & uenter subducatur. Vbi laxatio fuerit ardoris, obseruari debet à stipticis uel frigidis, quod si impetus maior fuerit ardoris, frigidam accipiant, & sic bibant pro siti, accipiant rhodomel, aut ompha comel, aut elixaturam apij uiridis, aut rosæ siccæ, cibum accipiant tenerum, & paruum.

De fastidio cibi, & potus, Cap. VI.

Fastidium est cibi ac potus recusatio, aliquando uehementius in toto recusant, aliquando non ex toto accipere summopere recusant ægri, aliquoties molestam, & contrariã solent desiderare causam. Quando hæc patiuntur, stomachi est præcipue uitium. Aliquando cum fluxu, aliquando cum strictura, & non tam in febribus, sed sine febribus hæc accidit paßio. Ergo si constrictura laborant, stomachus laxari debet, si per fluxum constringi, & dari quod demonstramus, atq; monemus his quædam odoramenta quæ odorem ferant, & si paßio permittat, id est, si faciat declinationem, gestare debemus illos cum equis, & plaustris, & uarios cibos & separatos in declinatione dare, & leue quod dabimus uarium sit. Inuitant enim uarietates animum

infirmi, & repente quædam oblata excitāt, & in extremo odoratos damus cibos, ut gustent de plurimis paululum. Tunc enim si hæc fecerimus, lætabitur infirmus. Deinde introducatur sermo qui irritet ad cibum inducēdum. Quod si non acceperint cibum, clyster inijciatur, & cataplasmate uti debent de pane sicco, & palmulis, & malis cytonijs. Quod si omnē cibum auertat æger, & contrarijs sibi delectetur, sermone atque ratione utendū erit, sed primo quæ sunt recta contra uoluntatem ei demus. Quod si omnia cōtempserint, & contraria uoluerint accipiant. Si uult constrictoria, ut fluxa utenda sunt, tamen qualia accipere ualet, eoq; modo deficientem sustinebimus, usque in declinationem quasi propter remißionem.

De singultu, Cap. VII.

DE ualido singultu sermo est: accidit aliquando febricantibus, nonnunquam & sanis plerunq; euenit, et acute febricantibus. Huius rei signum est stomachi concußio, seu uibratio cum quodam sonitu proprio atq; huius rei solitario, & ueluti asperitate quadam resonante, & in tantū ut singultus cogat plerosque uomere quæ accipiunt, nec simpliciter uomere, sed cum quadam præfocatione: ali=

me: aliquando ualidior est. Nam tunc & uniuersa quæ accepta sunt reijcere cogit.

Cura.

Adiutoria diuersa ad hanc ualitudinem adhibemus quæ superius in stomachi impetu diximus. Qđ si frigus est in stomacho calefactoriam curam adhibemus, dicente etiam Hippocrate: Singultus aliquoties fit aut ex repletione, aut ex inanitione. Inanitio repletionem, & iterum repletio inanitionem soluit. Si per longum tempus fuerit, uomitum prouocamus ex raphano, & potum damus acetum squilliticum, aut castoreũ ex mulsa, aut calidam, ubi coxeris cyminum, aut oxymel cum calida. Iuuat eos cursus & uectatio, & stomachus curetur, uel oxyporia accipiant plus thermantica, uel epithema. Cibos utiles & leues ex calida aqua accipiant, interuallo facto non plus, sed parum, & catamodicum glutiant, ne singultum prouocent.

De sicca & aspera lingua, Cap. VIII.

De sicca & aspera lingua sermo est, quam uisu comprehendimus & tactu. Videmus autem illam siccã quã tangentes sentimus asperã esse, & quasi papulas quasdã in ea cernimus:

atq; sentimus. At si encausim passa sit, est ruborata, uel subcinericij coloris, siue liuidi, aut nigri, uel rhada gias habere cernitur, sicca autem quasi pelliculæ per gamenorum similis. In se habet uulnuscula, nunc ampliora, nunc minora. Vnde & uocem æger tardã uel obscuram reddit, quia os siccum, atq; linguam ostendit. Oportet autem eos collutione oris uti, aut apponentes in mento, aut ante mentum, quod græce antereon uocatur, lanas molles intinctas in oleo calido dulci. Linguam uero fricamus cum spongia molli, & munda, & aqua calida intincta. Post hæc colluendũ est os ex aqua calida, aut ipsum antereon, diamoron medicamento tangito, aut ex rosa sicca cum croco ex æquo trita, & cum melle mista de penna linito. Cataplasma ex pane & aqua calida, & polline fœnugræci, aquatam aut mulsam dari conuenit, & aliquando melle cum penniculo fricabis, & lini semine integro in linteolo ligato, & in calida tincto, aut folijs mentæ uiridis linguam fricabis & os. Quod si asperitas magna fuerit, & os & palatũ usta fuerint, gargarizẽt elixaturã rosæ siccæ, ad tertiam decoctæ in aqua.

De diaphoretica, Cap. IX.

Diaphoreticos multi cardiacos appellãt, quos ita cognosces. Vt cœperint nimijs et acerrimis

mis exagitari febribus, ſudorem patiuntur incongruum, & non creticum, ex quo uehementi periculo urgentur, qui ſudor tanquam ſintoma appellatur. Naſcitur hæc cauſa ex ſinocho, aut ex cauſon, aut ex ſinoche.

Cura.

Cuius ſigna certiſsima cum uideris, & nimium ſudantem, & ſine intermiſsione repereris, hūc curare debebis ſic: Phlebotomabis eum menſe Martio maxime, & facies tenere myrtos ſub aſellis, ne forte cum phlebotomas ſudor incurrat. Si uero neglexeris, apoplexia, paralyſis, epilepſis, ſynanche, eueniunt. Conſtitues eos in pauimento, aut in taſaſcello, aut in tegestri, quos aqua frigida roras, & ponis pueros & puellas, ut cum muſcarijs flabellent, melius ſi ex canna uiridi ſint, quæ aſsidue in recente intincta præſtare poſsint corpori æſtuanti uentum frigidum & ex guttis humidum rorem. Hæc ſine intermiſsione fieri iube. Quibus etiam dandum eſt diacodion mane coclear 1. ſero 1. His etiam ſimiliter utile eſt rhodomel adhiberi, quamuis hæc duo adiutoria non ſolum diaphoretico proſunt, uerum etiam cauſis unde diaphoreſis deſcendit, id eſt, ſinocho, & cauſon, & ſinoche. Adhuc etiam myrthus ſuper patiētem debet ſpargi, & cataplaſmata lixoperiton adhibenda ſunt, maxime quæ fiunt ex portulaca trita, & acinis acidis. Quod

si acini iam maturi sunt, aut nõdum nati, etiam ex portulaca sola cataplasma fieri potest. Quod quidẽ siue habeas acinos, siue non, trita portulaca, et inducta in plagella sic frigida imponenda sunt, ut sudor ille noxius reprimi poßit, quãuis hoc cataplasma etiam omnibus causis istis faciat, id est, sinocho, sinochæ, & causon. Item ut supra cataplasma lixoperitum, quod facis sic: mittis semen lini in recentem, & cum mollieris teris, & adde rasuram cucurbitæ uiridis, & sic frigido stomacho imponis. Omnia enim lixoperita in stomacho ponenda sunt, sed hoc lixoperitum facit & ad causon, & sinochen, & diaphoresin. Sed in hac causa quam maxime obseruãdum est, ut & locus, & flãmina stiptica procurentur, id est, ut recens sparsa non desit, & frondibus hedræ, myrtæ, & granatæ, uel pampini, ac buxi cubiculum ornetur. Medicamen ad cardiacos: Foliorum hederæ terraneæ cum ramulis suis, quantum duobus digitis cingi potest teratur, & in uini albi phiala, id est, ita ut sub diuo moretur nocte una, infundatur & sero, in primo mane exprimis, & sic bibatur. Item ipsum uas foris sit tota nocte. Hoc fac diebus nouem, & sanabis hominem, & abstineat se æger ne cor comedat undecunq; aut carnem quæ cum corde cocta est. Item contra sudorem remedium optimum. Si ante solis ortum herbam quam

appellant

appellant semperuiuam legas, & ante solem teras, atque eum qui patitur ex eodem succo perungas, utiliter prodesse dicitur. Etiam remedium est si in collo eius qui patitur uiridem uuam, & album corallum, ita ut tota nocte in recente maneat ante solis ortum suspendas lino, scilicet inserta, sed melius est celari. Et uita, ne hoc remedium facere die solis incipias. Cui etiam puluis recipiens umbilici maris, corallij, anacardi, cymini, piperis longi, oßis eboris, spinæ histricis, panis fermentati, gladioli, oßis de corde cerui, opij nuconis. ana. 1. cum calida aqua dandus, tamen spina, ossa, & panis combusta sint, & iaceant in silentio & secreto.

De Sudoris distantia, Cap. X.

Quomodo discernis cretice sudantem ab eo qui à diaphoresi soluitur, & creticus sudor est: Hic pari numero factus & calidus. Diaphoreticus uero est in pari numero & frigidus, & tenax. Non facilē, sed satis necessariā quæstionē proponis. Nam plurimi medici ignari, salutari sudori immin̄eti, ægrotātibus restitere, et alij diaphoreticos cōlaxantes causa mortis extiterūt. Vnde eorū

differen-

differentias necessario suggeris ordinandas, quæ ua ria ratione colliguntur. Primo ex præteritis diebus, dehinc ex generibus paßionum, & magnitudine tem porum, & sudoris ipsius ordine, qualitate, & quantitate. Significatio firmatur ex præteritis diebus, in qua consideramus, utrum signa sudoris diaphoretici, aut salutaris præcesserunt.

De iudicio eiusdem, Cap. XI.

EX genere paßionum qualitates significationum attendimus. Si enim solutio inest, sudor etiam utilis diaphoreticus esse monstratur. Si uero strictura inest, attendenda est infirmitatis magnitudo. Parua enim paßio diaphoresin facere non potest. Si enim magna fuerit, attendendũ est tempus sudoris. In statu autẽ totius paßionis, atq; temporali acceßione, limpidam amißionem creticus maior sudor ostendit. In initio autem, uel augmento pernitiosus, æqualis bonus, inæqualis autem malus sudor iudicatur. Ex quantitate signa accepimus moderationem considerantes. Modicus autem sudor bonus, immodicus malus accipitur. Deniq; non recte sudantes & sine moderatione, diaphoresin incurrunt. Ex qualitate significationẽ accipimus, cum tactu indicium adhibemus. Salutaris autem sudor calidus &

tenus

tenuis, & non male olens probatur. Perniciosus autem frigidus atq; acidus, aquatis carnibus similis inuenitur. Deinceps ex præteritis atq; concurrentibus signis affirmanda significatio est. Non recte sudantibus magis paruus atq; creber, imbecillis & inanis pulsus inuenitur. Thorax etiam grauatur cum respiratione frequenti, ac iactantia animi, uocis tenuitate attestante pallore. Recte autem sudantibus pulsus rectus, respiratio facilis, atq; leuior efficitur. In somno enim prona deiectio, & omnium aduersariorum diminutio, cum animi atq; corporis releuatione, & recto & salutari ordine. Quomodo discernis à cardiaco eum qui ex stomachi passione sudauerit? Ex stomachi passione sudens cum dolore quadam parte corporis uexari uidetur, hoc est, sub pectore, aut inter spatulas, attestante aliquando singultu. Aliquando post acceptum cibum tensura corporis cum saliuarum fluore, & nausea & uomitu.

De sudoris præcognitione, Cap. XII.

Sudoris præcognitio apud scientes non est innegligentia. Nam et salutaris sudor est, & mortiferus. Salutaris est creticus, cui credo nomen ex iudicio impositum, eo quod quasi iudicet

dicet hominem ex ſententia ſua, aut puniat, aut libe-ret. Hic calidus eſt, cui color rubeus eſt, & curſus eſt fortis, & ingens pulſus uenarum, & quanto plus his ſudoris affluxerit, tanto æger fortior fit. Aliter q̄ppe exterminat, & ſubito fit frigus cum pallore ægri, aut defectione uenarum, aut penitus abſq; ſenſu, aut tre-more potius quam ſolutione febris. Sed creticum fa-cile eſt calefactionibus prouocare, cardiaco obſiſte-re arduum eſt. Tamen huic frigidis rebus obſiſtere placet ut nudus iaceat æger. Si ita ſurget, aduentetur hinc atque inde ſabanis, atque flabellis uentum infe-rentibus. Interdum ex ſpongijs in aqua frigidiſſima tinctis & expreſſis corpus eius refrigerandum eſt, & ſi nix affuerit, hac utendum eſt magis quam frigi-da humiditate. Cuius manus ſtringendæ ſunt faſciolis lineis, in eo loco ubi uenarum pulſus tentare conſueui mus, & ſi adſit ſitis, frigida danda, & non nimia nec cum impetu hanc accipiat. Hæc res accidit plerunq; illis qui cum ſtrictura febricitant, ſcilicet ut habeant ſicca ſtercora per nimium febris ardorem.

Cura.

Hos oportet per clyſterem foras deducere, ſicut in ſecundo Metamaticō oſtendimus. Subiecta erit ru-brica de ijs qui in acutis febribus in impetu habēt do-lorem in præcordijs, in ſplene, et iecore. Singula hæc medicamina

medicamina siue omnia in paßionibus suis demõstrata sunt, quemadmodum & quibus signis comprehendantur quæ nos omnes scimus. Inueterantibus paßionibus ea debebis adhibere quæ sunt dicta, & quæ ad curã eorum pertinent, omnia sunt adiuncta, quanquam & ij communiter ut cætera curantur. Propter quod in quibusdam febribus debemus, & si non grandis causa sit, lanis mollibus ac mundis fomẽtare oleo calido ac dulci. Si amplius fortis sit causa, cataplasmatibus, & cucurbitis, & pyriasis, id est, spongia debet intingi in liquore iam sæpe dicto. Postea cerotario erit utendum, scilicet ubi declinare cœpit paßio. In impetu autem clysterizabis in myrta, & in cãtabris, & bletæ radicis decoctione mel, et sal, oleo mixtum, uel nitrum, aut affronitrum, ex mulsa & oleo, aut careno, salem & oleum ut tepuerit, & oua dura mixta inijce.

De Impetu uesicæ, Cap. XIII.

Solet uesica in acutis febribus in impetũ ac dolores uenire. Sed quãdo aßidue meiant, & paulatim intumescit mẽbranũ hoc facit dolore, & parere illa quæ cõphebeon græci dicũt facit, quæ omnia soluẽtur, ubi acceßio minuerit. Dehinc

plurimum

plurimum meiant. Quod si molestius ea paßio accubuerit quo usq; febris laxationem dimißionesq; perficiat permanere solent ea signa.

Cura.

Ad curam eius rei qualia nota sunt adhibere debes fouereq; ex oleo dulci cum calida mixto. Omnia illa quæ supra & sub umbilico sunt loca, & cataplasmata, & cucurbitas adhibere debes, leues & encathismata calida, & hydroleon, nec non fœnugræci decoctionem, uel maluæ, et per clysterem inijcere debes, laxatis enim his partibus resumitur uesica. Qd' si aliquis morsus erit in ueretro pirioticum clystere, id est, oleum calidũ erit inijciendum. Lenit enim atq; moderatur paßionem hanc & augere debes omnia quæ huic paßioni sunt utilia, etiam apozimas accipiant, & causas necessarias: quia omne quod bibitur in uesicam confluit, & grauatur id membrum. Vesica quoq; fatigat ægrum multum mingendo non minus quam uẽtris solutio. Vnde adhibemus stiptica sub umbilico atq; efebeon & clunibus, ut sunt spongiæ ex aqua frigida, uel pusca, atq; epithema frigida, & cucurbita staltica.

De uigilijs, Cap. XIIII.

Vigiliæ aliquando propter aliquam causam fiunt, uel propter quasdam animi cogitatiões, uel propter

uel propter alicuius loci dolorem, raro quidem propter fluxũ uentris & propter stricturam. Eadem dinoscimus si ex strictura sit aut ex fluxu, nostra interrogatione, quo sæpe interueniente nunquam ægrũ dormire uidemus. Præcedit autẽ hebetatio mentis atq; oppreßio quam græci paracopen dicunt, hanc uigiliam affert aßiduitas animi quam græci cataforam dicunt. Nam debilitationem uirium & corporis angustiã patiũtur. Hippocras quoq; ait oculos et nares eorum in acutũ procedere. Cui summas nares frigidas tangimus & cutem & summas manus & plãtas & oculos quoq; tensos habent, sed sic intente & nõ palpebrantes quod græci quoq; anthoman appellant. Dolent quoq; eidem oculi atq; non abiliter mouẽtnr. Nonnunquam etiam in uenulis eorundem oculorum rubor apparet. Pulsus quoq; infirmus est eis, mox laxior fit, aut si interest aliquis dolor, exinde uigiliæ fiunt. Debemus ubi sunt stricturæ mollire & ubi sunt laxationes constringere, sicut in capitis dolore monstrauimus & oleo dulci, aut anethino caput foueatur & cataplasmetur & pone cucurbitam uacuam in loco qui ilion dicitur & lecto pensili gestetur & spongiam cum aqua calida intincta expressam oculis sæpone & odorem pigmentorum naribus ut est myrra et opium storace ex æquo in unũ trita cum careno

modico aut melle & punctione præstentur humida, ut caput sensum recipiat, & somnus sequi poßit.

De tremore in acutis febribus, Cap. XV.

F*It tremor in acutis febribus tā grauis ut plerunq; mentes hebetentur. Est autem paßio neruorum quam simforaneuron græci dicunt. Deprehenditur ea paßio in strictura uel in fluxu hæmorroïdæ uel sanguinis uomitu. Quādo hoc fit oportet nos mitigare fluxum constringentibus adiutorijs, secundū quod sæpe demōstrauimus. Sed cum in omnibus talibus remißio secuta fuerit, utile est ægrū in oleo dimitere, aut stomachum curare & acopo uti diasansuco aut diaquilon in oleo soluto totum corpus perungere, & bibant elixaturam absynthij pontici.*

De malefactionibus, Cap. XVI.

N*Vnc conuenit dicere super his qui in ægritudinibus et per sintomata aliquod frequentibus augustijs, id est, aßidua malfactione laborant atq; periclitantur. harum enim malfactionum diuersa origo est, quia nec una causa est unde nascuntur. Diligētius ergo singularum inueniamus ori-*

riginem,

ginem, uel causam unde fiunt & tunc demum indubitanter; harum uniuscuiusque peruidebimus curam. Alij nanque angustiantur, uel malfiunt per abundantiam cholerum. Alij per diarriam, id est, fluxum nimium. Alij per dysenteriam, uel lienteriam. Alij per nimium sanguinis fluxum, siue per nares, siue per uulnera aliqua, siue per sellam, ut ille qui hemorrhoidas patitur, et mulieres per nimia menstrua aut per aborsum, aut per dolorem matricũ intolerabilem malfiunt frequenter & deficiunt, cum aut contorquentur, aut de locis suis excutiuntur, facit frequenter & indigestio ciborum nimiam, & non mediocrem malfactionem. Maxime cum per hanc corruptis humoribus fluxus uentris fit, & bulismus, quid aliud nisi malfactio est? Præuenit enim frequenter malfactio futuram apoplexiam ex sanguinis ictu, & malam epilepsiam, fit etiam in cõmotionibus febrium cum summa corporis frigescunt, id est, manus & pedes, & cum ex causa iecoris in feruore positi uel stomachi febriunt quidẽ, & in his causis angustiæ fiunt, & cum crudi & intẽperati humores in aliqua insolita sibi uiscerũ parte insederint, uel meatus naturales cõclusẽrint malfactiones nõ sine periculo ægrotantis faciũt. Frequenter & multi æstuãti animo, siue gaudio, siue mœrore siue nimia cogitatione lassati angustiantur,

& deficiunt ita ut humor quidam sudoris in his nō so=
lum in uultu, sed etiā in omni corpore uideatur. Mal=
fiunt etiā illi quibus inualida, & debili uirtute aposte
mate rupto siue à se siue ab artifice extrinsecus sanì=
es purulēta decurrit, & aut in thorace, aut in stoma=
cho, aut in uentre coagulatur. Necesse est ut illi mal=
fiant, quorum nos ipsi secando apostema aperimus,
& totū semel quod intus est euacuamus cū partim id
euacuari melius sit. Eadem ratione & illi malfiunt,
quos uehementi data purgatione, uel clystere adhi=
bito, & ualide semel euacuauimus, cū nec hydropici
ipsi qui quamuis superfluo humore abūdent ubertim,
ex toto tamen si subito semel purgentur, non sine pe=
riculo malfiunt. Quid uero de illis dicemus, qui dolo
re nimio tacti malfiunt? aut compunctionibus qui=
busdā aut stropho, aut ileon, aut qui coli subito et gra
ui dolore conficiuntur? Nec minus illi qui confixi uel
uulnerati in neruo aut in capite musculi malfiunt. Et
in articulis grauia uulnera, id est, chironia uel cācre=
ne, uel etiam carcinomata, faciunt frequenter malfa=
ctiones. Sicut nimia frigora faciunt, & in tolerabiles
aestus uel calores, et uitalis uirtutis dissolutio, uel las=
situdo, ex defectione & angustia malfactiones faci=
unt. Ergo sunt propriae curae malfactionū causae uniuſ
cuiusque earum.

De eadem

De eadem, & cura Cap. XVII.

PEr singulas causas ut dicatur curatio nunc in hoc libro satis est longum, quanquã breuißime tibi (ut ipse petisti) disposuerimus dicere, si tamen breuitas ipsa efficiat, atq; præstabit tibi, ut scias ex paucis, quæ diximus, plura mederi. Nã siue ex choleribus nimijs, siue ex diarria, siue ex hemorrhoida, siue ex alijs ut diximus causis deficit, atq; malfit aliquis, conuenit mox ut aqua frigida in facie roretur, manus & nares constringe, os etiam dentesq́; aperi, ut tußiant, & impera ut excreent, aut aures trahe, au capillos, & iuxta pectus stomachumq́; fricari manu, uomicamq́; prouocari digito in ore misso, uel tinctis pennis in hydrolcon, & articulos uinciri, id est, summitates manuũ uel pedum colligari. Oportet autẽ ligaturas in extremis manibus & pedibus esse, sed plures quidẽ uehementiores in manibus tunc cum fluxus sanguinis uel uentris ex inferioribus partibus, & angustias nimie manãdo perfecerit. In pedibus uero tunc, cum ex superioribus partibus fluxus uexauerit, usq; ad angustias & necem ut solet narium sanguinis incessabilis fluxus molestare, aut stomachi delaxatio uomicæ facere nimietatem. Ergo siue ægro, siue sano aliquid tale contigerit, et angustiarum uel malfactionũ molestias fecerit, considerandũ

erit ut per antipasin restringamus sanguinē qui manat, id est, contrario medicamine, ut inferiora colligando, uel constringēdo superiora leuētur. Sic etiam mēstrua fœminarū sedemus, ita ut superiora cōstringendo, uel colligando leuentur, inferiora cessare faciamus. Intuendum est etiam in his talibus & dicendum causis, qualiter debeat, uel quo schemate iacere qui patitur, ut si de inferioribus laborauerit fluendo partibus, pronus & decliuus capite iaceat, nec tamen nimie, sed temperate. Item de superioribus si fluxus fuerit erectior à capite lectulus eleuetur. Sic etiam mulieribus ex nimio sanguinis fluxu medeberis, ut abstineas riuulos matricis insolito more fluentes, si iuxta mammas earum calidas figas cucurbitas, ita ut & iecori atq; spleni infigas & superponis cucurbitas. Cum ex utraq; nare nimius & inabstinēs manauerit sanguis, aut si de una fertur nare cōsiderabis. Si de dextra erit, iecori superponis, si de sinistra, spleni. Necnō etiā medicaminibus quæ sunt ad fluxū sanguinis restringēdum, & ad menstrua uteris, uel in naribus, uel in potione adhibendis, necnon & ad uomicam, & ad choleram sedandam, & ad fluxum uentris, & ad menstrua multa quæ in pharmateuticis scripta sunt, & per ora danda utilia intrinsecus et extrinsecus diuerso modo adhibenda, scilicet uentri, matrici, stomacho

thoraci

thoraci, capiti ac fronti. Balneo non utendum est illis qui fluxu sanguinis laborant, atq; deficiunt, alijs uero non incongruũ est, præter illos qui nimio laborantes malfiunt, atq; eclipsantur. Nocet enim et ipsis usus balnei. Oportet enim hos nõ calidis relaxare, sed frigidis constringi uel escis uel potionibus, uel unguẽtis stipticis, & frigidis, quia his calida contraria sunt, nec ligandos his, uel constringendos scito pedes, nec uomicam prouocandam omnino, nec alter cõmouendos. Vinum etiam frigidum pane infuso dandum est, & flatus frigidi uentorum sunt adhibendi, & aër & cubiculum stipticũ, ubi iaceant ex artis scientia faciendum, id est, frõdibus teneris pauimentũ sternamus, uidelicet myrtæ, salicis, & pampini, & maligranati, atq; rosæ, & alijs huiusmodi uirtutis stipticæ. Sed illis ista incõgrua sunt, qui humoribus ore uẽtris repleto, sudore uel ægritudine laborant. Quibus balnei usus utilis est, & uentris purgatio, et uini usus. Vinum sit tenue calidum, & natura calidum ut est siculum. Tale enim dare conuenit, sicut illis qui sanguinis fluxu, atque euacuatione laborant, quod non sit spissum nigrum, uel ruboratum, atque austerum. Sic itaq; hoc modo curabimus istos, qui per nimium fluxum atque euacuationem laborando malfiunt, uel angustijs laxantur frequentibus. At uero illos quibus ex aliquo

nimio humore concreta abundantia, quasi enfraxin, id est, obiecta nimietatis mole occlusionē meatibus facit, ita ut uitalis spiritus solitis naturalibus impediatur cursibus, & ob id malfactiones atq; angustias patiantur, & non similiter, sed longe aliter curabimus. Nam his extremas manuū pedumq; partes diutißime manibus perfricabimus blandis et cōstringimus, atq; colligamus, atq; calefaciamus, & si febris erit, abstinemus à cibo, & uino, & balneo. Sufficiat nanq; his mellicratum tantum decocto thymo, uel origano, uel hyssopo. Vtile est etiam oxymel his dari cum pulegio, & iri illyrica factū. Similiter medicaminibus his & illas scito curādas, quæ et matrice laborātes malfiūt, præter oxymel, et non magis in his manus quā crura cōstringenda sunt, sicut ills qui profluxu matricis nimio uexantur, & istis similiter cucurbitas circa mamillas ponimus. Ita etiam his quibus matrix excussa à naturali loco & conuersa, & resupinata sursum uel trāsuersa deorsum renibus, aut lateribus, aut inguinibus incūbens iacet, cucurbitas ex diuerso apponimus, id est, ut per antipasin in suo matricē eandem deducamus loco. Nec non naribus odores fœtidos apponimus, matrici uero suffumigationes delectabiles, & perpulchre olētes offerimus, atq; suffumigamus, necnō etiam medicamina, uel pessos calidæ uirtutis, qui-

bus rela-

bus relaxari atq; placari poßint adhibemus. Si uero, infirmis aut nõ bene sanis stomachi uitio laßitudo frequens fecerit malfactiones atq; angustias, utamur epithemate quo poßit confirmari, & corroborari stomachus, id est, dominus corporis, quale est quod recip. crocum aloën, masticben, atq; his similia. Et embrocabimus oleo nardino infuso modico uino decoctionis absinthij pontici, uel oleo mastichino, aut melino, id est, de malis cytonijs. Et si calorẽ sentiunt quasi ardentis stomachi, miscemus ijs aliqua frigidæ uirtutis de succis cucurbitæ, uel lactucæ, uel portulacæ, atque strigni, necnon uuæ uiridis, uel immaturæ succũ, qui non solum hic frigidus est succus, sed etiam stipticus. Aqua etiam frigida ijs qui stomachi nimio ardore & ariditate fatigantur, uel deficiunt malfientes, opportune uel in tẽpore suo data ualde prodest. Aliter uero data ægrotis, maxime & grauiter nocet. Et oportet magis ægro stomacho uinum & calidã aquã dari, si nihil aliud prohibeat quod sit contrariũ. Prodest maxime ijs talibus stomachi uexationibus, etiam perfricatio manuũ & pedum. Et cum ex his iuuamentis ad melius profecerint, & senserint beneficiũ, illos ilico qui calore stomachi, & ariditate uexantur, utiliter ducis ad balneũ & laues. Et illos qui ex frigore nimio & rigore stomachi laborant, potionibus eos

curabis, id est, antidoto quod dicitur diatrion pipereon, & ipso etiam solo pipere, & absinthiũ ponticum in aqua coctum dabis. Illis uero qui congestione malorum humorum os uentris repletum habent, & ob id laborantes malfiunt, & quasi submordẽtur, dabis aquam calidam multum bibere, & hydroleon calens copiosum, & facies eos uomere digitis uel pennis ori gutturiq; iniectis. Si uero non potest uomere ut solet uomere, oleum optimum dulce calidum dabis bibere, quia non solum facit uomicam, sed etiam uentrem soluit, & prouocat, aut certe si id non euenerit, clystere super his uteris, & ita siue post uomitum, siue post uentris depositionem absinthium ponticum in mulsa decoctum dabis. Deinde etiam uinum ex aqua calida, & epithema aforis adhibe, quod confortare & corroborare solet laxatos, & non in principio est hoc utendum, sed postquam os uentris uideris ab humoribus quibus uexabatur, purgatum. Non enim expedit medicaminibius constringi, cum adhuc humores intrinsecus, & nondum de ore uentris educti atque purgati, sed sufficit confricari tantum, & relaxari, ut supradictum est. Si uero in ipso uentre congestum phlegma mole abundantiæ suæ fatigationes & malfactiones fecerit, uteris fomentatione olei multi coctio cum eodem absinthio. Deinde

dabis

dabis mulsam decoctionis, uel hyssopi, uel iris, & oxymel piperatum, necnon & antidotum, diatriton pipercon. Alia quæque talia dabis quæ possunt phlegma incidere & deponere. Dieta eorum sit calida & sicca. Si uero ex nimio frigore malfactiones, uel angustiæ fiunt similiter, ut bulismos curabis, omnino calefaciens eos intrinsecus & extrinsecus escis calidis piperatis, & potionibus uini conditi, quos cum aqua calidißima perfricabis toto corpore contra focum, maxime manus eorum & pedes. Si autem nimio æstu, uel calore fatigati malfiunt, frigidis eos rebus refrigerabis, & corroborabis. Euenit maxime illis qui in aëre angusto & offocato, uel in balneo diu, & plusquam oportet morantur. Reficies ergo eos resumens mox in præsenti aquam frigidam in faciem rorando, & flabello uentum facias frigidum, & abiges circumstantes, ut liberi aëris foueantur aspectu. Manu etiam palpando pectus stomachumq; perfricabis, & exclamabis interdū auribus, & cum redierint ad se, micā panis ex uino dabis frigido et cōgruis eos reficito escis. Illos uero qui feruore alicuius humoris uel dolore, uel calore nimio febris malfiunt, & angustiantur, quibus manus summæ pedesq; frigescunt ut glacies, oportet fricari manibus calidis, & colligādo manus, et crura, facias uigilare,

& ab omni

& ab omni cibo & potu abstinebis, & quæcunq; his facienda putaueris, festina ut ante paroxismos, id est, cõmotiones febris omnia facias. Illos etiam qui ex nimia siccitate uel ariditate deficiunt, mox in principio paroxismi prouidendũ, et maxime cognoscẽdũ est, ut ante duas horas, uel tres quam incipiat paroxismus, cibo refici, uel potu, & stringi uel teneri pedes corũ & manus iubeas. Quod cum factum fuerit non deficiunt, aut pereunt. Oportet ergo escam etiam quam suscipiunt, facilem, leuem & digestoriã esse, ne grauato stomacho grauius uexentur. Si uero ex malfactione febrienti periculũ senseris futurum, scilicet pronũ ad mortẽ magis quam ad uitam, tũc & uinum dabis, & maxime admixtã uino alicam coctam, uel granatam offeres. Item proderit etiam panis cum uino datus, ubi periculũ graue non est, non oportet ægro uinum dari, sed sufficit malis granatis, uel piris, uel malis refici, & confirmari eos uel aliquibus pomis stipticis cum alio cibo admistis offerre sibi uirtutem, & his adhibitis & sumptis fortiter tulerit impetũ paroxismi, & non fuerit ualde fatigatus, sufficiet eos tantũmodo cibo refici, non utendo pomis. Hoc ergo age utiliter, cum cognoueris antea quæ futura sunt, ut modeste cures. Illis uero qui subito in hoc inciderint periculum, uinum dari, & panem calidum, & granata

pariter

pariter utile est: sed perparum modicumq; dandum. Nam si plus dederis quam possint, eis non mediocriter officit. Qui uero enfraxin patiuntur, id est, cōclusionē pori alicuius uel membri necessarij ac uitalis et ob id malfiunt, atq; angustiantes deficiūt, oxymel his dādum scito, & potiones tales, hyssopum, origanum, & pulegium in mulsa coctū, & cibos qui possint incidere & relaxare humores, & purgare atq; aperire occultos et uitales meatus. Prodest his fricatio atq; colligatio summitatū manuum. Vtile est etiam his uti diureticis potionibus, hoc est, urinam prouocantibus, id est, anetho, feniculo, apio, petroselino, dauco, ameos, spica nardi, & reliquis similibus. Ex quibus si uiderimus euidēter iuuatos, & melioratos, uino postea reficiemus albo tenui perdigesto & ueteri. Quos quidem ex pulsu poteris manifeste cognoscere quia inæqualis & inordinatus maxime inuenitur in istis pulsus sicut in plectoricis ut in ante lassatis diximus, nisi quod in istis frequenter etiam dialipon inuenitur pulsus qui mortē significat, quod quidē in ratione pulsuum amplius diximus, pulsus discernere possimus.

Item de malfactionibus.

N*Vnc uero transimus dicere & de alijs malfactionibus quæ eueniunt, aut de euacuatione*

subita

ſubita apoſtematis, id eſt, ſi quãdo ſe ruperit apoſte= ma, aut ſecãtibus nobis euenerit, uelut paracenteſyn hydropicis, uel ſi de cathartico totũ ſemel euacuatũ fuerit ſubito malfiũt et deficiunt quaſi morientes, & ideo non debemus in his talibus uehementer facere euacuationem ſed de ſemel euacuare, ſed partim & temperate. Proinde cum id congerit ilico odoribus bonis & delectabilibus releuabimus. Nec poſt mul= tum de hinc temporis ſuccis bonis, & eſcis reficie= mus. Si uero ex mœrore nimio, aut gaudio, aut metu, aut iracundia, aut ex aliqua his ſimili ratione malfi= unt odoribus primo adhibitis: De hinc narium occlu ſionem reconfirmabimus, mox etiam ut uomant im= perabimus. Similiter etiã illis naribus ad præſens dũ taxat apponimus odores qui uulnere aliquo, aut dolo re fatigati nimio ſubito malfiunt, uel neruorũ, uel mu ſculorũ compunctione. Nam neruus ſi incidatur totus non dolet ſi pungitur grauiſsimos dolores facit. Po= ſtea eos cõgrua curatione, & diligenti curabimus, nõ aqua ſed oleo fomentantes, nam mox putriet neruus ſi aqua tangatur. Coli autẽ & ilij, uel huiuſmodi cau ſæ ob grauiſsimũ dolorẽ frequenter malfactiões atq; anguſtiæ cõtingunt moleſtiſsimæ. Quas ſedabimus fricãdo cõtinuo loca quæ dolẽt, & pedum manuumq; ſummitates blando more diutiſsime perfricantes.

Garioponti Liber Sintomatum Finit.

BASILEÆ EXCVDEBAT
HENRICVS PETRVS, MEN-
SE AVGVSTO,
ANNO.
M. D. XXXVI.

